This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

http://books.google.com

K.K. HOF- BIBLIOTHEK
395011-D
HSS.-S. Katal
53.

Digitized by Google

cc 19 a 13

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MANUSCRIPTORUM CODICUM

BIBLIOTHECAE

REGII TAURINENSIS ATHENAEI

PARS ALTERA.

Complectens LATINOS, ITALOS, & GALLICOS.

335011-D.
HSS.-S.

Digitized by Google

Digitized by Google

CODICES
MANUSCRIPTI
BIBLIOTHECAE
REGII TAURINENSIS ATHENAEI

PER LINGUAS DIGESTI, & BINAS IN PARTES DISTRIBUTI, IN QUARUM
PRIMA HEBRAEI, & GRAECI, IN ALTERA
LATINI, ITALICI, & GALLICI.

Recenſuerunt, & animadverſionibus illuſtrarunt

JOSEPHUS PASINUS

REGI A CONSILIIS

BIBLIOTHECAE PRAESES, ET MODERATOR.

ANTONIUS RIVAUTELLA, & FRANCISCUS BERTA

EJUSDEM BIBLIOTHECAE CUSTODES.

Inſertis parvis quibuſdam Opuſculis hactenus ineditis, adjectoque in fine
Scriptorum, & eorum Operum Indice, praeter Characterum
ſpecimina, & varia Codicum ornamenta
partim aere, partim ligno inciſa.



TAURINI. MDCCXLIX.

EX TYPOGRAPHIA REGIA.
SUPERIORUM PERMISSU.

38.H.11-D
C6.124.10

Digitized by Google

Digitized by Google

OPUSCULA
ANECDOTA,

Quæ huic Volumini inserta nunc primum in lucem prodeunt.

I. HENRICI *VII. Romanorum Regis Diploma in gratiam Fratrum Minorum, & Prædicatorum in Cherio commorantium*. pag. 25. Cod. LXXXVI.

II. *Cardinalis Thalaimandi Epistola ad Priorem Carthusiensem*. 32. CIX.

III. *Johannis Argyropili Epistola ad Dominicum Roboreum Cardinalem*. 102. CDXXXIII.

IV. *Vita Johannis Michaelis Pingonii*. 112. CDLXXXIX.

V. *Oratio habita a Legatis Civium Astensium ad Philippum Mariam Mediol. Ducem*. 139. DLXXXII.

VI. *Chronica Astensia*. 140. DLXXXII.

VII. *Privilegium concessionis magnæ Indulgentiæ a Bonifacio VIII. quovis Centesimo indultæ, & concessæ*. 146. DLXXXIII.

VIII. *Series Monasteriorum, quæ a Marchionibus Montisferrati vel condita, vel aucta fuere*. 148. DLXXXVIII.

IX. *Historia constructionis Castri Saphet*. 152. DCXV.

X. *Elenchus Juvenum, Militumque qui Cæsarem Titionem Comitis Ludovici filium in expeditione Italica Cæsaris Maximiliani contra Venetos sequuti sunt*. 164. DCII.

XI. *Exemplar integrum, & numeris omnibus absolutum Donationis factæ per Tertullum Patritium Romanum Sancto Benedicto in Monte Cassino*. 166. DCCII.

XII. *Memoriale Raymundi Turchi Civis Astensis*. 176. DCXLVII.

XIII. *Hymnus ad honorem Sancti Thomæ Cantuariensis*. 215. DCLXXIII.

XIV. *Epistola a Familiaribus Comitissæ Mathildis scripta ad Imperatorem*. 224. DCCIV.

XV. *Eugenii Papæ IV. Epistola ad Fratrem Johannem de Capistrano*. 229. DCCXXI.

XVI. *Charta libertatum Ecclesiæ Anglicanæ*. 236. DCCXXXVII.

XVII. *Sententia, sive anathema contra infringentes libertates Ecclesiæ Anglicanæ sub, & jubente Angliæ Rege Henrico III.* 237. DCCXXXVII.

XVIII. *Ogerii de Locedio prologus in Tractatum de laudibus Sanctæ Dei Genitricis*. 249. DCCLXI.

XIX. *Bosonis Episcopi Taurinensis Epistola ad Clerum, & Diœcesanos suos, qua illis Treuvam Dei indicit*. 285. CMVIII.

XX. *Fragmenta Historiæ Astensis collecta ex Memorialibus Secundi Parutiæ, Jaffredi Boani, Deciani de Nasiis, Thomæ Auriculæ, Julii Falletti, Baptistæ Lunati, Guilielmi Cornaliæ, Bruti Salomonis, Francisci Turzani, Andreoni Garretti, Fabii de Restis, Valarandi de Troja, Mutii de Glande, Jacobi Cazæi, Raymundi Turchi, Philippi Riccii, Pagani Incisæ, Jacobi de Borcanino, Roberti Turchi, Ruffini Venturæ, Bernardi Pagani, Antonii Astexani, Secundi de Quarterio, Theodori Blandrati, Antonii Barbiani, Georgii Allioni, Blasii Duxii, & ex Archiviis Civitatum Astæ, atque Albæ*. 307. MXLIV.

XXI. *Chronicon Res Insubriæ complectens ab anno Christi LXIV. usque ad MCCXVIII.* 351. MXLV.

XXII. *Chronicon alterum Res Insubriæ complectens ab an. Christi MCLXX. usque ad MCCII.* 35. MXLV.

XXIII. *Epistola totius Capituli Cisterciensis nomine scripta ad Gregorium IX. Pontificem*. 365. MXCII.

XXIV. *Responsio Pii Secundi Pontificis data Romæ Oratoribus Franciæ*. 477. MCXLI.

XXV. *Guilielmi Fichetti Sabaudi, Parisiensis*

Digitized by Google

ſienſis Univerſatis Rectoris, Epiſtola ad Amedeum Sabaudiæ Ducem, ejuſque Fratres, qua eos hortatur, ut bellum contra Turcas fortiter capeſſant, atque aviti ſplendoris memores pro Religione, atque Italiæ ſalute defendenda vires ſuas, operamque præſtent. 390. MCLXV.

XXVI. *Beſſarionis Cardinalis Epiſtola ad Guilielm. Fichetum.* 394. MCLXV.

XXVII. *Capitula, ſtatuta, & ordinamenta Societatis Baroniæ Militum Civit. Aſtenſis.* 396. MCLXXVII.

XXVIII. *Il Prologo del libro, il quale ha nome Orivolo della Sapientia.* 404. VI.

XXIX. *Il primo Sermone di Sancto Bernardo ſopra la Cantica Canticorum di Salamone recato in vulgare per Frate Giovanni di San-Miniato Frate di Romiti degli Angioli.* 407. IX.

XXX. *Epitome Chronici Salutienſis Italico ſermone ſcripta, qua res Ducum Sabaudiæ, & Marchionum Montisferrati, atque Salutiarum accurate perſtringuntur ab an. Chriſti DXCIII. uſque ad MCCCCIX.* 419. LIX.

CODI-

Digitized by Google

CODICES LATINI.

In-Folio.

CODEX Primus *b.* VI. 42.

Membranaceus, constans foliis 512. sæculi XIV. omnes continet Divinæ Scripturæ libros eodem prorsus ordine, quo sunt in editione *Vulgatæ*, adjectis etiam S. Hieronymi præfationibus, & in fine Hebræarum vocum Latina interpretatione. Passim cernuntur imagunculæ auro, variisque coloribus pictæ.

CODEX II. *b.* VI. 43.

Membranaceus, foliis constans 547. sæculi XIV. crassiori scriptus charactere, & iconibus auro elegantissime pictis ornatus, in quo iidem Scripturæ Libri. Exstat initio epistola ad Sabaudiæ Ducem Carolum Emmanuelem I. a Jacobo Goria Italo sermone scripta, qua docemur, Codicem hunc venustissimum in Urbis Romæ direptione jussu Ducis Borbonii facta, sublatum a milite Gallo, ad manus *Collateralis* Guerilli primum perveniſſe; & postea a Guerillo dono datum Duci Sabaudiæ.

Ser.mo Signore.

Il Collateral Guerillo mi ha significato, che la Bibia scritta a mano da lui donata a V. A. Ser.ma fu presa, come intese da suo Padre nell ultimo Saccomano di Roma, e cio attestano le due chiavi in essa dipinte. (hæ claves in novâ Codicis compactione jam a multis annis facta miserrime deperditæ sunt) *Assai probabilmente venne il libro in potere di detto suo padre, perche lo fece levar di mano d' un Francese eretico allora residente nella presente citta, qual lo voleva disfare; e di gia aveva rimosso il foglio, che si vede fuori del suo luogo. Di questa opinione erano Monsieur di Brisac, & il Cardinale della Rovere, che lo desiderarono, ma non lo potero mai avere ne con dinari, ne con altro. Di piu l' istesso intese, che la sia stata scritta prima dell' uso della stampa, & à molto del verisimile, perche la fatica è immensa. Et io per me credo, che la si conservasse in Roma, per poter raccorrere in ogni tempo di correttione ad un testo intatto, & degno di fede. Ho voluto far sapere il tutto a V. A. accio, se cosi le pare, ne faccia notar memoria sopra la coperta.*

Di V. A. Ser.ma

Um.o, Fed.mo Serv. Giacomo Goria.

Cum antiqua tegumenta omnibus fere Codicibus MSS. multis abhinc annis imprudenter ablata fuerint, utrum earum rerum, de quibus agitur in epistola, codici appicta fuerit memoria, adfirmare non possumus.

Codicem cum editione Sixtina contulimus, neque ulla nobis se obtulit lectionis discrepantia.

CODEX III. *b.* VI. 45.

Membranaceus, folia habens 262. sæculi XIII. charactere scriptus grandiori, & elegantissimo, nec non figuris vario colore expressis conspicuus; sequentes continet Scripturæ libros: Pentateuchum, Josue, Judices, Ruth, & Jeremiam, cum ejusdem oratione. Initio primi folii dicitur Codex pertinuisse

Digitized by Google

tinuiſſe olim ad *Conventum Carthuſienſem e monte Benedicto.*

CODEX IV. *b.* VI. 46.

Membranaceus, conſtans foliis 104. ſæculi XIII. in quo PENTATEUCHUS, JOSUE, JUDICES, & RUTH. Cuique libro præmittitur præfatio S. HIERONYMI. Ex quibuſdam autem verbis, quæ initio Pentateuchi leguntur, facile fuit nobis conjicere, Codicem *Lectionarii* loco inſerviiſſe *Monachis Sanctæ Mariæ de Stapharda*, ad quos pertinebat: *Si in Septuageſime Dominica Purificatio Sancte Marie evenerit. Tres iſte lectiones infra* 11. *legantur. Si non ſequentes legantur.*

Folio inſuper primo exſtat Catalogus librorum, qui in dicto monaſterio *Sanctæ Mariæ de Stapharda* ſervabantur, & hujuſmodi eſt.

Liber Geneſis, & ceteri Moyſi. Sunt complures ſimul.
Quatuor libri Regum in uno volumine.
Iheremias. Daniel Propheta. Hiezechiel.
Et duodecim Prophete. Paralipomenon II.
Parabole Salomonis. Quatuor Evangelia.
Epiſtole Pauli. Et omnium Apoſtolorum.
Epiſtole S. Hieronymi.
Quadraginta Homelie B. Gregorii.
Moralia ſuper Job in partes.
Auguſtinus ſuper Johannem.
Auguſtinus ſuper Salterium.
Remigius ſuper Epiſtolas Pauli.
Gregorius ſuper Ihezechiel.
Joſephus Rodulphus ſuper Thobiam.
Epiſtole Pauli gloſate. Johannes gloſatus.
Matheus gloſatus. Lucas gloſatus.
Duodecim Prophete. Liber Exodus gloſatus.
Ambroſius de officiis. IIII^or *Pſalterii.*
Vita S. Gregorii. Dialagus S. Gregorii.
Liber Sermonum. Vitas Patrum.
Duo Libri Collationum. Prognoſtica Juliani.
Origenes ſuper Geneſis. Proſper de contemplatione.
Gregorius Nazanzenus. Vita Egyptorum.
Liber Paſtoraris. Hyſidorus de SS. Patrum.
Job gloſatus. Decreta. Paſſionarium SS.
Auguſtinus ſuper Epiſtolas Johannis. Epiſtole Canonice.
Enchiridion. Auguſtinus ad Paulinum.
Decuria mortuorum. Auguſtinus de Penitencia.
Vita Anſelmi. Liber Sancti Bernardi de conſideratione.
Liber Sancti Bernardi de Diſpenſatione. Duo lib.
Omelie xii B. Euſebii. Sermonum ejuſdem.
Vita Sancti Marcialis. Flores Evangeliorum.
Hiſtoria Clementis. Liber de Sacramentis Eccleſie.

CODEX V. *c.* VI. 4.

Membranaceus, conſtans foliis 221. ſæculo XIII. ſcriptus, & literis initialibus elegantiſſime pictis ornatus: continet libros JOBI, TOBIÆ, JUDITH, MACCHABÆORUM, Prophetias DANIELIS, EZECHIELIS, OSEÆ, JONÆ, MICHEÆ, NAUMI, ABACUCHI, SOPHONIÆ, AGGÆI, ZACHARIÆ, MALACHIÆ, ISAIÆ, Epiſtolas S. PAULLI ad *Romanos*, ad *Corinthios*, ad *Galatas*, ad *Epheſios*, ad *Theſſalonicenſes*, ad *Timotheum*, ad *Philemonem*, & ad *Hebræos*.

In fine hæc notantur: *Liber iſte correctus eſt.*

CODEX VI. *c.* VI. 5.

Membranaceus, habens folia 499. ſæculi XIV. iconibus auro, varioque colore expreſſis diſtinctus, in quo omnes SCRIPTURÆ libri, cum prologis S. HIERONYMI, & Latina interpretatione Hebræorum nominum.

CODEX VII. *c.* VI. 6.

Membranaceus, conſtans foliis 471. ejuſdem ſæculi XIV. eoſdem complectitur SCRIPTURÆ libros, cum interpretatione pariter Hebræorum nominum ſub finem. Adjecta eſt etiam Tabula Homiliarum, & Evangeliorum, quæ die-

Digitized by Google

diebus feſtis recitari debent, ſed ævo recentiori ſcripta.

CODEX VIII. c. VI. 7.

Membranaceus, foliis conſtans 245. ſæculi XIV. in quo ſacra iterum Biblia, additis in margine brevibus quibuſdam adnotationibus. In fine nonnulli ſunt Hymni, qui diebus feſtis cantari ſolent; eorum plerique jamdudum in Eccleſia exoleverunt.

CODEX IX. c. VI. 8.

Membranaceus, habet folia 143., ſæculi XIV. Eſt Psalterium grandiori, venuſtiſſimoque charactere ſcriptum, & ubique figuris auro contextis ornatum. Adduntur in fine *Preces, & Litaniæ Sanctorum*, paullulum iis diſſimiles, quæ nunc recitari ſolent. Præmittitur *Kalendarium Eccleſiaſticum*, & Pſalmorum index, qui a recentiore librario ſcriptus videtur: tum Anglica Inſcriptio, quam in latinum ſermonem reddebat olim Collega noſter amantiſſimus Johannes Paullus Ricolvi.

Hic liber pertinet nunc ad dominum Robertum Rich, cum aliquamdiu pertinuerit ad Oſvvaldum Fiſtch a Bocking virum, dum viveret, illuſtrem & dignum, qui toto vitæ ſuæ tempore neminem unquam læſit, qui hunc librum cum aliis multis ſponte ſua dedit ſuo fido ſervo Edvvardo Tekill., qui in gratiam ſui chari domini Oſvvaldi Fiſtch humiliter offert eundem domino Roberto Rich.

Illuſtriſſimo, & vere nobili Domino Roberto Rich Baroni Lezeenſi, cujus quotidie creſcit honor, ſapientia, amor, & benevolentia cum Deo, & hominibus. Pingues vitulos, & pingues oves ego non habeo, neque piſces, neque aves, neque eo minus quidquam tibi donari dignum. Hujuſmodi munera, Domine mi, a me proficiſci non poſſunt. Ego iis ea relinquo, quibus eſt copia agrorum, & qualia ego habeo, illuſtris nobilis Domine, talia ego dono, offerens ſervitutem meam, quamdiu vivam. Placeat itaque tibi hoc indulgere, ut donum meum, meam ſervitutem, meumque laborem lubenter accipias. Tuæ dominationi addictus tota vita mea Edvvardus Tekill.

CODEX X. c. VI. 9.

Membranaceus, conſtans foliis 175. ſæculi XIII. concinnis & venuſtiſſimis ornatus figuris, in quo Actus Apostolorum, Epistolæ Canonicæ, Apocalypsis Johannis Apostoli, & libri quatuor Regum.

CODEX XI. c. VI. 10.

Membranaceus, foliis conſtans 432. ſæculi XIV. in quo incerti auctoris Concordantiæ Bibliorum.

CODEX XII. c. VI. 11.

Membranaceus, foliis conſtans 335. ſæculi XIV. in quo pariter anonymi Concordantiæ Bibliorum, cum præfatione.

CODEX XIII. c. VI. 12.

Membranaceus, folia habens 144. ſæculi XIV. in quo liber Genesis, cum expoſitione allegorica, & myſtica ex SS. Patrum operibus ab anonymo ſcriptore excerpta.

CODEX XIV. c. VI. 13.

Membranaceus, conſtat foliis 143. ſæculi XIII. in quo liber Exodi, addito commentario ex SS. Patribus ab incerto explanatore decerpto, nec non *Gloſſa interlineari*.

CODEX XV. c. VI. 14.

Membranaceus, habens folia 134. ſæculi XIII. iconibus auro, varioque colore pictis diſtinctus, in quo ignoti interpretis Commentarius in Ezechielem, Danielem, & xii. Prophetas

Digitized by Google

Minores, cum *Gloſſa interlineari*.

CODEX XVI. *c.* VI. 16.

Membranaceus, ſæculi XIV. habet folia 296. in quo itidem anonymi interpretis Commentarius in Pentateuchum, in libros IV. Regum, II. Paralipomenon, Tobiam, Judith, Esther, Esdram, & in libros duos Macchabæorum. Singulis libris præmittitur prologus S. Hieronymi.

CODEX XVII. *c.* VI. 17.

Membranaceus, foliis conſtans 191. ſæculi XIV. in quo primum eſt Psalterium cum *Gloſſa*, & commentario ignoti ſcriptoris. Præit *Kalendarium Eccleſiaſticum*.

Fol. 166. pag. 2. *fides Catholica ab Athanaſio expoſita*; ſive Symbolum eidem Patri perperam adſcriptum, cum *Gloſſa*, quæ poſtea ab alio ſcriba adjecta videtur.

Fol. 167. *Litaniæ Sanctorum*, quæ cum ab illis, quæ tum in uſu ſunt Eccleſiæ, tum in tomo III. *antiquorum Eccleſiæ rituum* pag. 622. & 710. ab Edmundo Martene vulgatæ fuerunt, non parum differant; operæ pretium putamus earum partem exſcribere.

S. Sebaſtiane
S. Dionyſi cum ſociis ſuis
S. Maurici cum ſociis ſuis
S. Nichaſi
S. Euſtachi
S. Albane
S. Eadmunde
S. Leodegari
S. Alphege
S. Johannes & Paule
S. Gudberthe
S. Spithune
S. Dunſtane
S. Erkenrvalde
S. Remigi
S. Vedaſte
S. Amande
S. Botulphe
S. VVandregisle
S. Maria Magdalena
S. Felicitas
S. Fides
S. Spes
S. Charitas
S. Oſytha
S. Athelarytha
S. Athelburga &c.

Litanias ſequuntur conſuetæ preces, quarum ultima

Deus qui es ſanctorum tuorum ſplendor mirabilis atque lapſorum ſublevator inenarrabilis. fac nos famulos tuos Sanctae Dei Genetricis Mariae. & omnium Sanctorum tuorum ubique tueri praeſidiis. nec non familiaritate atque conſanguinitate & oratione nobis conjunctis. & omni populo chriſtiano cunctis inſidiis fallacis inimici depulſis concede ad celeſtem patriam redeundi aditum. ac defunctorum omnium fidelium ſacri baptiſmatis unda renatorum animabus quietem perfrui ſempiternam.

CODEX XVIII. *c.* VI. 18.

Membranaceus, conſtans foliis 166. ſæculi XIV. in quo *Gloſſa* in Evangelium SS. Matthæi, & Marci, addita etiam *interlineari* interpretatione abſque interpretis nomine.

CODEX XIX. *c.* VI. 19.

Membranaceus, cui folia 198. ſub finem ſæculi XIV. ſcriptus, continet *Magiſtri Sententiarum* commentarium in omnes Epiſtolas S. Paulli. Præmittitur præfatio, quæ incipit: *Principia rerum requirenda ſunt prius. ut earum noticia plenior poſſit haberi &c.*

Sunt paſſim adnotationes in margine, ſed recentioris manus.

CODEX XX. *c.* VI. 20.

Membranaceus, habens folia 274. elegantiſſimis, & auro pictis diſtinctus figuris, quæ ſane numero paucæ non ſunt,

Digitized by Google

ſunt, ſæculo XIV. ſcriptus, eundem complectitur *Magiſtri Sententiarum* in Epiſtolas Divi PAULLI Commentarium.

In fine

Explicit hic Petri gloſarum meta magiſtri
Que prodent dictis ac viribus utilitatem
Sunt admirantes has omnes aſpicientes
Legitur obſcura ſapienter literatura
Pauli doctoris quem rexit virtus amoris
Summa Dei noſtri. gloſſis preſentibus iſtis
Functus officio laudis fuit iſte labore
Unde manens omni cunctorum dignus honore.

CODEX XXI. c. VI. 21.

Membranaceus, conſtans foliis 189. ſæculi XV. & ſtemmate Cardinalis a *Ruvere* inſignitus. Eſt S. THOMÆ AQUINATIS Catena in Evangelium SS. LUCÆ, & JOHANNIS. Variantes nonnullas lectiones ab editis *Angelici Doctoris* operibus identidem obſervavimus: habeto ſpecimen ex præfatione ſumtum.

In edit. Rom. pag. 134.

Inter cætera Incarnationis Chriſti myſteria, quæ Iſayas Propheta diligenter, & aperte prænunciat, dicit, induam cælos tenebris &c. Iſay. 50. ex quibus verbis accipere poſſumus Evangelii ſecundum Lucam materiam, modum ſcribendi, finem, & conditionem ſcriptoris. Unde per vitulum ſignificatus eſt propter maximam victimam Sacerdotis &c.

In Cod.

Inter caetera Incarnationis Chriſti myſteria quae Iſayas Propheta diligenter & apte praenunciat. dicit. Induam celos tenebris & ſaccum ponam operimentum eorum &c. ex quibus verbis nos accipere poſſumus Evangelii ſecundum Lucam materiam modum ſcribendi finem & conditionem ſcriptoris. Auguſt. de Conſ. Evangel. Lucas enim circa Sacerdotalem Domini ſtirpem atque perſonam magis occupatus videtur. Unde per vitulum ſignificatus eſt propter maximam victoriam Sacerdotis &c.

CODEX XXII. c. VI. 22.

Membranaceus, folia habens 284. ſæculi XV. in quo pariter S. THOMÆ AQUINATIS catena in Evangelium SS. MATTHÆI, & MARCI. Variantes & hìc ſunt lectiones, ſed non multi momenti.

In fine

Expliciunt Evangelia Thomæ ſuper Marcum 1468.

Fol. ult. additur Teſtamentum S. FRANCISCI *Aſſiſiatis*, in quo eſt invocatio, quæ non legitur in editione operum S. Franciſci anno 1739. & ejuſmodi eſt.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti amen. Dominus ita dedit fratri franciſco incipere faciendi penitentiam. quia cum eſſem in peccatis nimis mihi videbatur amarum videre leproſos. Et ipſe Dominus conduxit me inter illos & fecit miſericordiam cum illis &c.

CODEX XXIII. c. VI. 23.

Membranaceus, conſtans foliis 246. ſæculi XV. eſt itidem S. THOMÆ AQUINATIS catena in Evangelium S. MATTHÆI.

CODEX XXIV. d. III. 1.

Membranaceus, conſtans foliis 125. ſæculi XIII. in quo liber ISAIÆ PROPHETÆ, cum prologo S. Hieronymi.

Fol. 63. Liber IEREMIÆ PROPHETÆ, cum prologo S. HIERONYMI.

CODEX XXV. d. III. 9.

Membranaceus, cui folia 157. ſæculi XII. continet quatuor EVANGELIA, quibus præmittitur Epiſtola S. Hieronymi ad Damaſum Papam, cum tabulis harmonicis, & capitulis eorumdem Evangeliorum.

In fine hæc leguntur.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Domino noſtro Chunrado Imperatore

Digitized by Google

tore anno imperii ejus domino propicio quinto. XIV. Kal. decembris Indict. XV. Nos in Dei nomine Odolricus qui & Manifredus Marchio filius quondam. itemque Magnifredi similiterque Marchionis. Et Berta Dei gratia Comitissa Viralis filia bone memorie Alberti similiter Marchionis. Cætera ab iniqua manu abrasa fuerunt.

CODEX XXVI. *d.* III. 3.

Membranaceus, constans foliis 122. circa finem sæculi XIII. Est liber Exodi, cum variorum expositionibus, præsertim ex SS. Augustino, & Hieronymo excerptis; item cum *glossa interlineari*.

CODEX XXVII. *d.* III. 19.

Membranaceus, habens folia 102. sæculi XIV. in quo Johannis *de* Rupella Commentarius in *Isaiam*, *Jeremiam*, *Jobum*, *Ezechielem*, *Danielem*, *Abdiam*, *Abachuc*, *Sophoniam*, *Aggæum*, *Malachiam*, *Joelem*, *Jonam*, in librum *Numerorum*, in Epistolas S. *Paulli*, & in quatuor *Evangelia*.

Fol. 73. ejusdem Tractatus de *Æternitate Dei*, *& Mundi Creatione*.

Fol. 90. ejusdem Tractatus de *Prædestinatione*.

Fol. 98. ejusdem Tractatus de *Resurrectione mortuorum*.

CODEX XXVIII. *d.* III. 20.

Membranaceus, constans foliis 156. sæculi XIV. Continet Historiam *Scholasticam* Petri *Presbyteri Trecensis*, ut est in epistola operi præfixa, Willelmo Senonensi Archiepiscopo inscripta.

Initio dicitur Codex ex ipso Autoris autographo transcriptus fuisse.

CODEX XXIX. *d.* III. 28.

Membranaceus, constat foliis 236. sæculi XIV. Est anonymi interpretis commentarius in Evangelium S. Matthæi. Præmittitur prologus, qui incipit: *Sicut legitur in Exodo duo erant Cherubin &c.*

Sunt in margine adnotationes rubro colore distinctæ. Fortasse commentarius est Francisci Tilmanni, quem jamdiu periisse affirmat Dupinius tomo XI. *Bibl.* pag. 90.

CODEX XXX. *d.* III. 32.

Membranaceus, habens folia 149. sæculi XIV. in quo anonymi interpretis *Postilla in Epistolas* S. Paulli, cujus initium: *Quatuor prime Epistole sunt de utilitate membrorum Ecclesie &c.*

CODEX XXXI. *d.* III. 36.

Membranaceus, cui folia 155. sæculi XV. plurima continet opuscula.

Primo loco Tertulliani *Apologeticon contra Gentes, & de Seculi disciplina*.

Fol. 34. Ægyptum Alexandrinum e Græco in Latinum Sermonem conversum a Fratre Ambrosio *Florentino*, qui floruit anno 1143.

Hanc interpretationem omisit in sua Bibliotheca Dupinius, recensens opera fratris *Ambrosii* monachi Camaldulensis tomo XII. pag. 92. Consulendi tamen Oudinus tomo III. pag. 2443. & Julius Negri de *Scriptoribus Florentinis*, qui de libris editis ab *Ambrosio* monacho multa scribunt.

Fol. 47. Leonardi Aretini orationem in Laudem *cl. viri Nannis Strozzæ Equitis Florentini*, quam edidit Baluzius tomo III. *Miscell.* pag. 226.

Fol. 58. librum Lactantii de *Ira Dei*, præmisso capitum indice.

Fol. 82. ejusdem Lactantii librum *de Dei Opificio*.

Fol. 104. librum Petri Pauli Vergerii *ad Ubertinum Carrariesem de ingenuis moribus, & liberalibus studiis*.

Fol. 126. ejusdem Vergerii *Invectivam in Carolum Malatestam pro dejecta Virgili Statua ad Illustrem Imolæ Dominum*

Digitized by Google

num Ludovicum Alidosium. Incipit: *Non est apud quem querar Vir magnifice nisi apud Te &c.* Similem codicem MS. servari in Bibliotheca Vaticana, testatur Muratorius *Rer. Ital.* tomo XVI. pag. 113.

Fol. 131. LEONARDI ARETINI *ad Johannem Franciscum Gonzagam Principem Mantuanorum de Origine Urbis Mantuæ.* Inter anecdota *Aretini* opuscula recenset Julius Negri de *Scriptoribus Florentinis* pag. 354.

Fol. 138. ejusdem ARETINI *Orationem in Hipocritas*, quæ pluries edita, postremum ex Codice *Magliabecchiano.*

Fol. 144. ejusdem Epistolam *ad Nicolaum Nicoli*, quæ incipit: *Egisti mecum pro cetera tua diligentia ac vetustarum rerum eximia cura &c.*

Fol. 148. ejusdem Epistolam *ad Johannem Nicole*, cujus initium: *Admiratum dixisti doctum quemdam Virum qui in ethicorum interpretatione quam nuper edidi* &c.

Fol. 150. ejusdem Epistolam ad *Nicolaum Nicoli*, cujus initium: *Si que hic agantur queve dicantur te curare putarem* &c. Edidit nuper omnes ARETINI Epistolas Cl. Vir Laurentius Mehus.

Fol. 153. pag. 2. *Epitaphium Achillis* constans duodecim versibus.

Pelidis ego sum Tetidis notissima proles
Cui virtus clarum nomen habere dedit &c.

Sequitur Epitaphium Hectoris, decem comprehensum versibus.

Defensor Patriæ juvenis fortissimus Hector
Qui murus miseris civibus alter erat &c.

Fol. 154. Epistolam *Ducis Mediolani Francisco Sfortiæ Comiti* scriptam. Incipit: *multis efficacissimis rationibus comprobare possumus illustris ac magnifice gener & fili noster charissime nihil esse quod magis unumquemque deceat* &c.

CODEX XXXII. *d.* IV. 2.

Membranaceus, sæculi XV. habet folia 263. in quo S. CÆCILII CYPRIANI Epistolæ, alio, quam sunt in editis, ordine dispositæ, & cum nonnullis variantibus lectionibus, quæ parvi tamen momenti.

Fol. 245. ejusdem liber de *Idolorum vanitate*.

Fol. 248. Oratio de *die Passionis*, falso D. *Cypriano* tributa.

Fol. 249. Vita S. *Cypriani* a Pontio ejus Diacono scripta.

Fol. 256. *S. Cypriani Passio & mors.* Multæ nobis legentibus occurrerunt lectionis discrepantiæ, & quidem statim ab initio: namque

In edit. incipit

Imperatore Valerio, & Gallieno tertium Consulibus, tertio calendarum Septembrium Carthagine in Secretario Paernus Proconsul Cypriano Episcopo dixit: Sacratissimi &c.

In Cod.

Tusco & Basso Consulibus Carthagine in Segretario Patrinus Proconsul Cypriano Episcopo dixit. Sacratissimi &c.

Fol. 257. Hymnus *de Paschate*, in editis operibus inscriptus Hymnus de *Cruce*, falso etiam S. Cypriano tributus.

Fol. 158. pag. 2. *Coena*, quæ falso itidem D. Cypriano adscribitur. Hæc in editis S. Cypriani operibus soluta oratione descripta est; in nostro autem codice metro continetur.

Primos itaque octo versus damus.

Quidam nomine Zoel Rex Orientis maximus
In Cana Galileae faciebat nupcias
Invitans ad Cenam dignatus frequentia
Qui Jordane se lavantes currunt ad convivium.
*Tunc Neeman commundavit * Amos aquas sparserat*
Jacobus Andreas feni detulerunt copiam
Mathaeus Petrus straverunt. mensam ponit Salomon
Misticis implendam cibis tropicisque ferculis &c.

Addimus etiam postremos versus, utpote qui autorem poematis nobis indicare videantur.

Hec cantabat Pape Tassus solio Cornelii
Graphium tenens victis jam retunsum digitis

Et

Digitized by Google

Et detritis ludibundus ſcribebat in tabulis.

Nonnullas præterea obſervavimus variantes lectiones, quæ ſi conferantur, non tam parvi videbuntur momenti.

* *Commundavit.* Cod Taur. comprobat mirifice lectionem Cl. Morellii.

Fol. 262. pag. 2. *Verſiculi Domini Johannis de Cœna S. Cypriani martyris.* Incipiunt:

Quique cupitis ſalutantem me Johannem cernere

Nunc cantantem auditote. Jocantem attendite &c.

Fol. 263. ſequuntur alii *verſiculi* ejuſdem *Johannis.*

Unde gaudens letabatur Imperator Karolus

Cum Francigenis Poetis cum Gallis bibentibus

Ridens gaudet Gaudericus ſopinus in lectulo

Zacharias admiratur &c.

In fine Codicis.

Completum hoc Sacrum per me Philippum ad contemplationem Reverendiſſimi Domini Marci Barbi & Apoſtolice ſedis gratia Epiſcopi Tarviſini 1459. *Laus Triumphanti. Pax Eccleſie militanti.*

CODEX XXXIII. *d.* IV. 3.

Chartaceus, foliis conſtans 120. mutilus fine, ſæculi XV. in quo Epiſtolæ S. Cypriani.

CODEX XXXIV. *d.* IV. 4.

Membranaceus, conſtans foliis 223. ſæculi XV. Habentur in eo Lactantii firmiani *Divinarum Inſtitutionum lib. VII. adverſus gentes de falſa Religione.* Capitula elegantiſſimis picturis diſtincta ſunt, & ſingulis ſummarium præfigitur; additis identidem adnotationibus in margine.

CODEX XXXV. *d.* IV. 5.

Membranaceus, habens folia 216. ſæculi XV. ſtemmate decoratus Cardinalis a *Ruvere*, in quo ejuſdem Lactantii Firmiani *Divinarum Inſtitutionum lib. VII.*

Fol. 182. *pag.* 2. ejuſdem *de Ira Dei ad Donatum liber.*

Fol. 200. ejuſdem *de Opificio Dei ad Demetrium liber.* In nonnullis diſcrepat ab editis, ſed hæc, ut animadvertimus, leviſſimi ſunt momenti.

CODEX XXXVI. *d.* IV. 6.

Membranaceus, conſtans foliis 326. ſæculi XV. ob characteris venuſtatem, & ornamenta elegantiſſimus; ejuſdem Lactantii complectitur primo loco *Inſtitutiones.*

Fol. 276. *pag.* 2. *librum de Ira Dei ad Donatum.*

Fol. 303. *librum de Opificio hominis ad Demetrium.*

Teſtimonia Græcorum, quæ a *Lactantio* citantur, ſingula loco ſuo poſita ſunt, ſed ab altera manu. Hæc in antecedenti codice deſiderabantur, addita tamen fuit in margine Latina eorundem interpretatio.

CODEX XXXVII. *d.* IV. 7.

Membranaceus, cui folia 292. ſæculi XV. Eadem prorſus continet Lactantii opera, quæ in antecedentibus. In margine ſcripta eſt Græcorum textuum, qui citantur a *Lactantio*, Latina interpretatio. Initio autem codicis effigies cernitur *Lactantii* auro, minioque picta.

CODEX XXXVIII. *d.* IV. 11.

Membranaceus, conſtans foliis 208. ſæculi XV. in quo primum S. Hilarii *Pictavienſis Epiſcopi Tractatus in Pſalmos.* Idem omnino eſt ordo, qui in editione Pariſienſi *Monachorum S. Benedicti.* Deſideratur tamen dimidia pars Pſalmi CXLIX. & integer Pſalmus CL.

Fol.

Digitized by Google

Fol. 104. ejuſdem S. HILARII *contra omnes Haereſes de Sancta Trinitate libri* XII.

Fol. 195. ejuſdem S. HILARII *liber de Synodis contra omnes haereſes*. Titulus hujusce libri optime convenit cum eo, qui legitur in MSS. codicibus *Carnotenſi*, *Silvæ-majoris*, & S. *Remigii* Rhemenſis, ut colligere eſt ex adnotationibus *PP. Benedictinorum* pag. 1150. Abſolvitur autem his verbis: *Homouſion Grecum eſt. Interpretatio Homouſion unius Subſtantie. & Homoeuſion ſimilis ſubſtantie, ſed per Homouſion oportet intelligi*. Quæ quidem verba *Studioſi potius alicujus notam eſſe, quam autoris*, optime animadverterunt laudati Patres Maurini in adnotatione ad finem.

Ceterum venuſtiſſimis imagunculis codex ornatus eſt, nec non ſtemmate Cardinalis a *Ruvere*. Nonnullæ occurrunt etiam variantes lectiones, quæ tamen haud magni faciendæ videntur. E. G. hæc verba, quæ in *editione Pariſienſi* pag. 1195. leguntur in adnotationibus, in noſtro Codice textui inſerta ſunt: *Prudentia veſtra expendite quid ſit a Sanctiſſimis viris poſcere, ut cum bona venia audiant dicentem.*

CODEX XXXIX. *d.* IV. 12.

Membranaceus, cui folia 208. ſæculi XV. characteris elegantiſſimi, iconibus præterea auro, varioque colore depictis ornatus, continet S. HIERONYMI Epiſtolas. Prima eſt ad *Heliodorum Monachum*. Quædam paſſim variantes lectiones occurrunt, ſed levis momenti.

CODEX XL. *d.* IV. 14.

Membranaceus, conſtans foliis 198. ſæculi XIV. in quo pariter Epiſtolæ S. HIERONYMI.

Fol. 193. Epiſtolæ ejuſdem ad Euſtochium *de Virginitate ſervanda*, cui additur tanquam appendix *Regula Monacharum*, perperam *Hieronymo* adſcripta.

Initio codicis hæc alterius ſcriptoris manu exarata leguntur.

Sum Matthaei Franci Praepoſiti Brigae dono miſſus a Neceſſario Genua Brigam IV. non. Februarii anni 1477.

CODEX XLI. *d.* IV. 15.

Membranaceus, ſæculi XV. habet folia 308. Eaſdem complectitur S. HIERONYMI Epiſtolas, quarum præmittitur index.

CODEX XLII. *d.* IV. 16.

Membranaceus, conſtans foliis 153. ſæculi XIV. & literis initialibus minio perbelle pictis ornatus. Continet primum S. HIERONYMI Commentaria in Evangelium S. MATTHÆI.

Fol. 74. Commentaria ejuſdem, ut vulgo tribuuntur, in Evangelium S. MARCI.

Fol. 91. ejuſdem Commentaria in Eccleſiaſten.

Fol. 143 *pag.* 2. eſt Tractatus primus in Cantica Canticorum ORIGENIS.

Fol. 145. Tractatus II. in Cantica Canticorum ejuſdem ORIGENIS.

CODEX XLIII. *d.* IV. 17.

Membranaceus, cui folia 80. ſæculi XIV. Eſt Commentarius in Epiſtolam S. PAULLI *ad Romanos*, ſine interpretis nomine, cujus initium: *Cum adjutorio Domini Salvatoris ſumimus exordium in expoſitionem epiſtolarum Pauli &c.*

CODEX XLIV. *d.* IV 18.

Membranaceus, conſtans foliis 52. ſæculi XIV. in quo S. HIERONYMI *Presbyteri* Commentarius in *Hieremiam* Prophetam.

CODEX XLV. *d.* IV. 20.

Membranaceus, habens folia 192. circa finem ſæculi XIII. ſcriptus. Con-

Digitized by Google

tinet ſermones S. AUGUSTINI in Pſalmos. Numero ſunt undeviginti, & a Pſalmo CI. incipiunt. Multæ ſunt variantes lectiones, quæ ſi cum editis comparentur, alicujus ponderis eſſe poſſunt: unam, aut alteram ſpeciminis gratia damus.

In edit. initio Pſalmi CI.

Quid ergo illo ditius, per quem factæ ſunt divitiæ, etiam illæ, quæ non ſunt veræ divitiæ? per illum enim & illæ divitiæ, ingenium, memoria, mores, vita, ipſius corporis ſanitas, ſenſus, conformatioque membrorum &c.

In Cod.

Quid ergo illo divitius per quem facta ſunt. Quid ergo illo divitius per quem factae ſunt divitiae. Etiam illae quae non ſunt verae divitiae. Ingenium. Memoria. Vita. ipſius corporis ſanitas. Senſus. Confirmatioque membrorum &c.

In edit. initio 2. partis Pſalmi CI.

Heſterno die audivimus cujuſdam pauperis gemitum in oratione, eumque eſſe cognovimus, qui propter nos pauper factus eſt, cum dives eſſet, eique membra cohærentia &c.

In Cod.

Eſterno die audivimus cujuſdam pauperis gemitum in oratione. Eumque eſſe cognovimus qui propter nos pauper factus eſt. Cum dives eſſet ut illius paupertate ditaremur. eique membra cohaerentia &c.

CODEX XLVI. *d.* IV. 21.

Chartaceus, conſtans foliis 64. ſæculi XV. in quo ſermones in Evangelium S. Johannis perperam S. AUGUSTINO adſcripti. Incipiunt a Sermone XLVII. uſque ad CCVIII.

Fol. 41. Fragmentum Hiſtoriæ *Scholaſticæ* a capite CXXXI. uſque ad caput CCIX.

Fol. 49. Expoſitio in Evangelium S. MATTHÆI *de paſſione Chriſti Domini*, ſine autoris nomine, cujus initium: *Sequitur Matheus. Et ſciendum eſt cum conſummaſſet Thefus Sermones hos omnes* &c.

CODEX XLVII. *d.* IV. 23.

Membranaceus, conſtans foliis 145. ſæculi XIV. in quo S. AUGUSTINI *de Civitate Dei* libri XXII. Præmittuntur cuique libro capitula.

CODEX XLVIII. *d.* IV. 24.

Membranaceus, conſtans foliis 187. ſæculi XII. Continet EUSEBII *excerpta ex operibus S. Auguſtini*. Præmittitur ejuſdem Euſebii præfatio, quæ incipit: *Domine merito venerabili, & fluctu ſacre virginitatis in Chriſti gratia ſemper illuſtri. ac per omnia Probe. Euſepius omnium Servorum Dei famulus in Domino ſalutem dicit. Excerptorum codicem quem de nonnullis operibus S. Auguſtini cohortante domino meo Marino Abbate ut cęteris fratribus quomodocunque compegeram. Transferri Verbo Sancto quo polletis ſtudio voluiſtis* &c.

Poſt præfationem ſequitur *Excerptorum* index.

Hic EUSEPIUS, ſive EUSEBIUS, qui *excerpta* ex Operibus S. Auguſtini in gratiam Virginis Probæ collegit, & in centum triginta octo capita diſtribuit, appellatur ab Oudino tomo I. pag. 990. EUGYPPIUS, & dicitur *Abbas Africanus, dignitate Presbyter*. Huic autem *Excerptorum* collectioni inditum eſt *Theſauri* nomen; & prodiit Baſileæ anno 1542. & Venetiis anno 1543. unde fragmenta nonnulla in editiones tranſierunt Operum S. Auguſtini.

In noſtro Codice recenſentur capita tercenta & quinquaginta duo. Sed cum *Eugyppii Theſaurus* nobis præſto non ſit, certo definire non poſſumus, num vere ejus *Excerpta* in Taurinenſi codice plura numero ſint, quam in editis exemplaribus, vel potius, num ex capitum inverſione, quod plerumque fieri ſolet, impar eorum numerus excreverit.

Notanda denique ſunt, quæ in primo Codicis folio ex adverſa parte leguntur: nimirum *Sacramentum*, licet initio mutilum, quo ſe obſtringebant ii,

ad

Digitized by Google

ad quos electio Episcopi Januensis spectabat: *nec pro amore vel parentela. vel per milliones. sed ego secundum Deum. & statuta sanctorum canonum sine dolo eligam Episcopum in Januensi Ecclesia. quem meliorem secundum sanctos praedictos canones invenire potero.*

CODEX XLIX. *d.* IV. 26.

Chartaceus, saeculi XIV. constat foliis 147. Habentur in eo CASSIANI *Collationes*.

Ad calcem: *Expliciunt decem Collationes Patrum.*

CODEX L. *d.* IV. 27.

Membranaceus, constans foliis 184. saeculi XIII. in quo pariter CASSIANI *Collationes*. Codicem cum editis exemplaribus ab *Alardo Gazaeo* conferentes, variantes passim observavimus lectiones. Sit specimen primo ex *praefatione* sub initium.

In edit.

Ministerio ejus, ac dispositione perfecit.

In Cod.

Ministerio ejus, ac dispensatione perfecit.

In edit. ex cap. 2.

Quorum prior in veteri Testamento virginitatis jam flores, & castimoniae continentiaeque praefigurabat exempla.

In Cod.

Quorum prior qui in veteri Testamento Virginitatis jam pluribus. & castimonie continentieque prefigurabat exempla.

In edit. sub finem cap. 3.

Quia nisi insolens sit diversitas, non offendit inaequalitas.

In Cod.

Quia nisi sit insolens diversitas, non offendit equalitas.

Animadvertimus praeterea duo capita libri primi XI. & XII. quae sunt in Codice Taurinensi, desiderari in CASSIANI operibus editis, ut diximus, ab *Alardo Gazaeo* anno 1628., quae quidem parati eramus omnia exscribere, cum utrumque caput forte fortuna deprehendimus adjectum editioni ejusdem CASSIANI *Romanae* anno 1611.

In Taurinensi tamen codice summarium cuique libro praemittitur, quod in utraque editione desideratur.

CODEX LI. *d.* IV. 28.

Membranaceus, cui folia 102. saeculi XIII. Easdem complectitur CASSIANI *Collationes*, sub hoc titulo: *In nomine Summi Dei incipit Regula Johannis Cassiani de Institutionibus & Regulis Monachorum. & de exercitiis spiritualibus.* Et hic Codex in multis discrepat ab editis cura *Alardi Gazaei*; tum cuique libro, ut in antecedenti, *Summarium* praefigitur.

In fine haec a recentiore librario adjecta leguntur.

Martinus Lefranc Praepositus Ecclesiae Lausanensis Sedis Apostolicae Protbonotarius olim Felicis *Papae V. Secretarius inclyti hujus Coenobii Novalicienfis administrator perpetuus anno* 1459.

His subjicitur Stemma dicti Praepositi Lausanensis.

CODEX LII. *d.* IV. 29.

Membranaceus, saeculi XV. habens folia 201. stemmate praeterea Cardinalis a *Ruvere*, & initialibus aureis literis ornatus, continet S. LEONIS Papae Epistolas. Prima est ad *Eutychem*, quae in editis operibus XIX. numeratur.

Aliquot variantes lectiones occurrunt in *Consulum fastis*, qui ad finem epistolarum signantur. Habe exemplum in epistola, quae proxime sequitur, ad *Flavianum Episcopum Constantinopolitanum*.

In edit.

Datum XII. kal. Martii. Asterio & Protogene Viris Cl. Consulibus.

In Cod.

Datum XII. Kal. Maii. Asterio & Protogene IIII. Consulibus.

Fol. 81. Ejusdem S. LEONIS Papae

Digitized by Google

Sermones, eo fere ſemper ordine, quo in editione *Queſneliana* anni 1700.

In margine primi folii hæc adnotantur, poſteriori ævo ſcripta.

Leo primus iſte fuit natione Tuſcus, qui fuit tempore Attilae: flagellum Dei. hic vixit ann. XXI. *menſes* I. *dies* XIII.

CODEX LIII. *d.* IV. 30.

Membranaceus, ſæculi XI. conſtans foliis 201. continet integrum S. Isidori *Hiſpalenſis Originum*, ſeu *Etymologiarum* opus, in decem, & ſeptem libros diſpertitum. In exemplaribus autem editis a *Jacobo du Breul* anno 1601. libri numerantur XX. Nihilo tamen ſecius in noſtro codice nihil deſideratur: immutatus eſt dumtaxat capitum ordo, immixtis, ut fieri plerumque ſolet, unius libri cum ſequentis capitibus, ſervata ſemper rerum, de quibus agitur, ſerie, atque diſpoſitione.

Magna porro eſt lectionis diſcrepantia. Et primo quidem *Jacobus du Breul* quinque tantum edidit epiſtolas ab *Iſidoro* ad *Braulionem*, & a *Braulione* ad S. *Iſidorum*, invicem ſcriptas.

In codice autem Taurinenſi ſub initium habetur ſexta, quæ incipit: *Iſidorus ad Braulionem, omni deſiderio deſideravi nunc videre faciem tuam &c.* quam quidem eruditiſſimus P. Benedictinus edidit inter ceteras ejuſdem S. *Iſidori* epiſtolas pag. 694.

Ad lectionis diſcrepantias quod ſpectat, ſatis erit nonnullas ſpeciminis gratia ſubjicere. Innumeræ enim prope ſunt.

In edit. ex lib. I. cap. I.

Unde & ſcientia dici poteſt; nam ſcire dictum eſt a diſcere; quia nemo noſtrum ſcit, niſi qui diſcit: aliter dicta diſciplina, quia dicitur plena.

In Cod.

Unde & ſcientia dici poteſt. nam ſcire dictum a diſcere. quia nemo noſtrum ſcit, niſi qui diſcit: aliter dicta diſciplina. quia diſcitur plena.

In edit. ex cap. IV.

Quia eas tantum illi noverant, qui libros conſcribunt, rectèque loquendi, dictandique rationem noverunt.

In Cod.

Quia eas tantum illi noverunt qui libros conſcribunt. rectèque loquendi. dictandi. diſcendique rationem ſciunt.

In edit. ex cap. 20.

Præterea quædam ſententiarum notæ.

In Cod.

Preterea quaedam ſcripturarum notae.

In edit. Caput XXI. lib. II. abſolvitur his verbis.

Ut aliud interim nos non permittant dicere.

In Cod. autem hæc adduntur.

Sic quoque pro Salomone Sapientia dicit. Scribe legem dupliciter. & tripliciter in corde tuo. Dupliciter enim ſentitur lex. ut primum ſecundum hiſtoriam. deinde ſecundum Sacramentorum intelligentiam ſentiatur. Tripliciter autem ſcribitur. Dum non ſolum iſtorialiter vel miſtice. ſed & moraliter quid in unumquemque gerere debeant edocetur. Unde & archa quę conſtruebatur a Noe bicamerata & tricamerata fieri jubebatur. Quod inter Eccleſiam omnis legis miſteria. ideſt hiſtorie locum habeant. & miſticum ſenſum recipiant. & informationem eorum contineant. in Parabolis enim & enigmatibus ſcripta eſt lex. & ipſe parabole & propoſitiones habent miſticas expoſitiones. Hinc eſt quod Judeis obtecta & clauſa ſunt omnia. Qui niſi crediderint ad eorum intelligentiam pervenire non poſſunt.

In edit. ex cap. VI. lib. III.

Omnis numerus aut ſecundum ſe conſideratur, aut ad aliquid refertur. Iſte, qui eſt ſecundum ſe, dividitur ſic; alii enim ſunt æquales, ut duo: alii ſunt inæquales, ut tres. Iſte, qui refertur ad aliquod, dividitur ſic: alii ſunt majores, ut duo: alii ſunt minores, ut unum; duo enim ad unum duplum. Majores dividuntur ſic: multiplices ſuper particulam, ſuper partientes, multiplices ſuper particulares, multiplices ſuper partientes &c.

In Cod.

Omnis numerus aut ſecundum ſe conſideratur aut ad aliquid. Iſte dividitur ſic:

alii

Digitized by Google

SPECIMEN CHARACTERIS

LIBRI NUMERORUM
S. ISIDORI HISPALENSIS.

COD. LIII. *d.* IV. 30.


Quid sit Hvmervs.

Non est
superfluū. numerorum
causas inscripturis
scīs attendere. habēt
enī quandam scientię doctrinam.
plurimaq; mistica sacramenta.
Hinde regulas quorūdam numerorꝝ.
ut uoluisti placuit breuit intima
re. Inprincipio autemquid sit nume
rus diffiniendum est Hjumerusē.

QUID SIT NUMERUS.

NON EST superfluum numerorum causas in scripturis sanctis attendere. habent enim quandam scientię doctrinam. plurimaque mistica sacramenta. proinde regulas quorundam numerorum ut voluisti placuit breviter intima-re. In principio autem quid sit nume-rus diffiniendum est. Numerus est.

Digitized by Google

Digitized by Google

alii enim sunt æquales. alii inæquales. iste dividitur sic. alii sunt majores. alii sunt minores. majores dividuntur sic. unum multiplex. duo super particulares. tres super partientes. quatuor sub multiplices. sub super particulares. quinque sub multiplices. sub super partientes &c.

Fol. 128. Est Schema Orbis Geographicum elegantissime pictum, a laudato *Jacobo du Breul* omissum, forte quod in Codicibus MSS. quibus usus est, omnino desideraretur.

Fol. 193. ejusdem S. Isidori *Hispalensis* Liber Numerorum, præmisso capitum indice. Hunc librum ignoravit *Dupinius*, qui nullibi in sua *Bibliotheca* ejus mentionem facit. Olim tamen extitisse tamquam genuinum fœtum S. Isidori, testis est *Braulio* ejusdem *Isidori* discipulus, qui inter opera magistri sui eum recensuit, ut constat ex *prænotatione librorum* S. Isidori facta a memorato *Braulione*, quæ legitur initio editionis *Jacobi du Breul*. Oudinus itaque tomo I. pag. 1595. & Cave tomo I. pag. 549. affirmare nihil dubitant, Librum Numerorum S. *Isidori* penitus e manibus hominum evanuisse. *Agebat S. Doctor in eo de numeris*, inquit Oudinus, *propter Numeros Ecclesiasticis Scripturis insertos*. Integrum nos fortunantibus Superis in Codice nostro habemus, & integram idcirco ejusdem analysim hoc loco tradere operæ pretium existimavimus; donec aut inter Anecdota publici juris faciamus, aut novam hujus MSS. codicis ope paremus S. Isidori editionem.

Liber in viginti, & sex capita distribuitur. Præit ejusdem S. Isidori præfatio, quæ incipit: *Non est superfluum numerorum causas in Scripturis sanctis attendere. Habent enim quamdam scientiæ doctrinam. Plurimaque mistica Sacramenta. proinde regulas quorundam numerorum. ut voluisti placuit breviter intimare* &c.

Caput I. Quid Sit Numerus. Incipit: *non est superfluum Numerorum causas in Scripturis Sanctis attendere* &c.

Caput II. De Unitate, cujus initium: *unitas est pars minima numerorum.*

Caput III. De Binario Numero, cujus initium: *Binarius numerus prima numerorum procreatio* &c.

Caput IV. de Ternario Numero, cujus initium. *Ternarius princeps est imparium numerus* &c.

Caput V. de Quaternario Numero. Incipit. *Quid quattuor dicam. In quo numero soliditatis certa perfectio est* &c.

Caput VI. de Quinario Numero. Incipit. *Sequitur quinarius numerus. Qui sive cum aliis imparibus* &c.

Caput. VII. de Senario Numero. Incipit. *Senarius numerus primus, & perfectus* &c.

Caput VIII. de Septenario Numero. Incipit. *Septenarius numerus a nullo nascitur* &c.

Caput IX. de Octonario Numero. Incipit. *Octonarius primus, & perfectus est* &c

Caput X. de Novenario Numero. Incipit. *Novenarius secundum se perfectus numerus est* &c.

Caput XI. de Undenario Numero, cujus initium: *Undenarius numerus est. prima secundi usus monades est* &c.

Caput XII. de Duodenario Numero. Incipit: *Duodenarius numerus inter alios numeros legitimus* &c.

Caput XIII. de Denario Ternario Numero. Incipit: *Denarius ternarius numerus propter tria & decem designat legem & legislatorem* &c.

Caput XIV. de Denario Quaternario Numero. Incipit: *Denarius Quaternarius numerus. Quia ex duobus Septenarius* &c.

Caput. XV. de Quindenario Numero. Incipit: *Quindenarius numerus juxta decisionem suarum rationum* &c.

Caput XVI. de Denario Senario Numero. Incipit: *Denarius senarius constat ex duobus perfectis* &c.

Caput XVII. de Duodevicesimo Numero. Incipit: *Duodevicesimus a Senario per denarium adimpletur* &c.

Caput XVIII. de Undevicesimo Numero. Incipit: *Undevicesimus numerus*

Luna-

Digitized by Google

Lunaris cicli enucleatius rationem perſtringit &c.

Caput XIX. de VICENARIO. Incipit: *Viceſimus quoque numerus ſecundi uſus finem faciens* &c.

Caput XX. de VICESIMO QUARTO NUMERO. Incipit: *Viceſimi quarti ſumma multa in ſemetipſa Scripturarum continet Sacramenta* &c.

Caput XXI. de TRICENARIO NUMERO. Incipit: *Tricenarius numerus ex denario triformiter poſito conſumatur* &c.

Caput XXII. de QUADRAGENARIO NUMERO. Incipit: *Quadragenarius numerus plenitudinem indicat temporum* &c.

Caput XXIII. de QUADRAGESIMO SEXTO NUMERO. Incipit: *Quadraginta ſcilicet, & ſex numerorum ratio in Evangelio pro Templo edificatur* &c.

Caput XXIV. de QUINQUAGENARIO NUMERO. Incipit: *Hic autem numerus in Sacris Scripturis ſacratus eſt* &c.

Caput XXV. de SEXAGENARIO NUMERO. Incipit: *Sexagenarius numerus, cujus ſumma ex perfecto Senario* &c.

Caput XXVI. RATIO DE SANCTO PENTECOSTE. Incipit: *Quadragenarius numerus ex ſe etiam quinquagenarium gignit* &c.

Clauditur denique liber his verbis. *Explicit liber Numerorum.*

Fol. 200. *pag.* 2. *de Alleluja, & Amen* perbrevis Tractatus, cujus initium: *Alleluja in latinum ſonat Laudate Dominum* &c.

Fol. 202. *figuræ quæ apud auctores plerumque inveniuntur.* Titulus alterius parviſſimæ molis opuſculi, quod incipit: *Endiadin eſt figura quando una res dividitur in duo. interpoſita conjunctione.* In codice quidem hæc duo opuſcula ſuo carent autore: ex ſtylo tamen, ſi quidpiam hac in re ſapimus, videtur utrumque eſſe fœtus ejuſdem S. ISIDORI; quamvis nec ab Oudino, neque a Cavæo, neque ab aliis Bibliothecarum Scriptoribus inter opera ejuſdem S. Doctoris numerentur.

In fronte codicis *Philibertus Pingonius*, ad quem olim pertinuit, ſcriptum reliquit, ſe illum dono accepiſſe a celeberrimo *Cujacio* anno Salutis humanæ MDLXVII.

CODEX LIV. *d.* IV. 31.

Membranaceus, habens folia 123. ſæculi XIV. continet ejuſdem S. ISIDORI *Hiſpalenſis* Commentarium in libros *Geneſeos*, *Exodi*, *Numerorum*, *Deuteronomii*, *Eccleſiaſtici*, *Judicum*, *Regum*, *& Eſdræ*. Cuique libro capitum elenchus præmittitur.

Fol. 63. Eſt *Anonymi* commentarius in *varia Scripturæ loca*. Sed hæc codicis pars adeo aqua corrupta eſt, & diluta, ut nullo modo legi potuerit. Mutila quoque eſt in fine.

CODEX LV. *d.* IV. 32.

Membranaceus, ſæculi XI. conſtat foliis 176. Habentur in eo ſexdecim priores libri *Originum* S. ISIDORI *Hiſpalenſis*. Frequentiſſimæ occurrunt & in hoc inſigni codice variantes lectiones, quarum unam, aut alteram ſatis erit hoc loco ſpeciminis gratia tradere.

In edit. ex cap. XXIII. lib. I.
Propria nota erat apud veteres, quæ inſpiceretur, quanti ex militibus ſupereſſent, quantique in bello cecidiſſent.

In Cod. ex eod. cap. de *Notis Juridicis*.
Propria nota erat apud veteres. Qua inſpiceretur quanti militibus ſupereſſent. Quanti in bello occiſi eſſent &c.

In edit. ex cap. IV. lib. II. *de tribus generibus Cauſarum*.
Genera Cauſarum tria ſunt, deliberativum &c.

In Cod. ex eod. cap.
Modi Cauſarum tres ſunt. Deliberativum &c.

Caput VII. lib. III. in edit. concluditur his verbis.
Nam ſicut per illam anima ita per hanc (videlicet *medicinam*, de qua ibi agitur) *corpus curatur.*

In

Digitized by Google

In Codice autem abſque ulla recentis additionis nota hæc ſequuntur. *Unguenta autem quędam dicuntur. Ut Telinum cujus Julius Caeſar meminit dicens. Corpuſque ſuavi telino unguimus. Hoc conficiebatur in Inſula Telo. quę eſt una ex Cicladibus. Sunt & quaedam ab inventorum nomine. Ut amaricinum. Nam quidam tradunt Regium quemdam puerum Amaracum nomine eum plura unguentorum genera fetentem * caſu prolapſum eſſe, & majorem ex comixtione odorem creaſſe. Unde nunc obtima unguenta amaricina dicuntur. Sunt autem ex genere florum. Item alia quae a materia ſuae qualitatis dicuntur ut Roſacium a Roſa. Cyprinum a flore cypri. Unde & propriae materiae odorem referunt. Ex his quaedam ſimplicia unguenta ſunt quę ex una tantum ſpecie exiſtunt. Unde & ſic nominis referunt odoratum. Ut anetinum. eſt enim ſincerum ex oleo. Et anetum tantum. Compoſita autem ſunt quae pluribus admixtis fiunt. Unde & nominis ſui odorem non habent. Quia obtinentibus aliis quae admiſcentur incertum odorem ducunt.* Quæ quidem verba in ante deſcriptis codicibus S. Isidori, & in proxime ſequenti ſub finem capitis VI. poſita ſunt.

* ferentem.

Innumera præterea ſunt ſchemata rubro colore elegantiſſime picta ad Geometriam, Aſtronomiam, & Muſicem pertinentia: *fol.* præſertim 135. & ſequentibus, ubi pictæ conſpiciuntur manus numero XXXVI. quæ digitis vario modo aut elatis, aut inflexis variam numerandi indicant rationem. Ejuſmodi etiam ſunt icones additæ hominum, quæ multiplici diverſaque ſuorum corporum diſpoſitione eamdem numerandi rationem, & ſigna a decem millibus uſque ad decies centena millia oſtendunt.

Ad calcem autem operis hæc leguntur.

Explicit liber ſextus decimus. Incipiunt capita libri ſeptimi decimi Iſidori Epiſcopi etymologiarum feliciter.

CODEX LVI. *d.* IV. 33.

Membranaceus, ſæculi XI. foliis conſtat 110. in quo pariter S. Isidori *Hiſpalenſis Etymologiarum* lib. XX. Præmittuntur, ut in antecedentibus codicibus, epiſtolæ *S. Iſidori* ad *Braulionem*, & Epiſcopi *Braulionis* ad *S. Iſidorum*, una cum indice capitum cujuſque libri. Eædem etiam ferme variantes lectiones occurrunt, quas in illis adnotavimus.

In fine.

Explicit liber viceſimus amen.

CODEX LVII. *d.* IV. 34.

Membranaceus, conſtans foliis 158. ſæculi XIV. Eoſdem exhibet S. Isidori *Hiſpalenſis Etymologiarum* libros XX. quorum ſingulis etiam præmittitur capitum index. In fine autem eſt tabula rerum alphabeti ordine diſpoſita.

CODEX LVIII. *d.* IV. 35.

Membranaceus, cui folia 224. ſæculi XII. eſt Commentarius in Psalmos, qui ex Cassiodori commentariis, quos edidit Johannes Garetius, excerptus videtur, aut ſaltem eorum compendium. Conjecturam noſtram mirifice auget, & confirmat ſimillima in utroque codice interpretatio, idemque perpetuo ſibi conſtans expoſitionis ordo, ut ex comparatione utriuſque, quam probationis loco ſubjicimus, clariſſime patebit.

In edit. ex cap. I. de Prophetia.

Prophetia eſt aſpiratio Divina, quae eventus rerum aut per facta, aut per dicta quorumdam immobili veritate pronuntiat.

In Cod.

Dicendum quid ſit prophetia. Prophetia eſt Divina inſpiratio eventus futurarum rerum aut factis. aut dictis. aut ſomniis immobili veritate denuntians.

In edit. ex Pſalmo II.

Quare fremuerunt gentes &c. Hæc figura Græce dicitur Erotema: Latine interroga-

tio

Digitized by Google

tio; quæ multis quidem modis fit. Sed ut de his pauca ponantur, interrogamus, quando aliquid scire volumus, quod nesciebamus, ut est illud in futuro psalmo: Quot sunt dies servi tui &c. Interrogamus etiam, quæ certe novimus, ut est illud: Numquid est in Idolis gentium &c. Est quoque interrogatio arguendi, sicut hic posita est. Corripit enim populos Propheta, cur fremuerint contra Dominum Salvatorem, cum caussas iracundiæ non haberet.

In Cod.

Quare fremuerunt gentes &c. Interrogatio Prophete cum increpatione. Interrogatio namque tribus modis fit. Interrogamus enim aliquem discere cupientes quę nescimus. Interrogamus etiam scire volentes utrum is hoc sciat quod interrogamus. Tertius modus est cum aliquem cum increpatione interrogamus &c.

In edit. ex Psalmo V.

Verba mea auribus percipe Domine &c. Oris significat psalmodiam. Sequitur, intellige clamorem meum; ut affectum cordis aperiret, sicut & Apostolus ait: Misit Deus spiritum filii sui in corda nostra, in quo clamamus Abba, Pater. Aures autem Divinitatis ad similitudinem corporalem dicuntur, per quas aere verberato hominibus intrat auditus. Auris enim ab auditu dicta est &c.

In Cod.

Verba mea auribus percipe &c. per totum hunc Psalmum Ecclesia laudans deprecatur Dominum. Verba mea. Idest preces auribus percipe Domine. Metaphorice dixit auribus. Cum Dominus aures non habeat utpote spiritus. Sed aures appellat misericordem, & exaudibilem auditum. quo electos misericorditer audire dignatur &c.

In edit. ex Psalmo CXLII.

Anxiatus est in me spiritus meus &c. collocavit, deputavit, significat more furentium inimicorum, qui sic hominem contemnunt odiosum, quasi jam judicent & sepultum. In obscuris enim revera collocatus est, qui post Regni culmina persecutionis patiebatur injuriam, & sicut mortuus sæculi habitus est, in quo nec Prophetalis, nec Regni reverentia, nec ipse quoque paternus considerabatur affectus. Mortui enim sæculi sunt, qui in peccatis suis defeciſſe noscuntur.

In Cod.

*Anxiatus est in me spiritus meus &c. scilicet ex vicinitate periculi. In me turbatum est cor meum. Videlicet recordatione ingentium peccatorum. In tantis autem tribulationibus deprehensus * ab hoc remedium me tuli. In obscuris enim revera collocatus est qui post Regni culmina persecutionis patiebatur injuriam. Et sicut mortuus seculi habitus est. in qua nec prophetalis. nec Regni reverentia. nec ipse quoque paternus considerabat affectus. Mortui enim seculo sunt qui in peccatis suis defeciſſe noscuntur.*

* ad

In edit. ex Psalmo CXLIV.

Exaltabo Te Deus meus &c. Beatus Propheta Spiritu Divino completus erupit in vocem non humana sapientia præsumens, sed superna contemplatione illuminatus. Neque enim locale aliquid, aut speciale dicitur, sed unde mundi imbecillitates cunctæ solventur. Exaltabo Te, dictum est, notum te faciam, prædicando, quod es. Nam quemadmodum putetur aliqua laude Deus altior fieri, cum Divina perfectio non possit augeri? Rex meus professio fidei est, quoniam ab ipso se dicebat regi, cui se noverat pura mente famulari. Benedicere nomen ejus &c.

In Cod.

Exaltabo Te inquit Deus meus Rex. Idest notum faciam hominibus predicando quod es. Rex meus professio fidei est. quoniam ab ipso se dicebat regi. cui se noverat pura mente famulari: Benedicere nomen ejus &c.

Cætera missa facimus: quæ enim hactenus adduximus, satis firmo esse argumento videntur ad ostendendum, *Commentarium in Psalmos*, qui nostro Codice continetur, aut ab ignoto autore ex commentariis CASSIODORI desumtum fuisse, aut eorum esse compendium. His addè, CASSIODORI nomen codicem præ se ferre, & *Commentarii* autorem CASSIODORUM laudare in argumento, quod *Psalmo* VII. præfixum est,

Digitized by Google

eſt, his verbis: *de Pſalmo David notum eſt &c. Caſſiodorus dicit Chuſai quod interpretatur ſilentium*. Adde etiam eundem in utriſque commentariis *Pſalmorum* ordinem, eadem argumenta, eandem concluſionem, quin adde ipſiſſimam CASSIODORI *orationem*, quam cum ceteris ejuſdem operibus vulgavit memoratus *Johannes Garetius*.

Porro autem præterire non poſſumus, ſingulis Pſalmis in noſtro codice appoſitam eſſe in margine *Gloſſam* ex D. HIERONYMO perpetuo deſumtam, ejuſdem antiquitatis, ac ipſe codex.

CODEX LIX. *d.* V. 1.

Membranaceus, ſæculi pariter XII. conſtat foliis 155: in quo primum BEDÆ *commentarius* in PENTATEUCHUM.

Tanta porro eſt codicis ab editis operibus *Coloniæ Agrippinæ* anno 1612. diſcrepantia, ut genuinam BEDÆ expoſitionem eo contineri ab initio dubitaremus. Collatis tamen invicem codicibus, perpetuo *Venerabilis Viri* ſenſum, & dicendi modum, quin ipſiſſima verba non raro obſervavimus. Habeas itaque nonnullas, quas hinc inde ſumſimus variantes lectiones, ex quibus, & ex his etiam, quæ inferius a nobis dicenda ſunt, quiſque facili negotio dignoſcere poterit, utrum in hoc codice *Venerabilis* BEDÆ habeantur commentaria, vel potius, num ſit eorum dumtaxat compendium ab aliquo fortaſſe ejuſdem BEDÆ diſcipulo compilatum.

In edit. ex libro, cui titulus *Hexameron*.

In principio creavit Deus Coelum & Terram, ut aperte detur intelligi, quia utrumque ſimul ab eo factum eſt. Poteſt autem non improbabiliter intelligi in principio feciſſe Deum Coelum, & Terram in Unigenito filio ſuo, qui interrogantibus ſe Judæis, quid eum credere deberent, reſpondit, principium, qui & loquor vobis.

In Cod.

In principio fecit Deus Coelum & terram cui nomen eſt principium. Sicut ille de ſe ipſo dixit. in Evangelio. Interrogatus enim a Judeis de ſuo nomine. ſic reſpondit. Ego principium. qui & loquor vobis.

In edit. ex cap. I. Geneſeos.

Faciamus hominem ad imaginem &c. inſinuans pluralitatem perſonarum propter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Et tamen divinitatis unitatem intelligendam ſtatim admonet dicens: Et fecit Deus Hominem &c.

In Cod.

Faciamus dixit. Trinitatem Perſonarum monſtravit. Hoc eſt Patris. & Filii: & Spiritus Sancti. Et rurſum conſequenter unitatem Divinitatis docuit. cum dixit. & fecit Deus Hominem.

In edit. ex cap. XXVI.

Poſt hoc Iſaac adgreſſus eſt opus, & coepit fodere puteos, quos foderunt pueri patris ſui Abraham. Sed invidentes ei Palæſtini obſtruxerunt illos implentes humo. Quis eſt iſte, niſi Salvator noſter, qui dum deſcendit in iſtum Torrentem Gerara, primo omnium illos puteos fodere coepit, quos foderunt pueri patris ſui Moyſes, David, Salomon, & Prophetæ, quos tamen terrena, & ſordida replevit intelligentia, & illorum os cum purgare vellet Iſaac, ut oſtenderet, quia quæcumque lex, & Prophetæ dixerunt, de ipſo dixerunt &c.

In Cod. ubi cap. XXII.

Poſt hec refert Scriptura illud, quod Iſaac poſtquam ei benedixit Dominus & magnificatus eſt valde. Adgreſſus eſt opus. & coepit fodere puteos quos foderunt pueri &c. Quis eſt iſte Iſaac niſi Salvator noſter. qui dum deſcendiſſet in iſtum Torrentem Gerara. primum omnium illos puteos fodere vult quos foderunt pueri patris ſui. ideſt puteum Moyſes legis foderat. David. Salomon. Et Prophete libros ſcripſerant veteris Teſtamenti. quos tamen terrena & ſordida impleverat Judeorum intellegentia. & eos cum vellet purgare Iſaac. ut oſtenderet quod lex & Prophete dixerunt de ipſo &c.

In edit. ex cap. VII. Exodi.

Virga Moyſi virgas Ægyptiorum devoravit. Per quod ſignificatur, quod Verbum

Digitized by Google

bum caro factum antiquorum sapientium dira venena evacuavit per remissionem peccatorum. Virga enim est verbum directum Regalis potestatis, plenum insigne imperii. Virga serpens facta est, qui erat Dei filius, factus est filius Hominis per Incarnationem: qui quasi serpens ille in deserto suspensus, medicinam vulnerum infudit homini. Virga Moysi in draconem versa Magorum virgas absorbuit: & Christus post gloriæ suæ dignitatem factus obediens usque ad mortem, per ipsam mortem destruxit aculeum mortis. Induravit Dominus cor Pharaonis; quia diabolum ista sic indurant propter peccatum, ut poenitentiæ compunctione nunquam emolliatur. Sicut in Job de eo scriptum est: indurabitur cor illius, ut lapis &c.

In Cod. ubi cap. IX.

Projecit deinde Moyses virgam coram Pharaone. Et serpens factus devoravit serpentes Egyptiorum. Significans quod Verbum caro fieret. Quod diri serpentis venena evacuaret per remissionem & indulgentiam peccatorum. Virga est Verbum directum Regale. Plenum potestatis. Insigne imperii. Virga serpens facta est. qui cum erat Dei filius ex Deo Patre natus. filius Hominis factus est natus ex Virgine. Qui quasi serpens exaltatus in Cruce medicinam vulneribus infudit humanis. Unde ipse Dominus ait. Sic Moises exaltavit serpentem in deserto. ita exaltari oportet filium Hominis. Virga enim Moysi in draconem est versa Magorum obsorbuit virgas. Et Christus post sue glorie dignitatem factus est obediens usque ad mortem. & per ipsam mortem carnis consumsit mortis aculeum. dicente Propheta ero mors tua o mors: induravit Dominus cor Pharaonis. Scilicet quia & diabolum ita sic induravit per peccatum. ut penitentie compunctione nunquam emolliatur. Sicut scriptum est in Job de eo. indurabitur quasi lapis.

In edit. ex cap. V. *Numer.*

Projiciantur de castris leprosi, & qui semine fluunt, & polluti super mortuo. Leprosi hæretici sunt, fluxi cogitatione, vel nimis verbosi, immundi super mortuo in opere. Tales a castris Ecclesiæ separantur, ne contagione morum suorum vitam polluant innocentium.

In Cod. ex eodem cap.

In hac mansione proiciuntur de castris leprosi fluxi & immundi. fluxi cogitatione. immundi opere. ut tamquam contracti & morbidi a castris Ecclesie separentur. Ne contagio morum suorum vitam polluant innocentium.

In editis ex cap. I. *Deuteronomii.*

Sciendum sane est, quod in Deuteronomio repetitio est præcedentium quatuor librorum; & tamen in se multa propria continet. Quod autem Deuteronomium secunda lex, vel iteratio legis dicitur, significat, quod Novum Testamentum &c.

In Cod.

Repeticio est precedentium quatuor librorum legis. Nam dum illi in re proprias contineant caussas. Iste tamen replicat omnium. Habet autem & ipse propria innumera Sacramenta ex quibus parva pro exercitio lectoris studio memoranda. Deuteronomium autem secunda legis lacio dicitur. que significat Evangelium &c.

Fol. 87. *pag.* 2. *Liber* Josue Filius Nun. Incipit. *Post mortem Moysi loquitur Dominus ad Josue dicens. Moyses servus meus mortuus est. Surge & transi ad Jordanem &c. Defunctus est ergo Moyses. defuncta & Lex. Legalia praecepta jam cessant &c.* Quæ quidem omnia cum edita Bedæ quæstione II. tomo VIII. omnino conveniunt.

Fol. 89. *pag.* 2. *Incipit de libro* Judicum. Si pauculas demas variantes lectiones, nullius certe momenti, omnia consona sunt.

Fol. 93. *Incipit liber* Ruth. Nulla ferme est lectionis discrepantia.

Fol. 93. *pag.* 2. *Liber I.* Regum.

Fol. 101. *Liber II.* Regum.

Fol. 103. *Liber III.* Regum.

Est in his *Regum* libris aliquod lectionis discrimen: V. G. initium primi libri ita se habet

In edit.

Post librum Judicum sequitur liber Regum, & aspice tempora: primo Judicum, postea Regum: sicut erit primo judicium, deinde re-

Digitized by Google

regnum, in quibus quippe temporibus multis & variis modis Sacramenta Chriſti, & Eccleſie revelantur. Nam ab ipſo exordio Regum commutatum Sacerdotium &c.

In Cod.

Poſt librum Judicum ſequitur Regum. & aſpice tempora. primo Judicum. poſtea Regum. ſic erit primo judicium. & poſtea regnum. in quibus quippe temporibus multis & variis modis Sacramenta Chriſti & Eccleſiæ revelantur. Nam ab ipſo exordio Regum comodatum Sacerdotium &c.

Fol. 104. *incipit in* JESU NAVE, cujus initium: *Donavit Dominus nomen quod eſt ſuper omne nomen &c. Et quia eſt hoc nomen ſuper omne nomen idcirco multis generationibus a nullo cognominatus eſt. Scripſit Moyſes librum Geneſis. In quo legimus Abraham & eos qui ex eo generati ſunt. In quibus quamplurimi juſti ſunt. ſed nullus ex ipſis Jeſus meruit nominari &c.*

Fol. 107. pag. 2. *incipit liber II. de eo quod* MOYSES *defunctus eſt*; cujus initium: *Et Moyſi obitum oportet nos enarrare. Niſi enim intellexerimus. quomodo moritur Moyſes &c.*

Fol. 108. *incipit liber III. de duabus Semis & novem Semis*; cujus initium: *Moyſes hereditatem terre diſtribuit trans Jordanem duabus Semis Tribubus ideſt Tribu Ruben. & Tribu Gad. & dimidie Tribui Manaſſe. Reliquis vero Tribubus non Moyſes. ſed Jeſus dividit Terram &c.*

Fol. 110. *pag.* 2. *incipit liber IV. de eo quod Jordanem tranſit Arca Domini cum Sacerdotibus ac Levitis & populo*; cujus initium: *Peccatori quidem omnis creatura hoſtis eſt. Sicut de Egyptiis ſcriptum eſt. Terra eos impugnabat. fluvius impugnabat &c.*

Fol. 112. *pag.* 2. *incipit liber V. de duabus Semis Tribubus que Jordanem non tranſierunt. & de Jeſu quomodo exaltavit eum Dominus in conſpectu filiorum Iſrael. & quomodo populum circumcidit.* Incipit: *De his quidem qui mare rubrum tranſierunt dicit Apoſtolus. Quia omnes in Moyſe baptizati in nube & in mari &c.*

Fol. 114. *pag.* 2. *incipit liber VI. de Paſcha quod fecerunt filii Iſrael in Galgala. Et quomodo fructum terre coeperunt e regione Palmarum. & de Principe militie virtute Domini. & de Jericho*; cujus initium: *qui inobedientes fuerunt mandatis Domini incircumciſi dicuntur &c.*

Fol. 116. *pag.* 2. *incipit liber VII. de Jericho quomodo capta eſt. & Raab quomodo ſalvata eſt &c.* cujus initium: *Hiericho tubis ſubruitur Sacerdotum. Statim enim ut tubarum clangor intonuit. murorum dejectus eſt ambitus &c.*

Fol. 119. *pag.* 2. *Incipit lib. VIII. de his que in verſione Ain geſta ſunt & de Rege ejus*; cujus initium: *Deprecamur vos o auditores ſacrorum voluminum. ne cum tedio que leguntur audire pro eo. quod minus delectabilis eorum videtur eſſe narratio &c.*

Fol. 122. *pag.* 2. *Incipit liber IX. de Altare quod edificavit Jeſus &c.* Ejus initium: *Poſtea quam ſubvertit Jeſus Ain. ideſt Chaos, & omnes habitatores ejus exemit. oportebat eum dignum aliquod tali tantaque victoria excelſo omnium Domino munus offerre &c.*

Fol. 126. *pag.* 2. *Incipit liber X. de* LOCO GABONITEARUM; cujus initium: *In domo patris mei manſiones multe ſunt &c.*

Fol. 129. *pag.* 2. *Incipit liber XI. de Auxiliis Jeſu. quibus juvat Gabaonitas. Et quomodo Solem & Lunam fecit ſtare &c.* cujus initium: *Hiebuſeus Rex Jeruſalem invitatis ſecum aliis quatuor Regibus adgreditur expugnare &c.*

Fol. 130. *Incipit lib. XII. de eo quod ſpiritaliter intellegi debeant bella que geſſit Jeſus &c.* Ejus initium: *Si ea que per Moyſem de Tabernaculo vel ſacrificiis & omni illo cultu Typus, & umbra dicitur eſſe celeſtium. Sine dubio & bella que geruntur per Jeſum &c.*

Fol. 131. *Incipit liber XIII. de Lachis, & de Lepna &c.* Cujus initium: *Cum legitis qui in manifeſto eſt Judeus & qui manifeſtam habet in carne circumciſionem. neſciens quid ſit in occulto Judeus. in circumciſione cordis nihil aliud putat eſſe niſi bella deſcripta &c.*

Digitized by Google

Fol. 132. *Incipit lib.* XIV. *de Jabin Rege Aſor . & de ceteris Regibus qui congregati ſunt adverſus Iſrael &c.* Ejus initium: *Eaſdem ſcripturas ante adventum quidem Domini noſtri Jeſu Chriſti . Cum legeret Iſrael ille qui ſecundum carnem eſt. nihil aliud in his niſi bella , & effuſionem ſanguinis intellegebat &c.*

Fol. 134. *Incipit liber* XV. *de his que ſecuntur poſt Jabin &c.* Cujus initium; *Niſi bella iſta carnalia figuram bellorum hiſtoriarum ſpiritualium gererent &c.*

Fol. 137. *pag.* 2. *Incipit liber* XVI. *De eo quod ſcriptum eſt , & Jeſus erat Preſbyter . hoc eſt ſenior &c. Et quomodo hereditas per Moyſem data eſt duabus Semis Tribubus .* Ejus initium. *Etiam ante nos quidam obſervantes notarunt in ſcripturis . quia presbyteri vel ſeniores non ex eo appellentur . Quod longevam duxerint vitam &c.*

Fol. 139. *Incipit liber* XVII. *De eo quod Levite acceperunt hereditatem ;* cujus initium : *Sicut umbre exemplari deſerviunt celeſtium hi qui legem ſuſcipiunt . Que eſt illius vere legis umbra . ita ex hereditate dividuntur terre &c.*

Fol. 140. pag. 2. *Incipit liber* XVIII. *Inicio diviſionis Terre . Quod diviſa eſt ab Jeſu . & quomodo acceſſit ad Jeſum Caleph petens Hebron &c.* Ejus initium: *Dicamus ex lege quam neceſſarie deſcripta eſt Terre diviſio que primo per Moyſem ſecundo etiam per Jeſum dicitur facta &c.*

Fol. 141. *Incipit liber* XIX. *de finibus hereditatis Tribus Juda .* Cujus initium . *Diſtribuit hereditatem Moyſes . Diſtribuit Jeſus hereditatem . Sed non eſt ſcriptum in diſtributione hereditatis &c.*

Fol. 143. *Incipit liber* XX. *de difficultate intellegentie , & Caleph quomodo Chebron vel de filiabus ejus .* Cujus initium . *Si quibus poſſibile eſt aſcendere ad terram ſanctam & bonam Terram viventium . in qua mors non eſt &c.*

Fol. 146. *Incipit liber* XXI. *de filiis Juda qui non potuerunt diſperdere Jebuſeos de Hieruſalem .* Ejus initium : *Et filii Juda volebant diſperdere vel interimere Jebuſeos de Hieruſalem . & non potuerunt &c.*

Fol. 147. *Incipit liber* XXII. *de Tribu Effrem , & Chananeis .* Cujus initium . *Chananei tercio dicti ſunt eſſe in filiis Effrem . Sed obſervemus quis ſit in ſingulis dictionis ordo &c.*

Fol. 148. *pag.* 2. *Incipit liber* XXIII. *de ratione Sortium ubi ſeptem Tribus capiunt hereditatem &c.* Cujus initium: *In conſuetudine quidem hominum cui aliquid ſorte dividitur fortuitu videtur ſors illa ad illum vel alia ad alium cedere &c.*

Fol. 151. *Incipit liber* XXIV. *de Jebuſeis qui habitabant Hieruſalem .* Ejus initium : *Dudum dictum eſt quomodo eos non potuerint filii Juda exterminare &c.*

Fol. 152. *Incipit liber* XXV. *de Civitatibus que date ſunt Levitis , & ſortibus eorum .* Ejus initium : *Omnes filii Iſrael acceperunt ſortes ſuas in Terram . Levitis autem in hereditatem ſolus ſufficit Deus. &c.*

Fol. 153. pag. 2. *Incipit liber* XXVI. *de eo quod ſepulte ſunt petrine macherie , & de Ara quam extruxerunt Duces . & Semis Tribus . Que ſunt trans Jordanem .* Ejus initium ; *In ſuperioribus quidem dictum eſt . quia filii Iſrael dederunt ſortem Jeſu in monte Effrem , & quia accepta ſorte Jeſus edificaverit ibi Civitatem , & habitaverit in ea . Nunc autem denuo in eadem repetit Scriptura ut addat hoc quod macheras Petrinas . ideſt cultros petrinos ex ſaxo &c.*

Quæ in vulgatis Bedæ operibus Tomo VII. pag. 249. decem , & octo capita *de morte* Moysis , *& Principatu* Jesu Nave leguntur , & quæ ab *Oudino* inter dubia , atque ſuppoſititia recenſentur Tomo I. pag. 1711. nullo modo ad laudatos codicis noſtri libros accomodari poſſunt. Diſſimilis namque perpetuo ſeries ; diſſimilis lectio ; diſſimillima ubique interpretatio ; quamvis eundem & allegoricum , & moralem fere ſemper exprimat ſenſum . Fortaſſe quiſpiam Bedæ diſcipulus , ut ab initio conjectavimus , magiſtri ſui expoſitioni *Gloſſam* adjecit. Quod autem adſeverare minime dubitamus , illud eſt , codicem nempe noſtrum optimam præſeferre lectionem , & ſeculi XII. ad finem

Digitized by Google

nem circiter ſcriptum fuiſſe.

In fine hæc leguntur:

Expliciunt libri in Jeſu Nave XXVI. *lege feliciter.*

Quibus ſequentia poſtea ab alio ſcriba addita fuerunt: *MCCXXVII. III. die Kal. mart.*

Preſbyter Andreas dedit fratri Jacobo XXX. *&* VI. *libris.*

CODEX LX. *d.* V. 2.

Membranaceus, conſtans foliis 144. ſæculi XIV. & ſtemmate inſignitus *Cardinalis a Ruvere*. Habetur in eo *Poſtilla* FRATRIS PETRI de TARANTASIA *ſuper Geneſi*; cujus initium: *In principio creavit Deus Celum, & Terram &c. Quum ſcire arbitramur quum Cauſas arbitramur cognoſcere. Sciendum eſt primo quod hujus libri qui dicitur Geneſis cauſa efficiens Deus eſt &c.*

Fol. 60. hæc leguntur. *Explicit Poſtilla ſuper Geneſi compilata per Fratrem Petrum de Tarantaſia Ord. Pred. qui fuit magiſter in Theologia preterea Provincialis Francie deinde Archiepiſcopus Lugdunenſis. Poſtremo Cardinalis. & ultimo Papa Innocentius.*

Fol. 61. *Poſtilla ejuſdem ſuper* EXODO; cujus initium: *Iſte liber dividitur in tres partes hec ſunt nomina. In prima parte agitur de Dei manifeſtatione a principio libri uſque ad caput* XII. *In ſecunda de populi liberatione a* XII. *uſque ad caput* XIX. *In tertia de legiſdatione &c.*

Ignoravit Oudinus has *Poſtillas* Scriptoris Sabaudi in *Geneſim*, & *Exodum*. Eccardus vero Tomo I. *Scrip. Ord. Præd.* pag. 353. ait, ſe neſcire, ubi opuſcula hæc FRATRIS PETRI de TARANTASIA manuſcripta ſerventur. Roſſotus denique, & Cave multa tradunt de ejus vita, atque Pontificatu, ad quem pervenit anno 1276. ſumto *Innocentii V.* nomine.

CODEX LXI. *d.* V. 3.

Membranaceus, habens folia 44. ſæculi XIV. in quo eſt expoſitio PSALMI *Beatus Vir*, ſine interpretis nomine. Incipit: *Sciendum eſt quod ratio Pſalmorum eſt facere homines virtuoſos. Igitur iſte Pſalmus titulus eſt aliorum. propter hoc in iſto tangit virtutes inter quas prima beatitudo exiſtit. Et primo de ea loquitur Dominus: Beatus vir &c.*

CODEX LXII. *d.* V. 4.

Membranaceus, conſtans foliis 223. ſæculi XIV. Continet *Expoſitionem Pſalmorum*, prætermiſſo autoris nomine. Initio eſt prologus, qui incipit: *Spiritus Sancti revelatione conſtat Prophetas eſſe locutos &c.* Series Pſalmorum eadem prorſus eſt, quæ in editis *Vulgatæ Scripturæ* voluminibus. In margine ſunt perbreves adnotationes.

Expoſitionis ſpecimen præbere juvat ex Pſalmo I. *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum &c. Beatus cui omnia optata ſuccedunt: Vir ſcilicet contra proſpera & adverſa firmus. qui non abiit a Domino in regione diſſimilitudinis in cogitatione non peccavit quamvis poſitus eſſet in conſilio impiorum &c.*

CODEX LXIII. *d.* V. 5.

Membranaceus, conſtans foliis 184. ſæculi XIV. eandem prorſus exhibet *Pſalmorum interpretationem*, quæ in antecedenti codice; hoc dumtaxat diſcrimine, quod Textus rubro colore prope marginem codicis ſcriptus eſt. Deſunt poſtrema folia.

CODEX LXVI. *d.* V. 6.

Membranaceus, habens folia 214. ſæculi XIII. Eſt PSALTERIUM cum *Gloſſa interlineari*, & fuſioribus adnotationibus in margine. Textus quidem craſſiori charactere deſcribitur. Prima autem adnotatio nos docet, expoſitionem ex operibus S. AUGUSTINI, & CASSIODORI excerptam fuiſſe. Ceterum ex ipſis adnotationibus, quæ ſunt in

Digitized by Google

in margine, apparet haud obſcure, eandem eſſe *Pſalmorum* expoſitionem, cujus ſpecimen in Codice D. V. 4. ſuperius exhibuimus.

Fol. 199. CANTICA CANTICORUM cum *Gloſſa interlineari*, & adnotationibus in margine.

Fol. 211. *pag.* 2. *Declaratio Fidei Catholice*; id eſt SYMBOLUM, quod vulgo S. ATHANASIO tribuitur, cum *Gloſſa interlineari*, & adnotationibus in margine. In noſtro Codice hæc *fidei Declaratio*, ſive hoc *Symbolum* adſcribitur ANASTASIO ALEXANDRINO hiſce verbis: *Hic ratio fidei Catholice traditur & in veteribus Codicibus a Beato Anaſtaſio Alexandrino conſcripta. & puto quod idcirco tam plano & brevi ſermone tradita fuit ut omnibus Catholicis & minus eruditis tutamen defenſionis preſtaret adverſus illam poteſtatem &c.*

CODEX LXV. *d.* V. 7.

Membranaceus, cui folia 135. ſæculi circiter XIII. Eandem continet *Pſalmorum* expoſitionem, quæ in Codicibus D. V. 4. & D. V. 5.

CODEX LXVI. *d.* V. 8.

Membranaceus, ſæculi XIII. mutilus principio, conſtat foliis 169. Continet CASSIODORI *Pſalmorum expoſitionem*. Incipit a *Pſalmo* quinquageſimo primo, cujus etiam initium deſideratur, & deſinit *Pſalmo centeſimo*. Cuique *Pſalmo* titulus, & diviſio præfigitur, ut in editis a *Johanne Garetio*.

In fine: *Explicit Pſalmus centeſimus*.

CODEX LXVII. *d.* V. 9.

Membranaceus, conſtans foliis 95. ſæculi XIV. falſo inſcribitur, *Opus ſuper Pſalmos Cancellarii Pariſienſis*, id eſt *Johannis Gerſonis*. Nullum enim JOHANNES GERSON edidit commentarium in Pſalmos, ſi *Pœnitentiales* excipias; & facili negotio inter legendum dignoſci poteſt, hanc, quæ in Codice Taurinenſi continetur, expoſitionem, minime cum ſtylo *Gerſonis* congruere. Sunt igitur ſententiæ ex Pſalmis ab *anonymo* autore decerptæ, & *aſcetico* more illuſtratæ. Specimen damus ex capite ſecundo, cui titulus de VIA JUSTORUM. *Poſuit Dominus viam juſtorum. Via juſti eſt tranſire de miſeriis ad delitias. at ſi recta eſſet hec via in eam ambulaſſet Chriſtianus qui eam noverat. Sed ideo eam ambulavit. ut ipſo facto rectam hoſtentet &c.*

CODEX LXVIII. *d.* V. 10.

Membranaceus, folia habens 197. ſub initium ſæculi XIV. in quo PSALTERIUM cum *Poſtilla & Gloſſa interlineari*, ut in Codice D. V. 4. Adjecta eſt *Declaratio fidei*, ſive *Symbolum* ANASTASIO pariter ALEXANDRINO in adnotationibus in margine adſcriptum.

CODEX LXIX. *d.* V. 12.

Membranaceus, ſæculi XIV. conſtat foliis 115. Eſt incerti autoris commentarius in MAGISTRI SENTENTIARUM *librum primum*, cujus initium: *Ad Deum ponam eloquium meum qui facit magna & inſcrutabilia & mirabilia abſque numero. Verbum propoſitum ex quinto Job aſſumptum poteſt magiſtri ſententiarum ſuam intentionem in prefato opere &c.*

CODEX LXX. *d.* V. 13.

Membranaceus, habens folia 175. ſæculi XIV. in quo ignoti ſcriptoris *commentarius in Librum* JOBI. En prima ejus verba: *uſque in tempus ſuſtinebit patiens. poſtea reddicio jocunditatis Eccleſ.* * 1. *In hiſce verbis congrue intelligi poteſt initium. ordo. & finis hujuſce libri: in quibus triplex cauſa comprehenditur. materialis formalis & finalis. De efficiente dubitatur. Materia eſt ſtatus temporis proſperitatis & ſtatus adverſi-* * v. 29.

tatis

Digitized by Google

tatis . In utroque vero ſtatu oſtenditur Beatus Job perfectus &c.

CODEX LXXI *d.* V. 15.

Membranaceus, ſæculi XIII. conſtat foliis 134. Eſt *commentarius* in CANTICA CANTICORUM, prætermiſſo interpretis nomine. Incipit: *Cantabo dilecto meo Iſay. V. Canticum triplex in novo legitur Teſtamento. Scilicet Canticum Zacharie Marie & Symeonis &c.*

CODEX LXXII. *d.* V. 16.

Membranaceus, cui folia 153. ſæculi XIV. Continere primum videtur genus quoddam *Theologicæ Polyantheæ* ex verbis *Scripturæ* conſarcinatum. Sit exemplum in verbo ILLUMINATIO. *Illuminatio multiplex eſt. Nam Deus multipliciter illuminat. Illuminat enim per ſe ipſum. Pſalmus, Dominus illuminatio mea. per preceptum ſuum. Pſalmus, preceptum Domini lucidum illuminans oculos. Illuminat per interiorem gratiam. Evangelium. Qui illuminat omnem hominem &c.*

Fol. autem 134. Eſt *commentarius* ſine interpretis nomine in CANTICUM CANTICORUM, addita *Gloſſa interlineari*; atque hunc præfefert titulum. *Incipit liber qui hebraice Siraſirim pernotatur. Latine Cantica Canticorum. Vox Sinagoge optantis Chriſti adventum.* Initium vero commentarii; *Sinagoga Congregatio que eſt lapidum. Eccleſia convocatio que eſt rationalium. utraque autem hec portio juſtorum &c.*

CODEX LXXIII. *d.* V. 17.

Membranaceus, conſtans foliis 150. ſæculi XIII. in quo BERNARDI EPISCOPI PAPIENSIS *Commentarius in Eccleſiaſticum*, cui titulus: *Incipit Expoſitio ſuper Jeſum filium Syrac a Bernardo Epiſcopo Papienſi. Poſt pomorum veterum & novorum eſum in expoſitione Canticorum me quaſi ocioſum iterum Sponſa vocans ſapientie theſaurum a longe oſtendit. cujus fulgore mentis acies reverberata ceſſit ad tempus. Sed confortante gratia vires reſumens lingua balbutiente de tanta re loqui & manu tremula ſtridente calamo ſcribere perſuadet &c.*

Procœmium incipit:

Det igitur nobis Deus ſedium ſuarum aſſiſtricem ſapientiam. ut dono Sancti Spiritus ad intelligentiam & expoſitionem libri Sapientie pervenire valeamus. in cujus exordio nomen actoris materiam intentionem utilitatem & agendi modum prout Dominus dederit perſtringamus &c.

Præſtat etiam ſpecimen interpretationis præbere, & quidem commatis primi capitis primi.

Omnis ſapientia a Domino Deo eſt. Et cum illo fuit ſemper & eſt ante aevum. Theologus Doctor a ſapientia exorditur. Penna contemplationis ad alta conſcendit. & preſumptione laudabili racionis oculum in Solem juſticię dirigere non formidat. Terrena pretermittit. & de eterna Dei ſapientia in Scripturis invenitur. Eſt enim ſapientia iniquitatis vanitatis veritatis & Deitatis. Prima eſt falſa & mala. Secunda falſa ſed non mala. tercia bona ſed non ſumma. quarta bona & ſumma. Prima diabolica. ſecunda philoſophica. tertia Eccleſiaſtica. quarta divina. De prima dicitur ſapientes ſunt ut faciant mala &c.

Adjecta fuit in fine a recentiore librario tabula capitum. BERNARDI PAPIENSIS, ejuſque in *Eccleſiaſticum* commentarii nec Oudinus, nec Cave, nec Dupinius meminere. Ab Ughellio quidem Tomo I. pag. 1097. dicitur ſæculo XIII. floruiſſe Epiſcopus Papienſis nomine *Bernardus*, ſacrarum legum ſcientia ſuis temporibus clariſſimus. Num vero hic idem ſit, qui commentarium Codicis noſtri in *Eccleſiaſticum* ſcripſerit, affirmare non audemus. Illud tamen certum, Codicem laudati ſæculi XIII. ætatem præſeferre.

CODEX LXXIV. *d.* V. 18.

Membranaceus, habens folia 86. ſæculi XIV. in quo ignoti autoris *Poſtillæ*.

Digitized by Google

ſtilla in Iſayam; cujus initium: *Iſayas Propheta magnus in conſpectu Domini ſpiritu magno vidit ultima. Et conſolatus eſt*
* v. 27. *lugentes in Sion. Eccleſiaſt.* 48. * *In verbis iſtis Iſayas commendatur a tribus. primo a vite ſanctitate. Videlicet Iſayas Propheta Magnus. Secundo a perſpicacitate ſcientie. ſpiritu magno. Tertio ab efficacia doctrine. conſolatus eſt lugentes in Sion. Sanctitas vero ejus denotatur a nomine Iſayas videlicet Iſayas Salutaris interpretatur. Ab officii dignitate cum dicitur Propheta. Ab excellentia cum dicitur magnus. A divina acceptione cum ſubditur in conſpectu Dei &c.*

CODEX LXXV. *c.* V. 19.

Membranaceus, conſtans foliis 137. mutilus principio, & circa finem ſæculi XIII. ſcriptus. Habetur in eo commentarius in *Prophetias Oſeae, Jobelis, Amoſi, Jonae, Micheae, Naumi, Abacuc, Sophoniae, Zachariae, Malachiae, Aggaei*, prætermiſſo interpretis nomine. Sit ſpecimen enarrationis ex Prophetia JOELIS *fol.* 19. *pag.* 2. *Verbum Domini quod factum eſt ad Jobel filium Phatuel. Joel incipiens. Phatuel latitudo Domini interpretatur videlicet aperiens. Recte igitur qui incipit prophetare principio Domini filius aperientis os mutorum dicitur. Porro factum eſſe ſermonem ad initium ejus refert cui fit. non ad conditionem illius a quo fieri dicitur. ut alibi legimus. Dominus factus eſt mihi in ſalutem &c.*

CODEX LXXVI. *d.* V. 20.

Membranaceus, conſtans foliis 118. ſæculi XIV. in quo *Poſtillæ* FRATRIS HUGONIS PRÆDICATORIS *ſuper Bibliam*. Perperam olim hoc opus ALEXANDRO HALENSI tribuebatur: de qua re conſulendus Cave Tomo II. pag. 300. & Eccardus Tomo I. pag. 199. Hugo hic noſter modo DE S. CARO appellatus eſt, modo HUGO DE VIENNA, non raro HUGO PRIOR DE S. JACOBO *Pariſiacenſi*, ut videre eſt in Catalogo *MSS. Codicum Londinenſium* Tom. I. pag. 111. & *Codicum Pariſienſium* n. 185.

CODEX LXXVII. *d.* V. 21.

Membranaceus, conſtans foliis 65. ſæculi XV. in quo commentarius allegorico-moralis in *Vetus, & Novum Teſtamentum*. Præmittitur tabula capitum, ſed alterius manus, & poſteriori ſcripta ævo, ad cujus calcem legitur; *Explicit Tabula hujus libri compilata per me Andream Johannem de Aquapendente anno Domini* 1479. *die* 20. *maii*.

CODEX LXXVIII. *d.* V. 22.

Membranaceus, conſtans foliis 69. ſæculi XIV. in quo commentarius ignoti ſcriptoris in *Vetus Teſtamentum*; cujus initium: *In principio fecit Deus Celum, & Terram ideſt ſpirituales celeſtia meditantes & querentes. In ipſo fecit & carnales qui terrenum hominem necdum depoſuerunt &c.*

CODEX LXXIX. *d.* V. 23.

Membranaceus, habens folia 96. ſæculi XV. imagunculis auro, varioque colore pictis, nec non ſtemmate *Cardinalis a Ruvere* inſignitus, in quo *Dubitationes ſuper Apocalypſi* AUGUSTINI de ANCONA *ordinis S. Auguſtini*.

In fine codicis hæc leguntur. *Explicit Apocalypſis gloſſatus ex gloſſis Sanctorum per Fratrem Auguſtinum de Ancona ordinis Heremitarum S. Auguſtini*.

Similem MS. Codicem ſervari in *Bibliotheca Oxonienſi*, affirmat Guilielmus Cave pag. 600. qui plura habet de ejus autore.

CODEX LXXX. *d.* V. 24.

Membranaceus, conſtans foliis 351. ſæculi XIV. in quo *Poſtilla* FRATRIS PHILIPPI de MONTECALERIO *ſuper Evangeliis Dominicalibus*.

Ad

Digitized by Google

In fine Codicis hæc leguntur. *Explicit Poſtilla ſuper Evangelia Dominicalia a Fratre Philippo de Montecalerio ordinis Fratrum Minorum Theologie lectore Conventus Padue anno* 1330.

Prodiit *Lugduni* anno 1510. & 1515. V. Dupinium Tomo XI. pag. 71.

CODEX LXXXI. *d.* V. 25.

Membranaceus, foliis conſtans 160. ſæculi XV. *Poſtillam* continet ALEXANDRI de ALEXANDRIA *Ordinis Fratrum Minorum ſuper Evangeliis*. ALEXANDRI ab ALEXANDRIA, vulgo dicta *de Palea*, qui floruit anno 1310. clara extat memoria apud Wadingum Tomo XIV. *Annal.* pag. 221.

CODEX LXXXII. *d.* V. 26.

Membranaceus, habens folia 102. ſæculi XV. Eſt commentarius incerti autoris in *Evangelium* SS. JOHANNIS, & MARCI; præmiſſo prologo, cujus initium: *omnia poma nova & vetera ſuaviter &c.*

CODEX LXXXIII. *d.* V. 27.

Membranaceus, conſtans foliis 160. ſub finem ſæculi XIV. in quo primum NICOLAI de LYRA *Poſtilla ſuper Evangelio S.* MATTHÆI.

Fol. 53. ejuſdem *Poſtilla ſuper Evangelio S.* JOHANNIS.

Fol. 105. ejusdem *Poſtilla ſuper* DANIELE.

Fol. 173. ejuſdem *Poſtilla ſuper Epiſtola S.* PAULI *ad Hebræos*.

In fine: *Explicit Poſtilla ſuper Epiſtolam ad Hebreos edita a fratre Nicolao de Lyra de ordine fratrum minorum.*

CODEX LXXXIV. *d.* V. 29.

Membranaceus, conſtans foliis 67. ſæculi XIV. Continet primo commentarium ignoti interpretis in varia *ſcripturæ* loca. Incipit. *Conſcriptio quatuor Evangeliſtarum Sacramentum ſalutis ac fidei noſtre licet in omnibus ſcripturis divinis. precipue tamen in predicatione Evangelica continetur &c.* Deſiderantur in fine aliquot folia.

Fol. 59. S. ANSELMI *Librum Cur Deus Homo*. Duo autem prima, & poſtrema folia exhibent fragmenta epiſtolarum S. LEONIS PAPÆ ad *Flavianum, Leonem, & Eutychem Presbyterum*, & ante ſæculum XII. ſcripta videntur.

CODEX LXXXV. *d.* V. 30.

Membranaceus, foliis conſtans 83. ſæculi XV. in quo LYRANI *Poſtilla ſuper Evangeliis*.

CODEX LXXXVI. *d.* V. 31.

Membranaceus, conſtans foliis 84. ſub finem ſæculi XIII. in quo *Poſtilla in Evangelium* S. JOHANNIS, ſine interpretis nomine, cujus initium: *hic eſt Johannes. qui ſcripſit hoc Evangelium commendatur a nomine. Johannes interpretatur in quo eſt gratia &c.*

In adverſa parte poſtremi folii legitur HENRICI VII. ROMANORUM REGIS DIPLOMA, quo *Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus* piam quamdam largitionem tribui jubet. Integrum hoc loco, quia ineditum nobis videtur, tranſcribimus.

Henricus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus Strenuo Viro Hieronymo de Vichio Poteſtati Carii fideli ſuo dilecto Gratiam ſuam, & omne bonum. Fidelitati tue comittimus, & mandamus. quatenus religioſis viris fratribus minoribus, & Predicatoribus in Cario commorantibus ſummam remedii. ſeu elemoſine. quam hactenus ibidem habere, & percipere conſueverunt. eiſdem aſſignari procures, & facias integraliter dicto anno proximo preterito, & preſenti. Datum in Aſta XVIII. Kal. decembris Regni noſtri anno II. *anno Domini MCCCX.*

Sequitur *Regii Diplomatis* TRANSCRIP-

Digitized by Google

TUM. *Istud est Transcriptum litere Domini Henrici Regis Dei gratia Romanorum, quam misit Vicario & Potestati suo in Cario exemplatum per manum Fratris Antonii Boni . . . . . de Chario de mandato Fratris Johannis de Terdona Guardiani de verbo ad verbum. Non adest ulla diminuensia de litera predicta. anno Domini MCCCX. XVIII. Kal. decembris.*

CODEX LXXXVII. *d.* V. 32.

Membranaceus, constans foliis 325. sæculi XV. *Postillas* exhibet FRATRIS NICOLAI de LYRA *in quatuor Evangelia*, ad quarum calcem: *Expliciunt Postille super Evangelia edita a fratre Nicolao de Lyra ordinis Fratrum minorum Sacre Theologie Professore.*

Fol. 299. est ejusdem *Postilla in Epistolam ad Romanos*; sed fine mutila.

CODEX LXXXVIII. *d.* V. 33.

Membranaceus, constans foliis 164. sæculi XIV. imagunculis aureis identidem ornatus, in quo scriptoris *anonymi* commentarius in *Evangelium* SS. LUCÆ, & JOHANNIS, cum *Glossa interlineari*.

CODEX LXXXIX. *d.* V. 34.

Membranaceus, habens folia 207. sæculi XIV. figuris aureis passim ornatus, in quo Interpretis *anonymi* commentarius in *Evangelium* SS. LUCÆ, & JOHANNIS, cum *Glossa interlineari*.

CODEX XC. *d.* V. 35.

Membranaceus, constans foliis 84. sæculi XV. in quo primum *anonymi* Interpretis commentarius in *Psalmum* XXXIX.

Fol. 39. PETRI de TARANTASIA *Postillæ super Epistola S. Pauli ad Romanos.*

Fol. 84. ejusdem fragmentum commentarii in *Epistolam primam ad Corinthios*.

Idem omnino MS. commentarius adservatur Cantabrigiæ in *Bibliotheca Publica* n. 49. & in *Bibliotheca Cremonensi*, testibus Oudino Tomo III. pag. 503. & Eccardo loco sup. citato.

CODEX XCI. *d.* V. 36.

Membranaceus, constans foliis 267. sæculi XV. nitidissimo scriptus charactere, & stemmate *Cardinalis a Ruvere*, aliisque figuris auro pictis exornatus, in quo commentarius S. THOMÆ AQUINATIS in *Epistolas D. Pauli*.

CODEX XCII. *d.* V. 38.

Membranaceus, foliis constans 289. sæculi XV. in quo primum LYRANI *Postilla in Epistolas* S. PAULI.

Fol. 171. ejusdem *Postilla* in ACTUS APOSTOLORUM.

In fine hæc leguntur: *Explicit Postilla magistri Nicolai de Lyra super Actus Apostolorum scripta anno* 1409.

Fol. 214. ejusdem *Postilla in* EPISTOLAS CANONICAS.

Fol. 248. ejusdem *Postilla* in APOCALYPSIM.

In fine hæc adnotantur: *Explicit prologus magistri Nicolai de Lyra super Apocalypsim S. Johannis per me Henricum Beller anno Domini MCCCCIX. Octava Nativitatis B. Marie Glorioſe. & continet postillas Magistri Nicolai super Epistolas B. Pauli ad Romanos. ad Corinthios ad Galathas ad Ephesios. ad Philipenses. ad Colossenses. ad Thessalonicenses. ad Timotheum. ad Titum. ad Hebreos. Actus Apostolorum. Epistolas Canonicas, & Apocalypsim.*

CODEX XCIII. *d.* V. 39.

Membranaceus, constans foliis 221. sæculi XII. Tabulas primum exhibet late expansas *Veteris Testamenti*, Patriar-

Digitized by Google

triarcharum videlicet ſeriem Genealogicam, atque Chronologicam, uſque ad CHRISTUM SERVATOREM, quam adnotationibus identidem hiſtoricis ex ſacra Scriptura decerptis *Anonymus* ſcriptor ornat, atque illuſtrat; adjectis hinc inde iconibus rudiori penicillo, pro ut ferebat ſæculi ingenium, expreſſis. Ut vero ad CHRISTI tempora perductum opus eſt, multæ leguntur fictæ fabellæ ex libris Apocryphis deſumtæ: inter quas illa eſt, Herodem inſequentem CHRISTUM puerum, dum in Ægyptum fuga ſe reciperet, ab equo, cui inſidebat INFANTULUS SERVATOR, calce deturbatum, coercitumque fuiſſe.

Fol. 23. *pag.* 2. Eſt commentarius in APOCALYPSIM, tacito interpretis nomine. *Etherio* cuidam inſcriptus legitur in primo prologo, qui ei præmittitur: num autem hic *Etherius* ſit *Auxumenſis* in Hiſpania *Epiſcopus*, qui anno 783. teſtibus Oudino, & Cave Tom. I. pag. 640. magna nominis celebritate propter profligatam *Elipandi* hæreſim florebat; an quiſpiam alius, definire non audemus. Opuſculi vero ſtylum, & elocutionis modum conſiderantes, pene ſuſpicabamur, RHABANI MAURI expoſitionem *Apocalypſeos* Codice contineri, quam ineditam adhuc eſſe, & in Bibliothecis latere, tradunt ejus operum editores, *Antonius* de *Henin*, & *Georgius Colvenerius* tom. I. pag. 11. & *Nicolaus Serrarius Rerum Moguntiacarum* tom. I. pag. 393. Sed non ſatis firma nobis aliunde præſto erant argumenta, quibus id ſaltem probabiliter aſſerere poſſemus. Quare judicium de autore commentarii in medio relinquentes, ſatius eſſe, & tutius exiſtimavimus, cujuſmodi ſit ipſe commentarius, pluribus verbis duntaxat declarare.

Triplex præfixus eſt prologus. Primus eſt Interpretis, quem integrum ſubijcimus: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti incipit liber Revelationis Joannis Domini noſtri Jeſhu Chriſti. Quędam quę diverſis temporibus in veteris Teſtamenti libris pronunciata ſunt de corporatione & de Nativitate Domini, & Salvatoris noſtri ſecundum Divinitatem. vel de corporatione ejus. de paſſione quoque & de morte. ſive de Reſurrectione. Regno. atque judicio. pro juribus ſcientię & innumerabilibus libris. & ſanctorum Patrum nobiliſſimorum ſententiali brevitate notata. pauca proferenda putavi. ut Prophetarum auctoritas fidei gratiam infirmet. & infidelium impericiam probet. Quę quamvis omnibus nota ſit. qui per amplitudinem ſcripturarum percurrunt. facili tamen ad memoriam redeunt dum brevi ſermone leguntur. Quę tamen non a me, ſed a ſanctis Patribus quę explanata repperi in hoc libello indita ſunt. & firmata his auctoribus ſanctis. ideſt Hieronymo. Auguſtino. Ambroſio. Fulgentio. Gregorio. Ticonio. Hyreneo. Abrigio. & Iſidoro. Ut que in aliis legens non intellexiſti. in hoc quamvis plebejo ſermone in aliquibus derivatum. tamen plena fide atque devocione expoſitum recognoſcis. omnium tamen librorum thecam. hunc librum credas eſſe & claviculam. Quod ſi aliquibus Lectorem offendi. Karitas quę omnia ſuperat ignoranti veniam tribuat. & ſi quod aliut ſapit. hoc quoque Deus revelavit. delinquenti indulgeat Karitas. quę omnia ſuperat. Hęc ſunt parva ex multis. quę probabiliuni virorum novimus percepiſſe doctrinis. quorumque beloquia proinde quibuſdam in locis a nobis interjecta eſſe noſcuntur. Hęc ergo Sancte Pater Etheri te petente ob ędificationem ſtudii fratrum tibi dicavi. ut quo conſorte perfruor Religionis. quoheredem faciam & mei Laboris.*

Alter eſt *S.* HIERONYMI *in Apocalypſim.* Incipit; *Johannes Apoſtolus & Evangeliſta filius Zebedei &c.*

Tertius pariter eſt S. HIERONYMI in expoſitionem *Apocalypſeos Victorini Pitabionenſis Epiſcopi*, qui una cum expoſitione legitur in Tomo III. *Bibliothecæ Patrum* pag. 414. Incipit autem; *Diverſos marina diſcrimina tranſvadantes inveniunt caſus &c.*

Expletis prologis ſequitur proxime

Digitized by Google

commentarius, qui in duodecim libellos tribuitur. Incipit primus. *Johannes quodam vaticinio ex merito nomen accepit. interpretatur enim latino eloquio Domini Gratia. Poſtquam enim Apocalypſin. ideſt revelacionem Domini. ſcribere jubetur ſeptem Eccleſiis. Aſpicit filium hominis ſedentem in trono. ideſt Chriſtum in Eccleſia. & viginti quatuor ſeniores qui ſunt duodecim Prophetę. & duodecim Apoſtoli. ſeptem Eccleſię. ſeptem candelabra aurea. & ſeptem ſtellae. una Eccleſia eſt. Quę per ſeptiformem gratiam Chriſto copulata ſociatur. Poſt hęc vidit Johannes hoſtium apertum in Cęlo. Oſtium apertum. Chriſtum natum & paſſum. Cęlum vero Eccleſia eſt. Poſt hęc vidit ſedem poſitam in Cęlo. ideſt Sacerdotes in Eccleſia per quos quotidie Chriſtus ſedet & judicat. & ſuper hanc ſedem qui ſedebat ſimilis erat aſpectui Lapidis. Jaſpidis. & Sardini. ideſt duo judicia. Unum per aquam. alterum per ignem. Poſt hęc vidit quatuor animalia procidentia ante tronum. Ideſt quatuor Evangeliſtas. & habebant ſimilitudines primus hominis. ideſt rationalis. ſecundus Leonis. ideſt fortis ad pugnandum. Tertius vituli. ideſt immolatus in ſacrificio. Quartus aquilę volantis. ideſt toto mentis ardore ſemper debet eſſe in contemplatione. Hęc quatuor animalia unum ſunt quod eſt Eccleſia. Poſt hęc vidi in dextera ſedentis librum ſignatum ſigillis ſeptem. in quo bellum. fames. mors. clamor interfectorum. finis quoque mundi notatur & ſeculi ideſt in equos quatuor &c.*

Fol. 30. eſt prolixior alterius itidem ignoti Scriptoris commentarius in eandem APOCALYPSIM, cui titulus; *Tractatus de Apocalipſi Johannis in explanatione ſua a multis Doctoribus. & probatiſſimis viris illuſtribus. diverſo quidem ſtilo. ſed non diverſa fide interpretatus. Ubi de Chriſto & Eccleſia & de Antichriſto & ejus ſignis pleniſſime recognoſcas.*

Præmittitur præfatio, cujus initium: *Biformem divinę legis iſtoriam. duplici Sacramenti miſterio differendam. non noſtrę humanitatis fragilitas aliter poterit ennarrare. niſi ab ipſo auctore ſuę legis Domino Jeſhu Chriſto modum dicendi & ſermonem ſumat eloquii &c.*

Explanatio vero ſic incipit: *Apocalypſis Jeſhu Chriſti quam dedit illi Deus palam facere ſervis ſuis quę oportet fieri cito. Et ſignavit mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Johanni. qui teſtimonium peribuit verbo Dei. & teſtimonium Jeſu Chriſti quęcumque vidit. Beatus qui legit. & qui audit verba prophetie hujus. & ſervat ea quę in ea ſcripta ſunt &c. Ab eo igitur quod Apocalipſis. id eſt revelacio dicitur. ſecretorum latere ſenſum manifeſtat abſconditum. quod niſi ipſo revelante quis ſenciat intelligere non valebit. & quid ait. Apocalipſis Jeſhu Chriſti quam dedit illi Deus: hoc eſt Johanni Apoſtolo Beatiſſimo. palam facere ſervis ſuis. ut quę dixit differat. & quę diſſeruerit manifeſtet. Quę oportet fieri cito &c. Significans & rationem temporum & ſenſum & intellectum veloci mobilitate completum. & ſignavit mittens per Angelum &c. id eſt non cogitatione concepta referat. non aliquibus falſiloquis ſcripturarum carminibus. ſed per Angelum. id eſt per veritatis ſuę nuncium. ſervo ſuo probatiſſimo ſcilicet viro & ſanctiſſimo Apoſtolorum omnium Johanni directa eſt. Qui teſtimonium perhibuit &c. videlicet qui prędicavit Filium Dei & aſſeruit divinitatem. & teſtimonium reddidit de Domino Jeſhu Chriſto. quęcumque viderat in illo. & audierat ex illo. & unde in epiſtola ſua loquitur dicens. quod vidimus & audivimus. & manus noſtrę tractaverunt de verbo vitę & ita affuit & manifeſtamus. Beatus qui legit & qui audit verba prophetię &c. Intelligi vult quod lectio non faciat cuſtodiam mandatorum. nec auditus conſumati operis perfectionem exhibeat. ſed ſolum ſit perfectio quę legeris & audieris. ut opere facere coneris &c.*

Pars hæc Codicis innumeris pene figuris decorata conſpicitur, ſed rudi admodum penicillo depictis; notatu præſertim digna eſt Mappa quædam, ſeu tabula Geographica, quæ exſtat *fol.* 86. & quam nos incidi diligentiſſime

Digitized by Google

TABULA GEOGRAPHICA

Pro ut exstat in COD. XCIII. *d.* V. 39.



Digitized by Google

Digitized by Google

me curavimus, ut ſcientiæ Geographicæ rudioris illius ætatis ſpecimen ſtudioſis antiquitatum hominibus etiam ex codicibus noſtris MSS. traderemus.

Ceterum autor commentarii, ut ipſemet indicat *fol.* 106. vivebat anno Chriſti 787. *Ab adventu Domini Noſtri Jeſu Chriſti uſque in preſentem eram ſunt anni DCCLXXXVII.*

Dividitur autem in duodecim libros, ad quorum finem hæc leguntur: *Hęc ſupra ſcripta Iſtoria. maxime ut ſonat ſimpliciter & ſecundum litteram intelligendum eſt. quia jam ſupra cuncta explanata ſunt. & congruum non eſt. ut ea quę ſemel ut a ſecundo exponemus diximus. ſepius replicemus. Sed ex ipſis clauſa audientur quę Karitati veſtrę exponamus. Pre ceteris finis libri. in quo maledictionem ſonaſſe cognoſcimus. Ne quod abſit ſimplices ſimpliciter intellegendo erroris patiantur ſcandala. aut diſperationis lapſum incurrant. ut quem hic maledicit ſi non cognoverint quę ſit. a recto tramite deviantes offendant. explicit.*

Fol. 184. *pag.* 2. Epilogus antea poſitæ explanationis *Apocalypſeos*, cui titulus: *Incipit brevis explanatio ſupra ſcriptę Iſtorię.* Sit ſpecimen. *Angelum quem dicit cuncta Johanni oſtendere. cui Johannes adorans ante pedes cadens cadebat certiſſime Angelus erat. in initio libri dixerat ipſe Angelus. cum Johannes ante pedes ejus caderet &c.* Non ultra quatuor pagellas producitur hic epilogus, ad cujus calcem notanda veniunt hæc, quæ ſequuntur, verba: *Codex multorum librorum eſt. & liber eſt unius voluminis. & dictus codex per translationem a corticibus arborum. ſeu vitium quaſi caudex. quod ex ſe multitudinem librorum quaſi ramorum contineat volumen. Liber eſt a volvendo dictus. Sicut apud Hebreos volumina legis. volumina Prophetarum. folię autem librorum appellatę ſive ex ſimilitudine foliorum arborum. ſeu quia ex follibus fiunt, id eſt ex pellibus quibus occiſis pecoribus detrahi ſolent cujus partes paginę dicuntur. eo quod ſibi invicem compaginantur* $\frac{\Omega}{F}$

Fol. 186. *pag.* 2. Eſt commentarius S. HIERONYMI in *Danielem*. Conferentes cum editis, variantes, aſt levioris momenti, nonnullas animadvertimus lectiones. Hìc quoque non paucæ ſunt figuræ, ſed rudi penicillo expreſſæ. Commentarius autem eſt mutilus in fine.

CODEX XCIV. *d.* V. 40.

Membranaceus, habens folia 168. ſæculi XIV. finem verſus, *Phraſes* continet *ſacræ Scripturæ*, ſive modos loquendi Divinæ Scripturæ ab incerto autore collectos. Sit exemplum in voce DEUS. *Deus in Scriptura tribus modis dicitur. Videlicet ſubſtantialiter ſive eſſentialiter. & adoptative ſive nuncupative. ſubſtantialiter ut Deus. Trinitas. tres Perſone. Unde in Pſalmo Deus Deorum Dominus locutus eſt & vocavit te &c.*

Præmittitur vocum, quæ illuſtrantur, uberrimus index.

CODEX XCV. *d.* V. 41.

Membranaceus, ſæculo XIV. ſcriptus, habet folia 252. In eo eſt *Tabula Originalium* FRATRIS JOHANNIS DE ALAMANIA *Ordinis Fratrum Minorum.*

In fine hæc leguntur. *Explicit Tabula Originalium per alphabetum ordinata a Fratre Johanne de Alamania. qui verba & dicta Sanctorum Doctorum Gregorii Ambroſii que ſuperſunt addendo Anſelmi Bernardi. Hilarii & ceterorum plurium nonnullorum Sanctorum Doctorum. alios ſuper addendo qui authentici reputantur aliqui in vita & ſancti. ut Caxiodorus. Caxianus. Magiſter Sententiarum. Magiſter Hiſtoriarum. & plurium aliorum. aliique etſi non in vita ſancti. tamen ſancti dicuntur in ſpiritualitate in litera nova dixerunt. qui plures ſunt. & Grammatici. ut Papias. Huguejo. & ſi ulli alii in dictis Pariſiis. & Bononia & ubique famoſi. Sit in illius virtute Alpha & Omega principium & finis. Sit laus & honor per infinita ſecula ſeculorum amen. explicit totum.* CO-

Digitized by Google

CODEX XCVI. *d.* V. 42.

Membranaceus, conſtans foliis 297. ſæculi XV. Continet *anonymi* ſcriptoris opus, quod in Proœmio inſcribitur *Fons memorabilium univerſi*. Præit epiſtola ad MARTINUM PONTIFICEM (hujuſce nominis V.), cujus initium: *Martine Pater Sancte. Quodcumque cogitationibus in mente revolvat &c.* Sequitur præfatio, ex qua autoris patriam dignoſcimus. Incipit: *Facit caſus ducem operis Auguſtinum. igitur letus omne dicam cur tam excelſo literarum principe hos libros juvenis inchoavi. ſenex edidi. fuerunt namque imperfecti omnes priuſquam eos abſolverem tempore quo iniqua cohors .... ne dicam pravorum hominum ſub nomine ſocietatis Alberigi Comitis de Barbiano. Aretium mihi natalem patriam occupavit die lune hora tertiarum poſt ortum ſolis* 18. *Novembris anno natalis Domini* 1381. *dies inquam ſuper funeſta omnibus Aretinis infauſtaque velut Romanis Albia &c.*

Totum opus in quinque partes dividitur. Prima eſt *de Deo*. Secunda *de Mundi origine, progreſſu, & fine*. Tertia *de elementis*. Quarta *de Regionibus*. Quinta vero *de Viris* aut *vitio*, aut *virtute illuſtribus*: quibus omnibus diſputatio adjicitur *de Virtutibus Theologicis, atque moralibus*, nec non *de hereſibus*.

Fol. 103. Multa traduntur de duobus Cometis, qui anno MCCCCII. apparuere; qua in re apertiſſimum eſt mendum librarii: in fine enim addit, ſe codicem ſcripſiſſe anno MCCCXCVI. *Michael de Franchis de Clavazio ſcripſit pro magnifico Domino Petro de Pingone de Sabaudia Studente Taurini anno MCCCXCVI.* Quomodo igitur deſcribere potuit cometas, qui nondum apparuerant?

CODEX XCVII. *d.* VI. 1.

Membranaceus, habet folia 505. circa finem ſæculi XIV. Eſt *Breviarium Romanum*, cui præmittitur *Kalendarium Eccleſiaſticum*, & cujuslibet Sancti, cujus colitur memoria, adjicitur effigies auro, variiſque coloribus picta.

CODEX XCVIII. *d.* VI. 2.

Membranaceus, ſæculi XIV. habens folia 508. Eſt pariter *Breviarium Romanum*, non inconcinnis imagunculis paſſim ornatum. Præit quoque *Kalendarium*, in quo dies feſti, & Divorum laudes indicantur, quorum memoria in hodiernis *Breviariis* amplius non ſupereſt, uti dies feſtus *SS. Martyrum Ciri & Johannis* menſe Januario. *S. Gilberti, S. Angulii, SS. Verolii, & Secundini, Depoſitionis S. Romani Abbatis* menſe Februario. *S. Foce, S. Vulfrani, S. Caſtuli* menſe Martio; & ſic ceteris menſibus.

CODEX XCIX. *d.* VI. 3.

Membranaceus, cui folia 366. ſæculi XIV. Continet *Miſſale Romanum*, præfixo *Kalendario Eccleſiaſtico*.

CODEX C. *d.* VI. 4.

Membranaceus, conſtans foliis 425. ſæculi XIV. Eſt itidem *Miſſale Romanum*, elegantiſſimo ſcriptum charactere, nec non iconibus, aliiſque figuris aureis inſignitum.

Initio codicis hæc leguntur.

*Iſtud Miſſale ſecundum morem Romanum eſt Reverendiſſimi Patris & Domini fratris * Nicolai Sacroſancte Romane & univerſalis Eccleſie Sancti Xiſti Presbyteri Cardinalis. Quod quidem ipſe fecit inluminari & compleri infra duos annos cum dimidio cum magna diligentia & labore.*

* Nicolaus de S. *Saturnino* Gallus ex Magiſtro Generali Ordinis Prædicatorum, Cardinalis renuntiatus fuit X. Kal. Februarii a *Clemente* VII. PſeudoPontifice, cujus partes tutatus eſt uſque ad annum MCCCLXXXII. quo vita functus. *Vide Ciaconium Tom. II. pag.* 676.

CO-

Digitized by Google

CODEX CI. d. VI. 5.

Membranaceus, conſtat foliis 188. ſæculi XIV. Eſt *Miſſale*, cui præfigitur *Kalendarium*, in quo Idibus Julii ſignatur *Diviſio Apoſtolorum*. Die autem III. Novembris poſt *Commemorationem Sanctorum*, & *Defunctorum*, additur commemoratio *innumerabilium Martyrum*.

CODEX CII. d. VI. 7.

Membranaceus, habens folia 228. ſæculi XIV. in quo pariter *Miſſale*, præmiſſo *Kalendario*, ad cujus ſingulos menſes horæ noctis, & diei numerantur. Cum autem ſexto Non. Octobris ſtatuatur *Anniverſarium omnium Fratrum Ordinis noſtri*, perſpectum ſane fit, alicui Monaſterio *Miſſale* hoc uſui fuiſſe.

CODEX CIII. d. VI. 7.

Membranaceus, conſtans foliis 140. ſæculi XIV. venuſtiſſimo ſcriptus charactere. Continet primo loco *Lectionarium* pro diebus Dominicis, & in diebus feſtis Sanctorum.
Deinde *fol.* 136. *Paſſionem Sanctorum ſeptem Dormientium, qui in Epheſo dormierunt*. MAXIMIANUS. MALCHUS. MARTINIANUS. DIONYSIUS. JOHANNES. SERAPION. CONSTANTINIANUS. Incipit:

Temporibus Decii Imperatoris orta eſt magna Chriſtianorum perſecutio. quam ipſe ſeviſſime in Chriſti exercere famulos ſtuduit &c.

Poſtrema autem narrationis verba ſunt.

Acta ſunt hec die Sabbati 1. Kal. Junii Regnante Domino Noſtro Jeſu Chriſto qui cum Patre &c.

CODEX CIV. d. VI. 8.

Membranaceus, habens folia 82. ſæculi XIV. Eſt pariter *Lectionarium* pro diebus feſtis Dominicis.

CODEX CV. d. VI. 9.

Membranaceus foliis conſtans 64. ſæculi XIV. Eſt itidem *Lectionarium Eccleſiaſticum* pro diebus feſtis ad Monachorum Benedictinorum uſum.
In fine.
Finito libro ſit laus & gloria Chriſto Oculis intentis Thebaldus hunc Martinenſis Deſcripſit librum querens pro munere Chriſtum.

CODEX CVI. d. VI. 10.

Membranaceus, conſtans foliis 170. ſæculi XIV. Eſt iterum *Lectionarium Eccleſiaſticum* pro ſingulis diebus feſtis. Videtur autem pertinuiſſe ad aliquod Monaſterium Ordinis Prædicatorum. Siquidem eo continentur S. DOMINICI vita, res geſtæ, & miracula in totidem prolixas lectiones tributa, multaque de ejuſdem Ordinis propagatione narrantur. Initio lectionum notatur autor, unde ſingulæ deſumtæ fuerunt. E. G.

Fol. 43 in Lectione de SS. Martyribus NAZARIO, CELSO, & PANTALEONE: *Nota quod ea que hic leguntur de Nazario Celſo & Pantaleone extracta ſunt de libello quem dicit ſe Ambroſius reperiſſe ad caput Gervaſii & Protaſii in inventione corporum eorum, & hoc ſecundum quoſdam Libros.*

CODEX CVII. d. VI. 11.

Membranaceus, ſæculi XIV. habens folia 106. Eſt *Lectionarium Eccleſiaſticum* pro diebus Dominicis. Lectionibus præfigitur aliquando *Rubrica*, & earum ordo, tum ex quibus autoribus unaquæque excerpta ſit. Exemplum eſto in die feſto ſanctiſſimæ TRINITATIS: *Nota quod ſermo iſte adtribuitur Auguſtino in quibuſdam Libris. Sed magis videtur compoſitus ex diverſis dictis Sanctorum.*

CO-

Digitized by Google

CODEX CVIII. *d.* VI. 12.

Membranaceus, conſtans foliis 139. ſæculi XIV. quo primum continetur *Lectionarium Eccleſiaſticum*.

Poſtea fol. 87. eſt commentarius ſine interpretis nomine in Evangelium Sancti MATTHÆI, qui ſic incipit. *Liber generationis. In ipſo exordio ſatis oſtendit, quid de Humanitate Chriſti ſit acturus cum a carnali generatione incipiat.*

CODEX CIX. *d.* VI. 13.

Membranaceus, conſtans foliis 143. ſæculi XIII. Eſt pariter *Lectionarium Eccleſiaſticum* pro diebus feſtis Dominicis, & Sanctorum, ad uſum ordinis Carthuſiani.

Fol. ultimo exſtat exemplar literæ ad Priorem Carthuſienſem ſcriptæ a Cardinali * THALAIMANDO. Temporis vetuſtate fere tota exeſa eſt, ut vix legi poſſit. Ut tamen potuimus, illam exſcripſimus.

Johanni Pocicart Priori Carthuſianorum Thalaimandus Dei gratia Petragoricenſis Epiſcopus Cardinalis Albanus. Salutem in Domino. Noveritis quod Sanctiſſimus in Chriſto Pater Dominus Innocentius Papa VI. habens zelum magne devotionis ad Ordinem Carthuſienſem. & volens amovere ſcrupulum quod poſſet conſcientias fratrum titillare conceſſit perſonis utriuſque ſexus preſentibus, & futuris ordinis veſtri ut licite & impune poſſint cum perſonis ſententiis quibuſcumque . . . . . vel hominis innodatis. de quibus eis non conſtet quod ſint publice nominatim denunciate . . . . . divina participare. Nec non & in locis quibuſcunque Eccleſiaſtico Interdicto . . . . . vel ab homine . . . . . de quibus eis non conſtet quod fuit publice, & nominatim denunciata. ſeu Interdicto poſita Eccleſiaſtico divina celebrare & audire. Voluit tamen idem Dominus noſter quod de premiſſis Bulla ſeu littera patens ſub pendenti Sigillo fieret. Ne ad conſequentiam propter multorum inopportunam petitionem traeretur. Scriptum manu propria anno milleſimo CCCLV. XXVI. menſis aprilis.

Poſtea hæc leguntur, adjecta profecto a librario, qui literam exſcripſit.

Et notandum quod Sigillum prefati Domini Cardinalis erat impreſſum in dorſo dictarum litterarum. Non tamen in pendente ne fieret contra voluntatem Domini noſtri Pape. Datum ſub ſigillo Domus Carthuſienſis dicto die menſis Septembris anno Domini MCCC. LV.

Sequitur exemplar privilegii a BENEDICTO XIII. iiſdem Carthuſianis conceſſi.

Noverint univerſi. Quod Sanctiſſimus in Chriſto Papa Benedictus XIII. conceſſit toto ordini Carthuſianorum. Quod cum priores domuum ordinis proponent in domibus Ordinis Verbum Dei C. cum vero non Priores L. dies de Indulgentia. Omnes preſentes aſſociantur tam de ordine quam de familiaribus. Dummodo ſint penitentes, & confeſſi.

* Sive *Thalairando*, ut eum vocat Ciaconius tomo II. pag. 522. ſive *Talvando*, ut appellat Franciſcus Petrarca in epiſtola tertia libri primi *Senilium*, quam eidem Cardinali inſcripſit; ſive etiam *Talarano*, ut idem Petrarca libro ſeptimo.

CODEX CX. *d.* VI. 14.

Membranaceus, ſæculi XV. habens folia 158. & auro circumquaque elegantiſſime pictus, in quo *Officium* S. HILARIONIS ad muſicos modos aptatum. Præmittitur exemplar literarum JOHANNIS PAPÆ XXIII. adprobantis illud ad preces JANI REGIS Cypri anno MCCCCXIX. Sequitur *Antiphonarium, & Graduale Eccleſiaſticum*, cum notis muſicis Latino, & Gallico idiomate exaratum.

CODEX CXI. *d.* VI. 15.

Membranaceus, conſtans foliis 204. ſæculi XV. *Eſt liber Pontificalis editus per* GULIELMUM DURANTEM *Speculatorem*

Digitized by Google

rem. Literæ initiales; & capita figuris ornantur auro, varioque colore depictis.

CODEX CXII. *d.* VI. 16.

Membranaceus, habens folia 257. sæculi XIV. in quo PONTIFICALE ROMANUM.

In fine exstat index rituum, qui ab Episcopo in conferendis Ordinibus, & Sacramentis servari debent.

CODEX CXIII. *d.* VI. 17.

Membranaceus, constans foliis 355. sæculi XV. Est itidem PONTIFICALE ROMANUM ad usum *Cardinalis a Ruvere*, uti conjicere facile fuit ex ejus stemmate codici præfixo.

Fol. autem 354. pag. 2. oratio edita *per Sanctissimum Dominum* SYXTUM *Quartum Pontificem Maximum habenda in datione ensis*; cujus initium: *Solent Romani Pontifices in preclara Natalis Domini celebritate Christianissimo clarissimoque alicui principi ornatum ensem dare vel destinare &c.*

CODEX CXIV. *d.* VI. 18.

Membranaceus, constans foliis 199. sæculi XV. Est itidem PONTIFICALE ROMANUM. Literæ initiales auro delineatæ sunt.

CODEX CXV. *d.* VI. 19.

Membranaceus, habet folia 137. sæculi XIV. Est pariter PONTIFICALE ROMANUM, sive *ordo septem Ecclesiasticorum Graduum*.

CODEX CXVI. *d.* VI. 20.

Membranaceus, constans foliis 69. sæculi XV. uncialibus fere literis scriptus, aureisque picturis ornatus, & *Ruverianum* stemma præseferens, Romanum pariter exhibet PONTIFICALE.

CODEX CXVII. *d.* VI. 21.

Membranaceus, cui sunt folia 120. sæculi XV. in quo primum *Liber Ceremoniarum Romane Curie*.

Deinde *fol.* 116. de *familiaribus Cardinalis S. Romane Ecclesie*, deque eorum muniis. Præfigitur initio index capitum, & stemma *Cardinalis a Ruvere*.

CODEX CXVIII. *d.* VI. 22.

Chartaceus, folia habens 111. sæculi XV. in quo *Ceremoniale Sacri Palatii*.

Fol. 95. *Rubrica de Conclavi. & observata Rome anno* 1404. *post obitum* BONIFACII *VIII. &* INNOCENTII *VII.*

Fol. 96. *Ordo & modus creandi Ducem editus per Sanctissimum Dominum Nostrum Dominum* PAULLUM *tempore quo Prefatus S. D. N. creavit in Ducem Ducem Ferrarie*. Est nempe BORSO, qui a PAULLO II. anno 1471. Ferrariæ Dux renunciatus fuit. V. Joh. Bapt. Pigna hist. Princip. Estens. lib. VIII. pag. 617.

Fol. 99. *Forma in Canonizatione S. Leopoldi observata ab* INNOCENTIO *VIII.* Acta omnia *Canonizationis S. Leopoldi* edidit Hieronymus Pezius tomo I. *Scriptorum Rerum Austriacarum* pag. 674.

In fine hæc adduntur.

Liber iste est Reverendi Domini Fabricii Marliani Episcopi Placentini, de quo V. Ughellium in *Episcopis Placentinis* ad annum 1476.

CODEX CXIX. *d.* VI. 23.

Membranaceus, constans foliis 91. sæculi XV. nitidissimus, atque imagunculis auro, varioque colore perbelle pictis præstantissimus. PSALTERIUM continet in compendium redactum. Ad calcem codicis dicitur hoc *Psalterium* ita a *Divo Hieronymo*, docente Angelo, dispositum fuisse, multæque recitantibus futurum utilitati,

Digitized by Google

potiſſimum ad æternam beatitatem conſequendam.

CODEX CXX. *d.* VI. 24.

Membranaceus, conſtans foliis 105. ſæculi XV. literis initialibus, plurimisque pigmentis aureis ornatus. Eſt *Pontificale Romanum*.

CODEX CXXI. *e.* II. 1.

Membranaceus, duplici exaratus columna, foliisque 113. conſtans, ſæculi XII. optimæ notæ, atque lectionis, ſi pauca excipias folia, quæ ad extremam nonnullarum pagellarum oram detrita ſunt, ac fere deleta. Continet expoſitiones *quatuor Evangeliorum* BRUNONIS *Epiſcopi Signienſis*, quas ſecundum Evangeliorum ordinem in varias partes tribuit, ita ut *Matthæo* quatuor, una *Marco*, *Lucæ* binæ, *Johanni* demum tres ſint adſignatæ.

Initio totius operis rationem aperit autor his verbis. *Poſt Pentateucum Moyſi ut nova veteribus jungeremus tue voluntati obedientes brevi ſatis facilique compoſitione quatuor Evangeliorum libros in hoc uno volumine coartavimus. Matheum quidem quia cęteris ſub ordine prior erat totum ex ordine expoſuimus atque inter ipſum, & alios Evangeliſtas ubicumque nobis neceſſarium viſum eſt pacem & concordiam compoſuimus. In Marco vero ea tantum exponere curavimus que in Matheo expoſita non erant. Superfluum enim videbatur nobis ut quod in Matheo expoſitum erat iterum in Marco exponeretur. Similiter autem fecimus & in Luca & in Johanne ea ſolummodo exponentes in poſterioribus, que expoſita non fuerant in prioribus. Sic cum & brevitati ſervierimus & cum omnia expoſuerimus nec ſuperflua diximus, nec neceſſaria reliquimus.*

Hæc fortaſſe prolixiora ſubjicere opportunum exiſtimavimus, propterea quod in eo opere verſemur, quod publicam nondum lucem aſpexit, cujve mentionem omiſerunt Dupinius, Gulielmus Cave, aliique de *Brunone* verba facientes; imo etiam D. Maurus Marcheſius Caſinenſis Decanus, qui cetera ejus opera typis conſignari curavit. Pater vero Lelong, autor *Bibliothecæ Sacræ*, inter MSS. codices retulit ſub titulo *Commentariorum in Evangelia*. Ceterum eo majoris pretii nobis videtur, quo ejus autor patria *Aſtenſis*, præclarum ſane hujus Subalpinæ Regionis decus, magnam ſibi nominis celebritatem ſæculo XII. comparavit ſingulari prudentia in rebus gerendis, atque rerum divinarum ſcientia.

Initio, & ad finem additæ ſunt in compactione codicis duæ Bullæ Honorii Papæ. Prima ad Archiepiſcopum Colonienſem, & Leodienſem Epiſcopum data in gratiam monaſterii *Sancti Trudonis* Ordinis Sancti Benedicti Leodienſis diœceſis, ut magiſtrum Johannem Scholaſticum Sanctenſem, unanimi conſenſu electum Abbatem, ad ſuſcipiendum regimen, quod renuebat, hortentur, atque compellant. Altera ad Cameracenſem, & Leodienſem Epiſcopos in favorem conventus de *Camera* Ciſtercienſis Ordinis, in quo Moniales de acceptis injuriis querebantur.

CODEX CXXII. *e.* II. 3.

Membranaceus, duplici columna, folia habens 182. ſæculi XIV. optimi characteris, nitidæque lectionis. Sunt in eo *commentarii Sancti* AMBROSII in *Lucæ Evangelium*.

Cum editione *Benedictinorum* collatum Codicem in omnibus fere convenire comperimus; in iis etiam, quæ notantur ab aliis MSS. diverſa. Et ſi quando diſcrepat ab editis exemplaribus, convenit cum lectionibus variorum codicum, quæ leguntur in notationibus, ut §. 5.

In edit.

Non congruit iſta locutio, ut magis miniſterium verbi viſum, quam auditum eſſe credamus.

In

Digitized by Google

In Cod.

Non congruit iſta elocutio, ut majus miniſterium verbi quam auditus eſſe credamus: quæ lectio reperitur in quatuor MSS. codicibus, quos citant *Benedictini* in ſuis adnotationibus.

Codex initio pagellam auro, variisque coloribus pictam, nec non icones, & ſtemma gentilitium viri alicujus purpurea chlamyde decorati præfert. Inter hæc præfatio poſita eſt, quam capitum Tabula ſequitur; poſtea commentarius incipit cum imagine *Divi Lucæ* Evangelium ſcribentis.

CODEX CXXIII. *e.* II. 4.

Membranaceus, conſtans foliis 68. elegantiſſimi characteris, ſæculi XV. complectitur nonnulla *Divi* AMBROSII opuſcula, ordine ſequenti.

Fol. 1. librum de ISAAC & ANIMA, cujus initium in noſtro codice paullulum diverſum eſt ab editione *Benedictinorum* tom. I. pag. 355. Ita nempe legimus.

In edit.

In Patre nobis Sancti Iſaac vel origo ſatis eſt expreſſa, vel gratia: cui ad omnem redundat gloriam, quod tanto, & tam imitabili viro natus &c.

In Cod.

In Patre nobis Sancti Iſaach vel origo ſatis vel gratia cum ad omnem redundat gloriam quod tanto & tam imitabili viro natus &c.

Cetera conveniunt non ſecus, ac in ſequentibus opuſculis.

Fol. 18. *De bono mortis*. In edit. tom. I. pag. 389.

Fol. 34. *De fuga ſæculi*. In edit. ibidem pag. 418.

Fol. 47. *De Jacob & vita beata*. In edit. eodem tomo pag. 443.

CODEX CXXIV. *e* II. 5.

Membranaceus, craſſiori charactere, ac ſatis nitido exaratus circa finem ſæculi XIII. folia habet 149. Continet octoginta duas epiſtolas *Divi* AMBROSII, alio prorſus ordine, quam in editis a *Benedictinis*, quive multum accedit ad eum, qui ſervatus fuit in veteribus editionibus *Amerbachii, Eraſmi, Gillotii &c.*

Præmittitur epiſtolis libellus ſuppoſititius *de obſervantia Epiſcoporum*, quem variis titulis inſigniri, notarunt *Benedictini* in *Appendice* pag. 357. Ipſi autem *de dignitate ſacerdotali* inſcripſerunt.

Variæ lectionis tum ab initio, tum in fine exemplum ſubjicimus.

In edit. incipit:

Si quis, Fratres, oraculum reminiſcatur, quo Dominus frugi famulum &c.

In cod.

Si quis frater oraculum Domini reminiſcatur quo frugi famulum &c.

Magis adhuc diſcrepat in fine.

In edit.

Ut eis una mecum tribuas Cælorum regna, quæ ſanctis in fine ſæculorum dare promiſiſti perpetua. Amen.

In Cod.

Ut eis una mecum tribuas regna Celorum que te ſanctis dare promiſiſti qui cum Patre unigenitoque filio ejus Domino noſtro Jeſu Chriſto vivis & gloriaris Deus per omnia ſecula ſeculorum Amen.

Fol. 131. *Oratio de obitu Theodoſii Imperatoris*, quam habuit AMBROSIUS coram Honorio quadrageſimo die ab obitu, dum defuncto juſta ſolverentur, ante corporis translationem Conſtantinopolim. In edit. tom. II. pag. 197.

Fol. 137. Sequitur ejuſdem *epiſtola ad Sororem*, in qua concionem refert ad populum habitam in inventione corporum *Gervaſii, & Protaſii*. In edit. tom II. pag. 874.

Fol. 139. pag. 2. Ejuſdem *liber de Nabuthe Jezraelita*, qui clauditur hiſce verbis: *etiamſi prime prevaricationis laqueos evaſerint*, ut in antiquis editionibus Romanis, & MSS. quibuſdam codicibus factum notant *Benedictini*. In edit. autem tom. I. pag. 565. præterea hæc verba leguntur: *Sed oportet nos taliter age-*

Digitized by Google

re, ut digni bono opere omnipotentis Dei promissa accipere mereamur.

CODEX CXXV. e II. 8.

Chartaceus, sæculi XV. constans foliis 186. in quo habentur libri quinque *Beati* AUGUSTINI *de Civitate Dei*, nimirum XVIII. XIX. XX. XXI. & XXII.

Ad calcem sequentia verba leguntur: *Aurelii Augustini ad Marcellinum filium de civitate Dei liber terminatur qui duos & viginti libros continet. anno Domini* 1464. *Kal. Februarii Mediolani per Donatum Garimberthum. Ad laudem & gloriam Dei omnipotentis & unici filii Domini nostri Jesu Christi ejusque genitricis & semper Virginis Mariæ ac omnium sanctorum & totius curie celestis quibus honor sit semper & gloria Amen.*

CODEX CXXVI. e. II. 9.

Membranaceus, duplici columna exaratus, folia habens 49. sæculi XIV. in quo analysis, seu summa quorumdam librorum SS. AUGUSTINI, & ANSELMI. S. quidem Augustini.

Fol. 1. de *Trinitate.*
Fol. 18. pag. 2. *de vera religione.*
Fol. 21. *de magistro.*
Fol. 22. *de quantitate animæ.*
Fol. 24. *de Doctrina Christiana.*
Fol. 28. *de libero arbitrio.*
Fol. 33. pag. 1. *Enchiridion.*
- - pag. 2. *de Civitate Dei.*
Fol. 41. pag. 2. *de insipiente animo.*

S. autem Anselmi.

Fol. 42. pag. 2. *de veritate.*
Ibidem *de libero arbitrio.*
Fol. 43. *de casu diaboli.*
Fol. 44. pag. 2. *de concordia præscientiæ, & liberi arbitrii.*
Fol. 45. pag. 2. *de conceptu Virginali.*
Fol 46. pag. 2. *Monologion.*

CODEX CXXVII. e. II. 11.

Membranaceus, duplici columna exaratus, optimæ notæ, atque lectionis, sæculi XIII. folia habet 110.

Fol. 1. Est *Pastoralis Beati* GREGORII *Papæ liber*, cum editione Parisiensi anni 1705. tom. II. pag. 7. aptissime conveniens.

Fol. 84. Excerpta ex variis Patribus, scilicet AUGUSTINO, ISIDORO, PROSPERO, & HIERONYMO, quibus multa continentur de pastorum moribus, atque opera ab iis præstanda in Reipublicæ Christianæ regimine.

CODEX CXXVIII. e. II. 12.

Membranaceus, duplici columna scriptus, sæculi XIII. foliis constat 132.

Anonymus in eo Doctor *Veteris, & Novi Testamenti* loca, quæ in *Moralibus*, aliisque *Divi* GREGORII *Papæ* operibus illustrata occurrunt, secundum librorum seriem collegit, apposita multiplici ejusdem S. *Gregorii* interpretatione. Opus in tres libros distinctum fuerat, quorum posterior *Novo Testamento*, priores duo *Veteri* adsignati, quemadmodum ab autore præfinitum initio legimus. Ast nunc Codex desinit in *Cantico Canticorum.*

Præit prologus, in quo collectionis a se factæ rationem, utilitatemque Autor ostendit, quin tamen ullibi se prodat. Initium huiusmodi est: *Cum Beatissimi atque Apostolici Gregorii Pontificis nostri nec non ac vestri quoque ad Deum nutriturus dicta sepius lectione percurrerem avidiusque assiduum esse ipsa luculentissima verborum eius satisfactio suaderet & quiddam in eis repperi sine comparatione potissimum. Dum igitur unius sancti viri hoc est beati Job historiam obstrusis misteriorum opacitatibus textam sub triplici. idest typica. morali atque historica studuit expositione succutere ac perpulso ignorantiæ nubilo in aperto cunctis luce*

Digitized by Google

luce clarius ſerena patefactione monſtrare pene totam Veteris ac Novi Teſtamenti ſeriem rerum explanandarum neceſſitate eſt coactus exponere &c.

CODEX CXXIX. *e.* II. 17.

Membranaceus, conſtans foliis 59. ſæculi XIII. optimæ lectionis. Complectitur epiſtolas, & carmina nonnulla Arnulfi *Lexovienſis*, qui ſæculo XII. florebat. Omnia a nobis accurate collata ſunt cum editis in *Bibliotheca Patrum* tom. XXII. pag. 1325. ac probe convenire deprehendimus uſque ad epiſtolam, in qua ſermones ab eodem in Synodo habiti continentur. In ſermone etenim, cuius initium: *Quis putas fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam &c.* prout exſtat in dicta *Bibliotheca*, variarum rerum facta eſt perturbatio; & poſt verba: *a familia moleſtiæ depellantur*, continua ſerie poſita ſunt alia, quæ ad epiſtolam *Arnulfi ad Cæleſtinum pro Eccleſia Sagienſi* ſpectant, nimirum: *Fundatum eſt veſtro tempore, non ſolvetur*. Contra in Codice *Taurinenſi* dictus ſermo integer legitur; atque poſt citata verba *moleſtiæ depellantur*, hæc ſtatim ſequuntur, *ut ſemper Domino proventus familieque provectus accreſcat*, & cetera, quæ legere eſt in *Spicilegio* Dachery tomo III. pagina 518. ſub titulo *fragmenti ſermonis quis putas*.

Finito ſermone ſequitur in Codice *epiſtola ad Cæleſtinum de promotione ſua*, quam fruſtra quæſiveris in *Bibliotheca Patrum*; edidit vero Dachery eodem tomo III. pag. 517.

Fol. 42. pagina 2. *Epiſtola* alia habetur *ad Cæleſtinum pro Sagienſi Eccleſia*, cuius initium: *Pro Sagienſi Eccleſia tota mente pedibus veſtre pietatis advolvitur confidens de verbis in Domino quia bonum quod in illa per anteceſſores veſtros Deo auctore fundatum eſt veſtro tempore non ſolvetur &c.*

Neque etiam hujus Epiſtolæ ulla fit mentio in *Bibliotheca Patrum*; ſed in ſermonem *quis putas fidelis ſervus* &c. coaluit, a verbis *fundatum eſt* &c. uſque in finem, ut ſupra innuimus.

Fol. 43. Quæ ſequuntur, ſatis cum editione conveniunt, ſi excipias ordinem, qui paullulum diverſus eſt. Et 1. quidem habentur binæ Epiſtolæ, *una ad Richardum de Almare præcentorem Linconenſem*, & altera ad *Abbatem Ciſtercienſem*.

Fol. 44. pag. 2. *Ad Dominum Papam Alexandrum Epiſtola*.

Fol. 46. *Ad Richardum Pictavienſem Archidiaconum Epiſtola*.

Fol. eodem pag. 2. *Ad Laurentium Abbatem Weſtmonaſterii Epiſtola*.

Fol. 47. *ad Henricum Fiſcannenſem Abbatem Epiſtola*, poſt quam habentur *Carmina*, eodem prorſus ordine, quo in *Bibliotheca Patrum*, ſi bina excipias *epitaphia*, alterum *Algari Conſtantienſis Epiſcopi*, alterum *Hugonis Archiepiſcopi Rothomagenſis*, quæ deſiderantur in Codice.

Poſt *Carmina* ſequuntur aliæ Epiſtolæ ſine ulla inſcriptione, quæ quidem in *Bibliotheca Patrum* poſitæ ſunt inter epiſtolam *ad Laurentium Abbatem Weſtmonaſterii*, aliamque *ad Henricum Fiſcannenſem* ſupra memoratas.

CODEX CXXX. *e.* II. 19.

Membranaceus, duplici columna exaratus, ſæculi XIV. elegantiſſimi characteris, atque lectionis nitidiſſimæ, literis initialibus vario colore pictis ornatus, foliis conſtat 110.

Præfert autem hunc titulum, *Concordia rerum Evangelicarum prout narrantur per unumquemque Evangeliſtarum poſita hic per ordinem . . . . . edita per Guidonem Epiſcopum Helnenſem de ordine Carmelitarum*.

Autor nimirum eſt Guido de Perpiniano, *Pariſienſis Doctor* vulgo appellatus, XIII. *Generalis Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo*, Majoricenſis primum Epiſcopus, poſtea ad Helnenſem Eccleſiam translatus.

Editam fuiſſe hanc Concordiam Co-

Digitized by Google

Coloniæ Agrippinæ anno 1631. ad calcem *Summæ de Hæreſibus* ab eodem GUIDONE compoſitæ, teſtatur Oudinus tomo III. pag. 862.

CODEX CXXXI. *e.* II. 20.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 157. ſæculi XIV. in quo Libri decem de *exemplis, & ſimilitudinibus rerum*, autore JOHANNE de SANCTO GEMINIANO *Ordinis Prædicatorum*, pluries typis editi.

CODEX CXXXII. *e.* III. 1.

Membranaceus, duplici columna, folia habens 172. ſæculi XIII. nitidiſſimi characteris, & optimæ notæ. Continet *tractatum* HUGONIS VICTORINI *de Chriſtianæ fidei Sacramentis*, in libros duos diſtinctum. Exſtat in editione Rothomagenſi anni 1648. tomo III. pag. 482.

CODEX CXXXIII. *e.* III. 8.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 127. ſæculi XIV. in quo XL. quæſtiones in librum I. *Sententiarum*. Autoris nomen, quod in calce poſitum fuerat, neſcio quo caſu evanuit.

Poſt quæſtionum tabulam ter repetitum legitur ſequens diſtichon.

Libro finito Deus alme preces tibi mitto.
Te precor & merito ne moriar ſubito.

Fol. 110. Nonnullæ quæſtiones habentur de *peccatis*, ſine ullo tamen autoris nomine.

CODEX CXXXIV. *e.* III. 9.

Chartaceus, ſæculi XV. foliis conſtans 129. varios complectitur tractatus DOMINICI *Epiſcopi Torcellani*, qui hactenus uſque inediti ſunt; nempe.

Fol. 1. *Liber de Epiſcopali dignitate* in ſex partes diviſus cum præfatione ad *Pium II. Pontificem Maximum*, quæ incipit: *Quod diu precatus ſum ab Optimo & immortali Deo Sanctiſſime & Maxime Pontifex ut Eccleſie ſue paſtorem ipſa dignum. ac primis Patribus non diſſimilem preficeret. jam mihi videor ampliſſime conſecutus &c.*

Poſt præfationem totius operis ſumma ſubditur hiſce verbis: *Tractatus de Epiſcopali dignitate. & poteſtate & honore eis exhibendo continet ſex partes. In prima parte ponuntur XXIV. rationes quod Epiſcopi ſint majores aliis. & ſpecialiter prothonotariis. & prehonorandi eis ubi ponuntur nomina ſignificantia dignitates. & poteſtates Epiſcoporum.*

In ſecunda oſtenditur quod nihilominus Cardinales Romane Eccleſie debent in honore aliqualiter preferri. ubi de excellentia Cardinalium agitur contra Epiſcopos.

In tertia ſolvuntur argumenta que prothonotarii pro ſe adducere poſſent.

In quarta propter rationes que contra Epiſcopos adduci poſſent. oſtenditur an Epiſcopi ſint majores presbyteris ex divina inſtitutione, & an Epiſcopatus ſit ordo ſacer diſtinctus a ſacerdotio.

In quinta oſtenditur quod Epiſcopus habet omnem poteſtatem ordinis. ſive conſecrationis.

In ſexta declaratur quod Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis in poteſtate, & auctoritate. & quas poteſtates Apoſtoli habuerunt.

In fine vero hæc leguntur. *Explicit liber iſte per me Joannem Eſchenfelder de Nurimberga. Scriptum Rome in domo Reverendiſſimi Domini* (Zeno) *Epiſcopi Paduani anno Domini* 1464. *die vero ſabbati menſis Decembris* 2. *Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri Pauli Pape II. anno* 1.

Fol. 105. Oratio habita in *funere Domini Pii Papæ ſecundi* per eundem DOMINICUM factum jam Brixienſem Epiſcopum. Incipit: *Filia Syon magna eſt velut mare contritio tua. Quis medebitur tui. Trenorum Ierem. II.*

Jeſum optimum Maximum ſupplex oro

Re-

Digitized by Google

Reverendiſſimi Patres. ut quoniam hunc locum ſimili pro cauſſa conſcendi. nunc exactis iam annis ſex felicioribus quam prius auſpiciis conſcendiſſe me faciat &c.

Ad calcem hæc habentur. *Reverendi Patris Domini Dominici Epiſcopi Torcellani oratio ad Reverendiſſimos Dominos ſancte Romane Eccleſie Cardinales habita Rome in baſilica Sancti Petri pro electione ſummi Pontificis* 4. *Kalendas ſeptembris* 1464. *Poſt hunc electus fuit Paulus II. vocatus prius Petrus Barbo natione Venetus Cardinalis Sancti Marci.*

Quæ hactenus memoravimus ex Taurinenſi Codice, *Patris Dominici Epiſcopi Torcellani* opuſcula, prætermiſſa fuerunt a Thomaſino in *Bibliothecis Patavinis*, a Philippo Labbeo in *Bibliotheca MSS.* & a Ludovico Jacobo a S. Lardo in *Bibliotheca Pontificia*, qui tamen multa de hoc ſcriptore verba faciunt, multoſque eius tractatus adhuc ineditos recenſent.

Fol. 111. Tractatus ejuſdem, *an Papa ligetur vinculis ſui iuramenti, & decretis conciliorum*. Initium ita ſe habet. *Quia nonnulli manus fortiſſimi vinculis iuramentorum, & decretis conciliorum ligare conati ſunt &c.*

Ad Calcem. *Anno Domini* 1465. *completus eſt liber iſte per me Joannem Eſchenfelder de Nurimberga Rome in domo Reverendiſſimi Domini Jacobi Zeno Epiſcopi Paduani Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri Pauli Pape II. anno primo menſis Januarii.*

Refertur hic liber a Ludovico Jacobo a S. Lardo ſub titulo *tractatus de Creatione Cardinalium*, & hoc principio. *Quia nonnulli manus Sampſonis &c.*

CODEX CXXXV. *e.* III. 14.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 130. ſæculi XIV. complectitur *Theologicas tractationes* ſecundum ordinem librorum *Magiſtri Sententiarum*, ſeu potius illorum compendium. Autor eſt MAGISTER GANDULFUS, ut in alio codice notatum reperimus: plures enim ſimiles nobis præſto ſunt. Initium ita ſe habet. *Cum hæc ſit fides catholica ut unum Deum in Trinitate & Trinitatem in Unitate veneremur non confundamus perſonas neque ſubſtantiam ſeparemus &c.*

CODEX CXXXVI. *e.* III. 25.

Membranaceus, duplici exaratus columna, ſæculi XIV. cui folia 115. Eaſdem continet *Theologicas tractationes*, quas modo enarravimus.

CODEX CXXXVII. *e.* III. 28.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, ſæculi XIV. folia habens 62. cui titulus, *Summa de vitiis, & virtutibus*, abſque ullo Autoris nomine. Incipit: *Surgite de medio Babylonis. Salvet unuſquiſque animam ſuam. Duo ſunt quibus maxime humana corrumpitur natura. ignorantia ſcilicet & vitium que homines confundunt, & in medio Babylonis eſſe faciunt &c.*

CODEX CXXXVIII. *e.* III. 41.

Membranaceus, duplici columna exaratus, foliis conſtans 51. ſæculi XV. literas præterea initiales præferens auro, varioque colore ductas, continet opuſculum *Leoninis* verſibus aptatum, ſub titulo *ſpeculi humanæ ſalvationis*. Ita vero diſtributum eſt, ut in unaquaque pagella binis figuris plures verſus ſubjiciantur. Figuræ inconcinnæ omnino ſunt, inelegantes, rudique manu delineatæ.

Hujus operis exemplar ab ipſis uſque artis typographicæ crepundiis editum, dum tabulis ligneis inciſis adhuc uterentur primi hujus artis inventores, ſervatur in *Bibliotheca Patrum Celeſtinorum Pariſienſium*.

CO-

Digitized by Google

CODEX CXXXIX. *e.* III. 42.

Chartaceus, folia habens 80. sæculi XV. *Polyantheam* fere mysticam exhibet, in qua multa ad morum informationem, & vitæ perfectioris normam pertinentia ignotus Autor congessit. A *Beati Johannis* verbis exordium sit hoc modo.

Beatus qui custodit verba prophetie hujus libri Apoc. 22. *Chrisostomus homil.* 36. *super Matth. dicit. Quemadmodum non proficit cibus nisi fuerit masticatus & in stomacum descenderit. Sic non proficit ad salutem verbum nisi tum cum fuerit intellectum &c.*

Titulos rerum, quæ tractantur, habes notatos in margine. Ad finem vero copiosa rejecta est tabula, in qua iidem tituli alphabeti ordine recensentur.

CODEX CXL. *e.* III. 43.

Membranaceus, duplici columna exaratus, foliis constans 94. sæculi XIII. optimæ notæ, atque lectionis, in quo plura continentur Theologica, atque philosophica opuscula. Initio quidem fragmenta tractatus cujusdam philosophici compacta fuere.

Fol. 3. *Incipit liber Tdalii qui dicitur prognosticon idest de vita futura.* Habentur nimirum sub hoc titulo *Sancti* JULIANI *Archiepiscopi Toletani de vita futura libri tres*, quos *Idalio Barcinonensi Episcopo* dicavit, quemadmodum inscribuntur in *Bibliotheca Patrum* Lugdunensi tom. XII. pag. 590. Initium fit his verbis: *Diem illum clara redemptorum omnium exceptione conspicuum quem presenti anno pariter in urbe Regia positi passionis Dominice festum festivo cordis ardore suscepimus &c.* Omnia cum dicta editione apprime conveniunt.

Fol. 29. *Sermo de anima, & corpore*, prætermisso autoris nomine. Incipit. *Sopitam plerumque concupiscentiam nostram hostis humani generis oblatis quibusdam fantasmatum figuris excitat Evamque nostram in nos serpens antiquus instigat.*

Fol. 38. Tractatus Philosophicus ignoti plane autoris, in tres partes divisus.

In prima sermo fit de *cognitione, de Deo, & trium personarum distinctione, atque proprietatibus, tum de visibili, ac elementari orbe.*

In secunda *Cælestium corporum natura, & motuum eorundem ratio* demonstratur.

In tertia *de aere, aqua, igne, tellure*, variisque phænomenis ad hæc spectantibus, instituitur quæstio; nec non *hominis ortus, vires, progressus, senectus, corporis membra, eorumque officia* examinantur.

Prologi initium habes in his verbis. *Quoniam eloquentia sine sapientia nocet. sapientia vero sine eloquentia etsi parum tamen aliquid cum eloquentia autem maxime prodest. extant qui postposita proficiente & non nocente adhærent nocenti & non proficienti.*

Fol. 60. *Incipit Epistola Petri Damiani ad Adam de die judicii, & præcedentibus signis.*

Epistola hæc *Adæ Fratri* inscripta in editione Parisiensi operum B. DAMIANI anni 1663. refertur sub titulo *de Novissimis, & Antichristo* inter opuscula numero 59. tom. III. pag. 386. & manca quidem, ac mutila: desinit enim in iis verbis: *Signum decimi quinti diei. Vivi homines morientur, ut resurgant cum mortuis longe ante defunctis.* Hinc apposita in margine hæc adnotatio: *Opusculi hujus finis videtur imperfectus.* Vere utique; nam multa in Codice nostro adhuc sequuntur, quæ non inutile fuerit hoc loco describere.

„ Cum mortuis longe ante defun-
„ ctis. finis id est dies judicii. Quia
„ igitur per septenarium numerum an-
„ tiqua secula decurrerunt. Octonario
„ autem numero Evangelicum tempus
„ evolvitur. de septem vero & octo
„ quindenarii summa conficitur. Di-
„ gnum

Digitized by Google

„ gnum ergo fuit. ut idem ſignorum
„ numerus tempus utrumque conclu-
„ deret quo videlicet & tempora ipſa
„ conſtarent. ſed hec nos utcunque
„ fides adhibenda ſit, in lectoris arbi-
„ trio ponimus. immo Dei omnipo-
„ tentis cui manifeſta ſunt omnia, no-
„ ticie reſervamus. Tu autem venera-
„ bilis frater hec & hujuſmodi ſedule
„ meditare. In his ingenium tue men-
„ tis indeſinenter exerce. ut dum hec
„ intra conſcientiam verſas vanas co-
„ gitationes & inepta ſurſum intentus
„ excludas. Vane enim cogitationes
„ de corde proferunt frigora, cum
„ mens videlicet a veri ſponſi fervore
„ requieſcit. & quaſi vanos amatores
„ per inanium cogitationum ſemitas
„ diſcurrit. Mox enim ut ab amplexi-
„ bus reſoluta ſui Redemptoris egredi-
„ tur errabundis male libera greſſibus,
„ per tintillantium cogitationum ille-
„ cebras evagatur, ut juxta prophe-
„ tiam ſub omni ligno frondoſo me-
„ retrix procidatur, & omni tranſeun-
„ ti per viam corpus ſuum divagata
„ ſubſternat. Tunc infelix anima ſit
„ ſimul & vaga. Quia dum in creato-
„ ris amore frigefricta non figitur.
„ tamquam per flantium ventorum im-
„ pulſus, ſic ingruentium vitiorum im-
„ pulſione raptatur. Unde per Pro-
„ phetam dicitur. Serpenti pulvis pa-
„ nis eſt. Et David: Non ſic impii
„ non ſic. ſed tamquam pulvis quem
„ projicit ventus a facie terræ. Tu
„ autem dilectiſſime eſto quod dice-
„ ris, ut rebus ipſis miſterium tui no-
„ minis exprimere videaris. Adam ſi-
„ quidem interpretatur terra rubra. Et
„ certe Eccleſiaſtes loquitur. Genera-
„ tio preterit & generatio advenit.
„ terra vero in eternum ſtat. Et di-
„ lectus in canticis dicit ad ſponſam.
„ Sicut vitta coccinea labia tua, &
„ eloquium tuum dulce. ſicut fragmen
„ mali punici, ita gene tue. Terra
„ ergo conſtantie ſtabilitatem rubra
„ caritatis deſignat ardorem. Auden-
„ ter dicam quod preter ſolum Adam,
„ celeſte regnum nullus ingreditur, nec
„ ad electorum valet aſpirare conſor-
„ tium, niſi qui hujus nominis in ſe
„ continet ſacramentum. Eſto igitur
„ terra ut fixo pondere conſiſtentem, in-
„ ruentium temptationum te aura non
„ rapiat. Eſto ſimiliter & rubra ut
„ mens tua in Redemptoris tui ſemper
„ amore ferveſcat. Eſto terra ut te
„ ſemper in ima tamquam vile lutum
„ per humilitatis cuſtodiam deprimas.
„ Eſto nichilominus rubra ut ad con-
„ cupiſcenda celeſtia quoſcumque po-
„ tueris & ipſe vaporatus alios accen-
„ das. Eſto terra ut in te non nutan-
„ tis fidei colloces fundamentum. Eſto
„ rubra, ut ſuper hoc erigatur cohe-
„ rentium ut in caritate ſtructura vir-
„ tutum, ut ſit in te ſicut per Apo-
„ ſtolum dicitur fides que per dile-
„ ctionem operatur. Diem vero judi-
„ tii ad quem tendit omnis prolixi-
„ tas temporum, cui certe militant
„ omnes pagine ſcripturarum, ita ma-
„ gnum tibi tremendumque pone.
„ quem nec mens quantumlibet ſagax
„ ſicut eſt comprehendere, nec ullus
„ humane lingue ſermo valeat expli-
„ care. Cujus videlicet mens tua con-
„ tinuo terrore transfixa nec carnis un-
„ quam delectari poſſit illecebris, nec
„ a tenendo ardue converſationis in-
„ ceſſu quibuslibet obtundatur adver-
„ ſis. Sicque diem juditii metuat in-
„ minentem, ut non expediat timere
„ preſentem. Quatinus dum tuo judi-
„ tio prudenter examinas. ante tribu-
„ nal eterni judicis non denuo judi-
„ candus ſed jam judicatus, ac per
„ hoc purificatus aſſiſtas. Et qui in
„ confeſſione faciem judicis preveni-
„ ſti, non juditii compellaris ſubire
„ cenſuram, ſed judex cum judicibus
„ & ſenatoribus terre feliciter introdu-
„ caris in gloriam. Amen.

Fol. 62. Nonnulla habentur de ſep-tem miraculis mundi, tum de conſe-cratione lapidum; quæ unde ſumpta ſint, conjicere non poſſumus. Ad ho-rum vero calcem legitur *Oratio quam*

Digitized by Google

Dominus misit per Angelum Sancto Abdoeno Rothomagensi Archiepiscopo contra fulgura; & hujusmodi est.

Omnipotens sempiterne Deus propitiare metuentibus, parce supplicantibus. ut post noxios ignes imbrium, & vim procellarum, in materiam laudis transeat comminatio potestatis. per dominum &c.

Fol. 63. *pag.* 2. *Incipit prologus in libro, qui vocatur Elucidarius*. Est nimirum *Elucidarium*, sive *Dialogus*, totius Christianæ Theologiæ summam complectens, inter opera dubia relatus *Sancti Anselmi* in *Appendice* ejus operum pag. 457.

Fol. 88. *pag.* 2. Ad calcem præcedentis operis subditur *invitabilis legatio Fratrum ad magistrum*, cujus initium: *Fratres in Domino Dei cum consensu ambulantes sunt pro tua salute orationi instantes &c.*

Fol. 90. Sequuntur excerpta ex libris *Beati Augustini contra Parmenianum*, tum ex libris *de Trinitate*.

CODEX CXLI. *e.* IV. 1.

Chartaceus, sæculi XV. folia habens 74. non numeratis paucis initio positis, in quibus nonnulla descripta sunt de variis modis, quibus *Decalogi* præcepta, ceteraque religionis Christianæ instituta violari possunt, nec non epistola de cura rei familiaris, cujus titulus: *Ratioso militi & felici Raymondo Domino custodi Ambrosii Bernardus in servum deductus salutem*. Initium autem: *Doceri petis a nobis de cura & modo rei familiaris utilius gubernande & qualiter Patres familias debeant se habere &c.* V. Cod. *l.* II. 33.

Hisce velut extra ordinem positis, incipit *fol.* 1. ALBERTANI *liber de doctrina dicendi & tacendi*, qui incipit: *Initio & medio ac fini mei tractatus adsit gratia omnipotentis Spiritus Sancti. Quoniam multi sunt qui in dicendo errant &c.*

Fol. 7. Ejusdem *Liber de amore & dilectione Dei & proximi & de forma honeste vite & aliarum rerum*. Incipit: *Initium mei tractatus sit in nomine Domini a quo cuncta bene procedunt &c.*

In fine libri hæc leguntur. *Explicit liber de amore & dilectione Dei & proximi & aliarum rerum & de forma vite quem Albertanus causidicus Brixiensis de bora sancte Agathe compilavit cum esset in carcere Domini Imperatoris Federici in Civitate Cremone in quo positus fuit cum esset capitaneus Govardi ad defendendum ipsum locum ad utilitatem Communis Brixie. Anno Domini* 1238. *de mense Augusti in die Sancti Alexandri quo obsidebatur civitas Brixie per eumdem Imperatorem*.

Similem fere huic codicem exhibet *Bibliotheca Codicum MSS. Divi Marci* pag. 80. & innumeros a se visos testatur Oudinus tomo III. pag. 189. in quibus dicta *Albertani* opera exstabant: additque, primum *Cunei* impressa fuisse per *Magistrum Viotum de Dulcis* anno 1507. multis tamen mendis referta.

CODEX CXLII. *e* IV. 2.

Membranaceus, foliis constans 329. sæculi XV. optimæ notæ, atque lectionis, variis coloribus initio distinctus, ac stemmate *Cardinalis a Ruvere* insignitus, in quo commentarius in librum quartum *Sententiarum* PALUDANI.

Ad calcem legitur. *Explicit quartus sententiarum Fratris Petri de Palude Ordinis Predicatorum Doctoris in Theologia eximii natione Burgundi feliciter* 1479. *die* 4. *Octobris*.

CODEX CXLIII. *e.* IV. 5.

Chartaceus, duplici columna scriptus, folia habens 461. sæculi XV. in quo *summa casuum conscientie fratris* BARTHOLOMEI *de* SANCTO CONCORDIO *de Pisis Ordinis Predicatorum*.

In fine: *Consummatum fuit hoc opus in civitate Pisana anno Domini* 1338. *in mense Septembris tempore Sanctissimi Patris Domini Benedicti Pape* XII. *Explicit iste*

Digitized by Google

iſte liber per manum Ludovici Thorem de Nouschia presbyteri quem ſcripſit in dicto loco anno Domini 1457. *& finivit in menſe Decembris die* XX.

CODEX CXLIV. *e* IV. 6.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 93. ſæculi XIV. optimæ notæ, nitidæque lectionis, cuique ornamenta non deſunt. Commentaria continet in IV. libros *Sententiarum* MAGISTRI FRANCISCI de MARCHIA *Ordinis Fratrum Minorum*, clariſſimi eo, quo vixit tempore, Theologi, *quem*, ut habet Wadingus in *Annalibus Minorum* tom. VI. pag. 137. *ex cognomine Picentem credit non immerito Poſſevinus, & ex fragmentis a Canonico relatis egregie ſubtilem reputat Ferchius, & Scoti diſcipulis annumerat*. Incipiunt autem his verbis: *circa primum librum queritur primo utrum creatio ſit de materia vel de Deo* &c.

Nondum typis vulgata fuiſſe hæc commentaria, aſſerit Oudinus tom. III. pag. 807. Exſtant MSS. etiam in *Bibliotheca Paulina Lipſienſi*, ut legere eſt in catalogo ejuſdem pag. 184.

CODEX CXLV. *e.* IV. 7.

Membranaceus, duplici exaratus columna, folia habens 250. ſæculi XIV. Continet *ſummam Confeſſorum Fratris* JOHANNIS LECTORIS *de* FRIBURGO *Teutonici dicti*: quem cave ne confundas cum *Johanne a Wildeshuſen*, & altero *Johanne Semeca Halberſtatenſis Eccleſiæ Præpoſito*, Teutonicis pariter patria, & cognomento.

JOHANNES igitur autor noſtri codicis cum tabulam ſuper *Raymundi ſummam* confeciſſet, & *quæſtiones caſuum*, ſummam ipſe colligere aggreſſus eſt, in qua (verba ipſiuſmet *Johannis* ſunt in prologo) *non tantum caſus qui in ſumma R. P. F. Raymundi & ejus gloſſa ſcripti ſunt poſui in quibus que a poſterioribus Doctoribus plus vel minus approbantur adjungens quantum reperi ſed etiam ſub iiſdem titulis cum rubricellis additis queſtiones in priori libello poſitas & plura ex gloſſa D. Innocentii IV. ſuper Decretales & aliorum Doctorum addidi. ut in uno volumine collecta animarum medici multa de his que requirunt inveniant. & ex diverſorum concordia Doctorum ſciant quid ſit probabilius & ſecurius judicandum.*

In fine eſt *tabula ſuper Raymundi ſummam* ab eodem Johanne concinnata.

Fol. 187. Supplementi loco ſequitur compendioſa collectio quorundam ſtatutorum ex VI. *Decretalium* libro.

Fol. 197. Index copioſiſſimus alphabeti ordine digeſtus rerum in ſuperiori *Johannis ſumma* contentarum.

Fol. 235. Nonnulla folia huc rejecta ſunt, quæ ad librum 4. *ſummæ* pertinent, errore illius, qui codicem compegit.

Fol. 247. Tractatus alter ejuſdem *Johannis Teutonici*, additus *ſummæ*, neque hactenus uſque typis conſignatus; nimirum, *Confeſſionale fratris Joannis Theutonici Ordinis Predicatorum*. Incipit: *ſimpliciores & minus expertos confeſſores de modo audiendi confeſſiones informare cupiens aliquid in hoc tractatu ad horum inſtructionem compendio poſui &c.*

Multos hujus operis MSS. codices in variis Bibliothecis deliteſcentes numerat Eccardus de *Scriptoribus Ordinis Prædicatorum* tom. I. pag. 525.

CODEX CXLVI. *e.* IV. 8.

Membranaceus, duplici exaratus columna, foliis conſtans 158. ſæculi XIV. bonæ notæ, & literis initialibus auro circumductis, ac tabella ab initio picta conſpicuus, in qua Fratres *Ordinis Minorum mutuo colloquentes* conſpiciuntur, *commentaria* exhibet in IV. libros *Sententiarum* FRATRIS VARRINI de *Ordine Minorum*, typis nondum vulgata.

Floruit *Varrinus* circa finem ſæculi XIII. propter eruditionis ſoliditatem *Doctor fundatus* a Wadingo cognominatus, atque inter ceteros audi-

Digitized by Google

torem habuit *Johannem Duns Scotum*, qui etiam multa ſumpſiſſe dicitur ex hoc præceptoris ſui commentario.

In fine operis immutatum tantiſper autoris nomen obſervavimus. Habetur enim: *Expliciunt tituli quarti libri Guarre*. Sed utroque nomine appellatum fuiſſe, modo *Warronem*, modo *Guarronem* ab Oppido natalium, docet Oudinus.

Eadem commentaria reperiri MSS. etiam in Bibliothecis *Paullina Lipſienſi*, *& ſancti Antonii Patavii*, *tradunt Fellerus*, *& Thomaſinus*.

CODEX CXLVII. *e.* IV. 9.

Membranaceus, duplici columna exaratus, nitidæ ſatis lectionis, ſæculi XIV. cui folia 185. Habet commentaria in I. librum *Sententiarum* Divi Bonaventuræ, cujus tamen nomen prætermiſſum fuit.

CODEX CXLVIII. *e.* IV. 10.

Chartaceus, ſæculi XVI. conſtans foliis 69. Continet *lectiones in librum I. Sententiarum Joannis Scoti* a diſtinctione V. uſque ad diſtinctionem IX. Qua occaſione compoſitæ fuerint, & quem autorem habeant, patebit ex verbis, quæ in fine ſequentis codicis poſita exſcribemus.

CODEX CXLIX. *e.* IV. 10.

Chartaceus, conſtans foliis 76. eaſdem complectitur *lectiones in librum I. Sententiarum Joannis Scoti* a diſtinctione XXVII. uſque ad ultimam.

In fine. *Explicit lectura ſuper I. librum ſententiarum Joannis Scoti Doctoris compilata, & edita per me Fratrem Jacobinum Malafoſſium de Baroys Ordinis Minorum Conventualium, publice in Univerſitate Patavina metaphiſicam ordinarie legentem ac conventus Fani ſancti Antonii de Padua . . . . . quam Deo preſtante complevi* 1535. *die* 23. *Aprilis ad laudem ejuſdem Dei ac ejus glorioſe & ſemper Virginis matris & omnium electorum ſanctorum Amen.*

Profeſſor Metaphyſicæ addendus hiſtoriæ *Gymnaſii Patavini* editæ a Comneno Papadopoli.

CODEX CL. *e.* IV. 11.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 162. ſæculi XIV. in quo commentaria in librum IV. *Sententiarum*. Explanatoris nomen in fine poſitum, arte deletum fuit. Initium eſt hujuſmodi. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris; & dicetis in illa die. Confitemini Domino. Iſa. XII. In his verbis ſufficienter exprimitur duplex effectus Sacramentorum, de quo in libro IV. agitur &c.*

CODEX CLI. *e.* IV. 12.

Membranaceus, duplici exaratus columna, ſæculi XIV. folia habet 168. Sunt in eo *commentaria*, ſeu *lectiones* in *IV. libros Sententiarum* ignoti autoris. Initio ita legimus: *utrum per diſcurſum Theologicum poſſit haberi habitus proprie ſcientificus &c.*

CODEX CLII. *e.* IV. 13.

Membranaceus, duplici exaratus columna, foliis conſtans 157. optimi characteris, ſæculi XIV. in quo *commentaria in II. librum Sententiarum* Richardi a Media Villa *de ordine Fratrum Minorum*.

CODEX CLIII. *e.* IV. 14.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 228. ſæculi XIV. in quo *commentaria in III. librum Sententiarum*, ſine autoris nomine. Initium ita ſe habet: *Deus autem qui dives eſt in miſericordia propter nimiam caritatem ſuam qua dilexit nos cum eſſemus mortui peccatis. convivificavit nos Chriſto &c.*

CO-

Digitized by Google

CODEX CLIV. *e.* IV. 15.

Membranaceus, duplici columna exaratus, folia habens 143. ſæculi XIV. Multas complectitur Theologicas quæſtiones ignoti autoris de *ſacrificiis in genere*, de *ſacrificiis legalibus*, de *charactere*, tum de *comparatione vitæ activæ*, & *contemplativæ*, de *immortalitate Adæ in ſtatu innocentiæ*, de *unitate corporis myſtici*, de *ſanatione mentis*, de *communibus actibus virtutum Cardinalium*, de *obedientia*, de *duobus principiis*, de *malo*, de *peccato*, aliiſque.

Incipit: *Queſtio eſt de ſacrificiis in genere I. utrum ſimpliciter Deo placebant, vel ſecundum quid ſolum &c.*

CODEX CLV. *e.* IV. 16.

Membranaceus, duplici exaratus columna, elegantis, nitidique characteris ſæculi XIII. 130. foliis compactus, in quo varia opuſcula ex Scriptoribus Eccleſiaſticis collecta leguntur.

Fol. 1. *Speculum Eccleſiæ*, quod *Hugoni de ſancto Victore* attribui ſolet, quanquam indignum prorſus tanto autore judicat Oudinus tom. II. pagina 1157. tum propter ſtyli imperitiam, atque intolerandam barbariem, tum propter ineptum Scripturarum uſum, & alia rationum momenta, quæ idem Oudinus fuſius commemorat. Exſtat in editione Rothomag. tom. III. pag. 335. perfectamque conſenſionem cum noſtro Codice invenire contigit.

Fol. 23. pag. 2. HIERONYMI epiſtola ad Damaſum Papam *de frugi filio & luxurioſo*.

Prolixam ſane hujus Parabolæ explanationem Damaſo ſcripſit *Hieronymus*. Inprimis enim multa præmittit, quorum Damaſus ſolutionem petierat, & principia quædam ponit ad eruendum felicius Parabolæ ſenſum. Hæc vero in codice noſtro deſiderantur, initiumque fit ab iis verbis: *Homo quidam habebat duos filios. Hominem Deum dici multis teſtimoniis approbatur &c.*

Legitur hæc epiſtola in editione Pariſienſi *Benedictinorum* Tom. IV. parte I. pag. 149.

Fol. 28. *pag.* 2. Pauca ſequuntur *de anima Chriſti*, quæ unde ſumpta fuerint, non indicatur. Incipiunt autem: *Quo ivit anima ejus poſt mortem &c.* Poſt hæc nonnulla adduntur *de originali peccato*.

Fol. 29. *pag.* 2. *Prologus in libro Sapientiæ*; cujus initium. *Sapientia confortat ſapientem ſuper decem Principes civitatis. Nobis ad ipſum opus ſapientiæ exponendum &c.*

Prologum ſequitur ipſe liber SAPIENTIÆ cum *Gloſſis* intra textum, & brevibus in margine adnotationibus. Sint ſpeciminis loco priores duo verſiculi.

Non ſolum facite ſcilicet caro obediat ſpiritui
Diligite juſtitiam
quibus data eſt ſ. poteſtas judicandi.
qui judicatis terram.
hoc eſt ſcripturam pie legite & intelligite
Sentite de Domino in bonitate, & ſimplicitate cordis querite illum. qui invenitur ab
non temptabis Dominum Deum tuum
his qui non temptant illum. apparet autem
ſ. juſtis ſ. quia juſtus ex fide vivit.
eis qui fidem habent in illum.

In margine vero hæc adnotata leguntur.

Rab. hunc librum Jeronymus aſſerit non a Salomone ut putatur ſed a Philone doctiſſimo quodam Judeo fuiſſe conſcriptum quem pſeudographum & falſo conſcriptum appellat quia nomen alienum vel aliud uſurpat. Cujus expoſitionem presbyter belator octo voluminibus comprehendit. Dicit tamen Jeron. hunc librum apud Hebreos non haberi. Sed Grecam magis redolere eloquentiam nec inter canonicas recipi ſcripturas.

Ceterum in prologo multa ſunt verba de autore libri *Sapientiæ*, videturque confirmari ſententia *Hieronymi* tribuentis illum Philoni Judæo.

Fol. 52. *pag.* 2. *Tractatus de matrimonio*, prætermiſſo autoris nomine, cujus initium. *Cogit me dilectionis veſtre prerogativa nobilis & amabilis Domine de matrimonii jure quedam compendioſe perſcribere &c.*

Cir-

Digitized by Google

Circa impedimenta totus fere verſatur.

Fol. 61. *pag.* 2. Sermones varii in feſtis quibuſdam anni decurſu occurrentibus, nec non argumenta ad mores ſpectantia continentes, ex variis, crediderim, ſcriptoribus excerpti, quorum tamen nomina nullibi apparent.

Fol. 112. *pag.* 2. Sermo BEATO HIERONYMO falſo adſcriptus *de aſſumptione beate & glorioſe ſemperque Virginis Marie.*

Fol. 115. Totius *Miſſæ* brevis expoſitio ignoti autoris. Incipit: *Celebracio miſſe in commemoratione paſſionis Chriſti peragitur &c.*

Fol. 126. *Expoſitio Symboli admodum utilis*; cujus initium. *Symbolum Grece Latine conſolatio ſive ſignum vel indicium &c.* omiſſo pariter ſcriptoris nomine.

CODEX CLVI. e IV. 17.

Chartaceus, conſtans foliis 267. ſæculi XVI. Multa continet opuſcula adverſus *Muhammedicam ſectam.*

Fol. 1. *Summula brevis contra hereſes & ſectam diabolice fraudis Saracenorum ſive Iſmaelitarum.* Hæc interrupta eſt ob codicem male compactum.

Fol. 7. *Lex Saracenorum ſive Alchoranus Latine verſus a Roberto Retenenſi ex juſſu Petri Abbatis Cluniacenſis*; cui inſcripta eſt præfatio. Hæc profecto anteire debent; poſtmodum enim iterum ſequitur *Summula* prædicta.

Ad calcem vero omnium ita legimus. *Illuſtri viro Petro Cluniacenſi Abbate precipienti ſuus Angligena* Robertus Kertnenſis *librum iſtum tranſtulit anno Chriſti M. C. XLIII. anno Alexandri MCCCCIII. anno * Alligere quingenteſimo trigeſimo ſeptimo. Anno Perſarum quingenteſimo undecimo. Hunc librum fecit Dominus Petrus Cluniacenſis Abbas transferri de Arabico in Latinum a Petro Magiſtro Toletano cum eſſet ipſe Abbas in Hiſpaniis conſtitutus cum glorioſo Adefonſo eo anno. quo videlicet Imperator Coriam civitatem cepit.*

Iiſdem fere verbis terminatur codex MCCII. *Bibliothecæ Regiæ Pariſienſis*, referente Oudino tom. II. pag. 1161. Ceterum opus jamdiu typis vulgatum eſt.

Fol. 207. *Cronica Saracenorum* ignoti Scriptoris. En tibi initium. *In creationis ſue primordio Deus manu propria quatuor condidit prout multorum Arabum ceterorumque Saracenorum auctoritas aſſerit &c.*

Fol. 224. *Doctrina Mahumedis ab Hermano translata*; cujus initium: *Erat nuntius Dei. oratio Dei ſuper eum & ſolus ſedens inter ſocios in civitate ſua Jeſrab. & deſcendit ſuper eum Angelus Gabriel &c.*

Fol. 235. Hiſtoria variarum religionum a RICCOLDO concinnata, ſeu *Itinerarium*, ut innuere videntur verba, quæ tituli loco ſunt poſita, nimirum: *Riccoldus Ebron Theologus cum Pape inſtituto multas provincias peragraſſet hanc denique hiſtoriam de variis religionibus quas invenerat compoſuit. fuit vero occidentalis &c.*

De hoc ſcriptore maxima eſt inter Caveum, Oudinum, & Eccardum diſputatio. Eccardus enim tom. I. pag. 504. *Scriptorum Ordinis Præd.* notat, *Ricoldum* vocitatum fuiſſe ab aliis *Ricaldum*, vel etiam *Ricardum de Monte Crucis*, & *Ordini Prædicatorum adſcribit*, ejuſque *Itinerarium* Gallice redditum a F. Joanne Lelong Iprenſi ſancti Bertini Audomaritani, vidiſſe ſe Pariſiis in *Regia Bibliotheca* numero 8389. affirmat. Hoc itinerarium idem fortaſſe fuerit, ac modo a nobis memoratum, quamvis prologum ab Eccardo relatum, in noſtro codice invenire non fuit.

Oudinus vero tom. III. pag. 571. perperam appellari ait a nonnullis *Ricoldum*. Contendit eſſe *Richardum*, & quidem natione Florentinum, ex *Ordine Prædicatorum*, & circa annum 1280. floruiſſe.

Caveus tandem tomo II. pag. 339. & *Ricoldum*, & *Richardum de Monte Crucis*

Digitized by Google

Crucis appellat, atque *Ordini Benedictinorum* adnumerat circa annum 1296.

Hæc adnotasse sufficiat; nobis enim animus non est criticam hic disputationem instituere, atque alterutrius errorem emendare. Omnes interea in hoc conveniunt, sub *Ricoldi* nomine exstare refutationem *legis Muhammedanæ*, quæ sequitur in codice nostro fol. 247. licet mutila fine. Hanc ex Latina lingua in Græcam transtulit Demetrius Cydonius.

* *Alligere*, idest *Hegiræ*, sive fugæ Muhammedis a Mecca ad Medinam, a quo tempore universi Muhammedicæ sectæ cultores annos suos numerare consueverunt.

CODEX CLVII. *e* IV. 18.

Chartaceus, duplici columna exaratus, folia habens 120. sæculi XV. in quo *Tractatus de potestate Pape & termino ejus per concordantias Theologie ac juris Canonici Reverendi Domini* DOMINICI VENETI EPISCOPI TORCELLANI.

Huius Scriptoris mentio jam a nobis facta est in Codice *e* III. 9. ubi plures ejus tractatus ineditos recensuimus, quibus hic addendus.

Ceterum Ludovicus Jacob a S. Lardo relatus ab Oudino tom. III. pag. 2570. duos memorat in *Bibliotheca Pontificia* tractatus *Dominici Episcopi Torcellani* de *potestate Pape*, exstantes Patavii in *Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ*, quorum unus incipit *Gessit*, alter *Mortali*, aliter profecto, quam in nostro Codice. In nostro enim primo loco est epistola Callixto III. inscripta, quæ incipit. *Rex ille sapiens qui ut nomine & sapiencie excellentia summi Regis ac veri Pontificis Jesu Christi gessit figuram &c.*

Postea subditur divisio libri hoc modo.

Prima pars de potestate Pape erga universalem Ecclesiam & membra ejus indifferenter. Ubi queritur an valeat circa divinum aliqua circa jus positivum omnia dispensare.

Secunda pars de potestate ejusdem circa Episcopos & Episcopatus.

Tertia pars de potestate ejusdem in comparacione ad Cardinales & Cardinalatum.

Quarta pars de potestate ejus in comparacione ad Imperium & regnum & Principes laicos & temporalia.

Quinta pars de potestate ejus in comparacione ad ipsum Papatum & successores ejus.

Fol. 47. Tractatus *de Episcopali dignitate*, idem, qui in codice *e* III. 9.

CODEX CLVIII. *e* IV. 19.

Chartaceus, duplici scriptus columna, foliis constans 59. sæculi XV. sequentes tractatus complectitur.

Fol. 1. *Tractatus de potestate Pape & Concilii generalis Concilii Basileensis tempore compositus ad defensionem Eugenii Pape IV.* Autoris nomen desideratur. Prologi vero initium habes in his verbis. *Quamvis ut ait Beatus Hieronymus grandes materias ingenia parva non sufferant materiam autem grandem & arduam censeam doctrinam quamlibet pertinentem ad fidei pietatem &c.*

Expleto opere legitur.

Domine Deus meus in te confido.

Rome Kalendis Januarii 1472.

Fol. 56. *Consilium Domini Joannis de Miliis de Brixia advocati concistorialis repertum post mortem suam inter libros suos propria manu scriptum.* Mutilum est in fine. Versatur autem circa quædam dubia pro intelligentia capituli *Frequens* editi in Concilio Constantiensi, in quo statutum fuit, singulis decenniis celebranda esse Concilia Generalia.

CODEX CLIX. *e.* IV. 21.

Chartaceus, circa finem sæculi XV. constans foliis 74. Continet tractatum *de jejunio*, cui præmittitur epistola *commendatoria* cum hac inscriptione.

Reverendissimo in Christo Patri & Domino meo Colendissimo Antonio Trivulcio viro Decretorum Doctori sapientissimo tituli Sancte Anastasie Sancte Romane Ecclesie

Digitized by Google

cleſie presbytero Cardinali digniſſimo debita reverentia & humillima commendatione premiſſa.

Ad calcem tractatus hæc habentur. *Premiſſum tractatum compoſuit Frater Stephanus ex Nottis primo in alma Breyde domo Ordinis humiliatorum . . . . . profeſſus & nunc in domo de Carugate ejuſdem Ordinis & civitatis prepoſitus artium & Theologie magiſter ac Decretorum Doctor.*

In ipſa operis fronte oculis ſubjicitur tabella, in qua Cardinali Trivulcio purpurea veſte decorato, atque ſedenti *Frater Stephanus* libellum offert, ipſiuſque gratiam precatur; tum inferius ipſius Cardinalis gentilitium ſtemma exhibetur.

CODEX CLX. *e.* IV. 25.

Membranaceus, duplici exaratus columna, folia habens 69. ſæculi XIV. in quo Tractatus de *vitiis*, *ac virtutibus* initio mutilus, ad cujus calcem legitur.

Explicit ſumma Domini Primicerii de vitiis ac virtutibus.

Fol. 58. *pag.* 2. ſequuntur nonnulla de peccatis ad Epiſcopum mittendis, ac de iis, quæ irregularitatem inducunt.

Poſt hæc ſermones aliquot ignoti autoris.

CODEX CLXI. *e.* IV. 26.

Membranaceus, foliis conſtans 99. nitido charactere, & duplici columna deſcriptus circa finem ſæculi XIV. continet libros *Sententiarum* in compendium redactos, ſeu *Summam Theologicam*, ut eſt in codice *e* III. 14.

CODEX CLXII. *e.* IV. 27.

Membranaceus, duplici exaratus columna, ſæculi XIV. conſtat foliis 45. Habet *Quodlibeta* FRATRIS RICARDI *de Ordine Fratrum minorum* inconcinno prorſus charactere deſcripta.

CODEX CLXIII. *e.* IV. 28.

Partim chartaceus, partim membranaceus, duplici exaratus columna, folia continens 183. ſæculi XIV. complectitur

Fol. 1. *Opus de ſermone, & inquiſitione divinæ ſapientiæ*, SOPHILOGIUM dictum, libris X. diſtinctum, editumque *Pariſiis* jam ab anno 1508. Autor eſt JACOBUS MAGNI *Toloſanus Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini*, Caroli VII. Francorum Regis, cui libellum inſcripſit, a ſacris confeſſionibus.

In fine. *Explicit liber dictus Sophilogii ſcriptus, & completus Pariſiis anno* 1400. 14. *die menſis Februarii hora tertia vel quaſi poſt prandium per manus Nicolai.*

Fol. 99. Librum *de civitate Chriſti* FRATRIS JOANNIS de PALMA *Ordinis Minorum*, qui prodiit *Regii* anno 1501. Oudinus tomo III. pagina 241. vocat *Johannem de Parma*, qui fuit magiſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum, & quem nonnulli eundem eſſe putant, ac *Johannem Geneſium*, & *Johannem de Qualea*.

Ad calcem hæc leguntur.

Laudetur Deus, quod ad complementum iſtius potuerimus pervenire. Explicit liber de civitate Chriſti quem edidit magiſter frater Johannes de Palma ordinis Fratrum Minorum, & ipſum tabulavit per gratiam a Domino ſibi datam Frater Bartholomeus Dominus de Cherio quem complevit die 14. *Decembris anno Domini noſtri Jeſu Chriſti* 1384. *Amen.*

Fol. 156. tractatum moralem *de oculo*, prætermiſſo Autoris nomine. Incipit. *Si diligenter volumus in lege Domini meditari facillime perpendemus ea que pertinent ad viſionem.*

CO-

Digitized by Google

CODEX. CLXIV. e. IV. 32.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 84. ſæculi XV. cui titulus,

Liber Alchorani Machameti quem Marchus Canonicus Toletanus de Arabica lingua tranſtulit in Latinam.

Interpretationis ſpecimen habe in his verbis, quibus incipit liber: *In nomine Dei miſericordis miſeratoris. Gloria Deo creatori gentium miſericordi & miſeratori qui regnat in die legis. Te quidem adoramus per te vivimus dirige nobis viam rectam quam eis erogaſti non eorum contra quos iratus es nec damnatorum.*

Eandem Interpretationem ſervari MS. una cum Arabico textu etiam in *Bibliotheca Cæſarea*, tradit ex Lambecio Albertus Fabricius tom. V. pag. 75. *Bibliothecæ Mediæ, & infimæ Latinitatis.*

CODEX. CLXV. e. IV. 35.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 185. ſæculi XV. in quo *Summa de virtutibus, & vitiis compilata a Magiſtro* GUILLELMO de PERA *Ordinis Fratrum Predicatorum*. Fruſtra nomen *Guillelmi de Pera* quæſivimus in variis Bibliothecarum ſcriptoribus. Eccardus enim, Oudinus, Caveus, aliique *Peraldum* eum nominant, ſive de *Petra Alta*, qui magnam ſibi peperit nominis celebritatem ſæculo XIII. quemque nonnulli *Lugdunenſem Epiſcopum* faciunt.

Summæ hujus innumeros fere MSS. codices in multis Bibliothecis exſtantes refert Eccardus in *Bibliotheca Scriptorum ſui Ordinis*. Sæpius autem excuſam fuiſſe poſt editionem Colonienſem anni 1479. teſtatur Fabricius *Bibliothecæ Mediæ, & Infimæ Latinitatis* tom. III. pag. 476.

Ad calcem ita legimus. *Benedictus Deus qui incepit & complevit. Patratus liber & finitus eſt in domo plebis infra muros Saluciarum, & ſcriptus per me Preſbyterum Joannem Durandi ibi ſervientem ſub anno Domini* 1462. *Kal. Marcii. Gratias Deo referendo. Amen.*

Sequitur deinde totius operis tabula.

CODEX CLXVI. e. V. 1.

Membranaceus, duplici columna exaratus, foliis conſtans 304. ſæculi XV. ineuntis, optimæ notæ, nitidiſſimique characteris. Continet Sanctæ Birgittæ ſeptem libros *revelationum, Epiſtolam ſolitarii, in qua de revelationum veritate, aut falſitate diſcernenda agitur, librum Cæleſtis Imperatoris ad Reges, regulam Salvatoris, atque ſermonem Angelicum de excellentia Mariæ Virginis, Birgittæ ab Angelo dictatum, cum nonnullis precationibus eidem revelatis.*

Omnia eodem prorſus ordine poſita ſunt, quo in editione operum *Divæ Birgittæ* Monachii facta anno 1680.

Initio præmittuntur ſingulorum librorum capitula, rubrica deſcripta. Pluribus inſuper tabellis auro, varioque colore delineatis ornatus eſt Codex, in quibus *Sancta Birgitta* Sacris ſemper Virginibus, atque diverſorum Ordinum Fratribus ſtipata exhibetur, modo revelationes ſibi a Deo immiſſas accipiens, modo pro tribunali veluti ſedens, acceptamque doctrinam auditoribus tradens.

CODEX CLXVII. e. V. 2.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, ſæculi XIV. folia habet 275. Sunt in eo quatuor *Sententiarum* libri eleganter deſcripti, adjectis interdum adnotationibus tum intra textum, tum in margine. Singulis libris præit tabula rerum, quæ iis continentur. Deeſt vero præfatio, & pars tabulæ primi libri.

Digitized by Google

CODEX CLXVIII. *e.* V. 3.

Membranaceus, duplici exaratus columna, multisque literis aureis conspicuus, sæculi XV. foliis constat 165. Eosdem complectitur *Sententiarum* libros.

CODEX CLXIX. *e.* V. 4.

Membranaceus, sæculi XV. grandiusculo charactere exaratus, quo nitidior alter vix reperiri possit, præclaris item ornamentis, aureisque literis, nec non stemmate *Cardinalis a Ruvere* condecoratus, foliis constat 427. Priores in eo sunt MAGISTRI SENTENTIARUM libri, primus nempe, & secundus.

CODEX CLXX. *e.* V. 5.

Membranaceus, habens folia 320. sæculi XV. ejusdem plane elegantiæ, atque nitoris, cujus præcedens, ac stemmate pariter *Cardinalis a Ruvere* insignitus, posteriores continet *Sententiarum* libros, tertium, & quartum, ast mutilos fine.

CODEX CLXXI. *e.* V. 6.

Membranaceus, duplici scriptus columna, foliis constans 163. sæculi XIV. in quo Theologiæ *Summa* secundum ordinem librorum MAGISTRI SENTENTIARUM, ut in codice *e.* III. 14.

CODEX CLXXII. *e.* V. 7.

Membranaceus, duplici exaratus columna, elegantis, nitidissimique characteris, cui folia 212. sæculi XIV. quatuor amplectitur *Sententiarum* libros.

CODEX CLXXIII. *e.* V. 8.

Membranaceus, duplici scriptus columna, habens folia 186. sæculi XIII. in quo iidem libri IV. *Sententiarum*, quibus pauca desunt in fine.

CODEX CLXXIV. *e.* V. 9.

Membranaceus, duplici exaratus columna, constans foliis 209. circa finem sæculi XIV. miræ concinnitatis, auro, variisque coloribus, ac figuris distinctus, nec non stemmate *Cardinalis a Ruvere*. Habetur in eo prima pars *Secundæ Divi* THOMÆ AQUINATIS.

CODEX CLXXV. *e.* V. 10.

Membranaceus, duplici scriptus columna, constans foliis 239. sæculi XIII. optimi characteris, multasque præseferens literas variegatas. Continet *Secundam Secundæ Divi* THOMÆ usque ad articulum VI. quæstionis CLXXXVI.

In fine hæc leguntur: *Explicit ordo & signatio quæstionum secundi libri secunde partis Fratris Thomæ de Aquinò.*

Benedictus Deus Amen. anno Domini M. CC. nonagesimo in tempore quadragesime.

CODEX CLXXVI. *e.* V. 11.

Membranaceus, duplici scriptus columna, habens folia 195. optimæ notæ, sæculi XIV. Est *tertia* pars *Summæ Divi* THOMÆ cum tabula in fine.

CODEX CLXXVII. *e.* V. 12.

Membranaceus, duplici scriptus columna, habens folia 192. sæculi XIV. prope finem, elegantis, nitidique characteris, literis præterea varie pictis ornatus, & stemmate *Cardinalis a Ruvere*. Est prima pars *Summæ Divi* THOMÆ AQUINATIS, adiecta in fine capitum tabula.

CO-

Digitized by Google

CODEX CLXXVIII. *e.* V. 13.

Membranaceus, duplici exaratus columna, foliis conſtans 184. optimæ lectionis, ſæculi XIV. primam exhibet *Secundæ Divi* THOMÆ.

CODEX CLXXIX. *e.* V. 14.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, habens folia 156. ſæculi XIV. in quo *commentaria Divi* THOMÆ *in tertium Sententiarum*, una cum rerum indice.

CODEX CLXXX. *e.* V. 15.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, conſtans foliis 79. ſæculi XIV. in quo S. THOMÆ AQUINATIS quæſtiones de *potentia Dei*.

CODEX CLXXXI. *e.* V. 16.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, cui folia 209. nitidi characteris, ſæculi XIV. commentarios continet in II. librum *Sententiarum* RICHARDI a MEDIA VILLA.

In fine hæc leguntur: *Jacobus Brito vocabatur ſcriptor, oretis pro eo.*

CODEX CLXXXII. *e.* V. 17.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 156. ſæculi XIV. in quo *commentarii Divi* BONAVENTURÆ in II. librum *Sententiarum*, præmiſſo rerum indice.

CODEX CLXXXIII. *e.* V. 18.

Membranaceus, duplici exaratus columna, folia habens 264. Eoſdem continet Divi BONAVENTURÆ commentarios, ejuſdemque antiquitatis.

CODEX CLXXXIV. *e.* V. 19.

Membranaceus, duplici exaratus columna, conſtans foliis 154. ſæculi XIV. in quo

Fol. 1. Secundus *Sententiarum* liber in compendium redactus, cum commentariis Divi BONAVENTURÆ in eumdem pariter contractis.

In fine. *Explicit ſecundus Bonaventure exceptatus.*

Sequuntur deinde nonnullæ quæſtiones ex prima parte *Summæ Divi* THOMÆ AQUINATIS decerptæ.

Fol. 106. Tertius *Sententiarum* liber eodem modo contractus cum commentariis itidem Divi BONAVENTURÆ, ut ſupra.

Supplementi demum loco additæ ſunt Theologicæ nonnullæ quæſtiones ex eodem excerptæ.

Sunt autem in margine paſſim adnotationes, quibus mirifice textus illuſtratur.

CODEX CLXXXV. *e.* V. 20.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 195. nitidi characteris, ſæculi XIV. in quo commentarii Divi BONAVENTURÆ in quartum *Sententiarum* librum.

CODEX CLXXXVI. *e.* V. 21.

Membranaceus, duplici columna, & exili ſcriptus charactere, cui folia 242. ſæculi XIV. continet commentarios ALBERTI *de Ordine Prædicatorum* in IV. *Sententiarum* libros. Quarti vero libri XII. dumtaxat priores diſtinctiones habentur.

CODEX CLXXXVII. *e.* V. 22.

Membranaceus, duplici columna, & grandi, nitidoque ſcriptus charactere, foliis conſtans 248. ſæculi XIII. Habentur in eo

Fol. 1. Liber *de ſpeculo Eccleſiæ*, autore MAGISTRO HUGONE, *Canonico*

Digitized by Google

Sancti Victoris, omnino, ut in codice *e.* IV. 16.

Fol. 29. Tractatus sine autoris nomine, in quo nominum, verborumque origines; & ab iisdem derivata expenduntur alphabeti ordine. Expletis autem, quæ continentur sub una alphabeti litera, antequam gradus fiat ad alteram, plures sermones morales non valde prolixi descripti sunt, in quibus varia *Evangeliorum* loca explanantur: atque hic quidem ordo ad finem usque servatur.

Operis totius initium ita se habet. *Cum ordo in omnibus & precipue in litterali doctrina sit considerandus consentaneum fore videtur in derivando ordinem conservare & secundum cujusque partis dignitatem consideratum observare &c.*

CODEX CLXXXVIII. *e.* V. 23.

Membranaceus, duplici scriptus columna, constans foliis 204. sæculi XIV. finem versus, initio, & fine mutilus. Continet Alexandri Halensis *quæstiones super IV. libros sententiarum.*

CODEX CLXXXIX. *e.* V. 24.

Membranaceus, duplici scriptus columna, habens folia 151. sæculi XIV. in quo Johannis Duns Scoti commentaria in duos priores libros *Sententiarum*.

Ad calcem prioris libri hæc leguntur.

Explicit liber primus magistri Johannis Scoti.

Cum languebat lupus monacus esse volebat.

Sed cum convaluit lupus ut ante fuit.

Posterior liber mutilus est, & mancus.

CODEX CXC. *e.* V. 25.

Membranaceus, duplici exaratus columna, & vario charactere, cui folia 345. sæculi XIII. Continet *Cardinalis* Petri de Mora uberrimum apparatum ad sacras conciones, alphabeti ordine digestum.

Variis modis inscriptum hoc opus comperimus apud Oudinum tomo II. pagina 172. in variis MSS. Codicibus, quos ibi recenset, scilicet modo *Dictionarium*, modo *alphabetum artis prædicandi*, nunc autem *alphabetum in arte sermocinandi*.

Codici vero nostro hic est titulus. *Incipit liber qui vocatur Rosa.*

Sequitur proxime *Petri* epistola, quæ præfationis locum tenet, ampullis undique repleta, ut ex ejus initio, quod subjicimus, colligere est.

Dilectis plurimum, & diligendis semper in visceribus Jesu Christi Venerando Clero Romano & viris scolasticis prophetarum filiis epulantibus in domo Calvi Elysei pulmentum ex vase fictili Petrus divina permissione Sancte Matris Ecclesie Cardinalis indignus sic ex vase littere gustare pulmentum scripture ut per nostrum Elyseum apposita farina spiritalis intelligentie pulmentum ipsum gustantium dulcescat in ore quatenus sicut olim discipulis ita & ipsis sensum aperiat ad intelligendas scripturas. Cogitavi dies antiquos & annos scolasticos in mente habui quibus in lege Domini erat voluntas mea, & in lege ejus meditabar die ac nocte. &c.

Epistolam excipit *Responsio magistri Petri facta scolaribus in ipsis scolis insistentibus pro presenti opere inchoando*, cujus initium: *Parvuli petierunt panem & non erat qui frangeret eis. Panis iste quo in sudore vultus nostri vivimus Sacra Scriptura est &c.*

Responsione hac expleta, incipit liber, & quidem a voce *alpha*; desinitque litera *S* in voce *Squamme piscium* &c.

Floruit autor patria *Beneventanus* ineunte sæculo XIII. Propter eximiam sacrarum scripturarum scientiam, ac vitæ sanctimoniam in sacrum *Cardinalium* collegium cooptatus ab Innocentio III. præclara in Galliis adversus Albigenses legatione functus est.

Non-

Digitized by Google

Nondum, quod ſciam, prodiit in lucem ejus opus. Forte viri periti, quibus illius pervolvendi copia fuit in variis Bibliothecis, noſtri ſæculi ingenio conſentaneum non exiſtimarunt illud typis evulgare.

CODEX CXCI. *e.* V. 26.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 156. ſæculi XIV. in quo commentaria in librum I. *Sententiarum* RICHARDI de MEDIA VILLA *Doctoris Pariſienſis* cum rerum indice in fine.

CODEX CXCII. *e.* V. 27.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, cui folia 220. ſæculi XIV. Ejuſdem RICHARDI commentaria exhibet in III. librum *Sententiarum* cum rerum indice, & quidem ſatis luculento, in fine.

CODEX CXCIII. *e.* V. 28.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, ſæculi XIV. folia habens 294. commentaria itidem continet RICHARDI de MEDIA VILLA in IV. librum *Sententiarum*.

CODEX CXCIV. *e.* V. 29.

Membranaceus, duplici exaratus columna, conſtans foliis 246. ſæculi XV. concinnus admodum, & elegans, aureis inſuper ornamentis, & gentilitio ſtemmate *Cardinalis a Ruvere* in fronte inſignitus. Eadem complectitur commentaria RICHARDI in librum IV. *Sententiarum*.

CODEX CXCV. *e.* V. 30.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, habens folia 113. ſæculi XIV. in quo libri *Sententiarum* in compendium redacti, ut in Codice *e.* III. 14. In fine.

Expliciunt Sententie Magiſtri Gandulfi viri diſertiſſimi.

CODEX CXCVI. *e.* V. 31.

Membranaceus, nitidi characteris, & duplici exaratus columna, conſtans foliis 192. ſæculi XV. atque ſtemmate *Cardinalis a Ruvere*, aliiſque ornamentis conſpicuus, eſt commentarius MAGISTRI FRANCISCI de MAYRONIS *Ordinis Fratrum Minorum*, in librum I. *Sententiarum*, ut dicitur in fine his verbis.

Explicit lectura ſuper primum Sententiarum Reverendi Magiſtri Franciſci de Mayronis Ordinis Fratrum Minorum reportata ſub eo Pariſiis. Scripta per me M. M. de Fucecchio ejuſdem Ordinis cujus ſcriptura completa fuit anno Domini 1459. *die XVIII. Septembris.*

CODEX CXCVII. *e.* V. 32.

Membranaceus, duplici columna exaratus, foliis conſtans 63. ſæculi XIV. in quo commentaria ejuſdem FRANCISCI de MAYRONIS in IV. librum *Sententiarum*.

CODEX CXCVIII. *e.* V. 33.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, circa finem ſæculi XIV. plurimæ elegantiæ, aureiſque, & variegatis literis initio librorum exornatus, foliis conſtat 168. Varia complectitur opuſcula ejuſdem MAGISTRI FRANCISCI de MAYRONIS.

Fol. 1. *Incipiunt annotationes Magiſtri Franciſci de Mayronis ſacre Theologie Doctoris eximii Ordinis Minorum in libros Beati Dionyſii Areopagite, & primo in librum de myſtica Theologia.*

Fol. 4 *Annotationes in librum de Eccleſiaſtica Jerarchia.*

Fol. 12. *Annotationes de Angelica Jerarchia.*

Fol.

Digitized by Google

Fol. 23. *Annotationes in librum de divinis nominibus.*

Fol. 53. *Annotationes in librum epistolarum.*

Fol. 57. *Incipiunt veritates extractæ de libris Beati Augustini de civitate Dei.*

Fol. 129. *Incipiunt veritates in libro de Doctrina Christiana.*

Fol. 137. & sequentibus. Eadem ratione redacti leguntur libri *confessionum*, *octoginta trium quæstionum*, *retractationum*, *de Genesi ad literam*, *de mirabilibus sacræ Scripturæ*. Præcipuas nimirum ex his omnibus libris, quos hactenus recensuimus, sententias, & summa veluti doctrinæ capita excerpsit *Mayronus*.

Ceterum nihil ejus in lucem editum adhuc est, teste Dupinio tomo XI. pag. 181. præter veritates extractas ex libris *Augustini de Civitate Dei*.

Reliqui tractatus in Bibliothecis adhuc delitescunt, quibus addendi sunt, quos ex catalogo *Codicum MSS. Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis* refert Oudinus tom. III. pag. 747. scilicet *flores ex libris Augustini super Genesim, & ex mirabilibus scripturæ*.

CODEX CXCIX. *e* VI. 1.

Membranaceus, duplici scriptus columna, constans foliis 108. seculi XIV. in quo

Fol. 1. Dionysii Areopagitæ libri de *Angelica, & Ecclesiastica Jerarchia*, cum interpretis prologo, cujus nomen licet hìc prætermissum fuerit, ex alterius tamen MS. codicis comparatione, *Johannem Saracenum* esse, deprehendimus, de quo inferius plura dicemus.

Fol. 20. Ejusdem liber *de divinis nominibus*.

Fol. 36. Liber *de mystica Theologia*.

Fol. 37. Epistolæ ejusdem.

Hactenus, quæ sub Dionysii nomine circumferuntur opuscula. Sequuntur alia Divi Augustini, nimirum.

Fol. 43. *Liber de agone Christiano*. In editione Parisiensi *Benedictinorum* tom. VI. pag. 245.

Fol. 48. *Liber de penitentia*, cujus initium: *Quam sit utilis & necessaria penitentie medicina facillime homines intelligunt &c.* Hoc porro opusculum invenire non fuit inter cetera *Divi Augustini* opera, planeque diversum est a tractatu *de vera, & falsa pœnitentia*, qui exstat in appendice tomi VI. pag. 231.

Fol. 52. *Liber de fide & operibus*. In edit. tom. VI. pag. 165.

Fol. 61. *Liber de sancta Virginitate*. In edit. tom. VI. pag. 241.

Fol. 70. *Liber ypomnesticon Augustini Episcopi, id est commemoratorium contra Pelagianos & Celestianos hereticos*. Hunc librum Mario Mercatori adjudicant *Benedictini* in *appendice* tomi X. pag. 5.

Fol. 84. *Sermo de moribus Clericorum*, cujus initium: *Caritati vestre hodie de nobis ipsis sermo reddendus est, &c.* Habetur in edit. tom. V. pag. 1384. estque ordine CCCLV.

Fol. 86. *Liber contra quinque hereses*, perperam *Augustino* adscriptus secundum eosdem *Benedictinos* in *appendice* tomi VIII. pag. 1.

Fol. 92. *Liber de vita Christiana*, cujus autor verosimilius creditur Britto Pelagianæ hæreseos fuligine tinctus, uti docemur in *appendice* tomi VI. pag. 183.

Fol. 97. *Liber de prædestinatione Sanctorum*. In edit. tom. X. pag. 790.

Fol. 106. *Liber de immortalitate animæ*, mutilus fine. In edit. tom. I. pag. 387.

CODEX CC. *e* VI. 2.

Membranaceus, duplici scriptus columna, sæculi XII. circa finem, eleganti, nitidoque characte̊re descriptus, foliis constat 133. Habentur in eo

Fol. 1. *Sancti Clementis Papæ libri de recognitione*, quos cum editis a Cotelerio tom. I. pag. 491. collatos, in omnibus similes reperimus, paucis exceptis nullius ferme momenti, quæ ab ipso Cotelerio ferè semper in margine notantur. Illud dumtaxat animadversione dignum, tribui *Sancto Hieronymo* in Codice

Digitized by Google

dice noſtro epiſtolam ad Gaudentium Novarienſem, vel Brixienſem Epiſcopum, quæ præfationis locum tenet, & Latinam interpretationem dictorum librorum, quæ ceteroquin autorem habent *Ruffinum Aquileienſem*. En tibi tituli verba, uti leguntur. *Prefatio Beati Hieronimi in libro Sancti Clementis Pape.*

Fol. 111. Sequuntur duæ epiſtolæ CLEMENTIS ad Jacobum Jeroſolymorum Epiſcopum, eadem omnino ratione, qua apud Labbeum tom. I. *Conciliorum* pag. 83.

Fol. 125. *Incipit paſſio Sancti Clementis*, cujus initium: *Tertius Romane Eccleſie prefuit Epiſcopus Clemens qui diſciplinam Apoſtoli Petri ſecutus ita morum ornamentis pollebat. ut & Judeis & Gentilibus & omnibus populis Chriſtianis complaceret &c.* Eadem nempe eſt martyrii narratio, quæ apud Cotelerium tom. I. pag. 808. Græce, & Latine. Huic ſubditur in Codice noſtro miraculum ab eodem *Clemente* patratum, cujus initium: *Factum eſt autem in una ſolemnitatum quedam mulier cum filio &c.* Legitur hoc idem miraculum apud Mombritium in *Vitis Sanctorum* tom. I. pag. 195. in fine pariter *paſſionis*, præmiſſo proœmio, quod deſideratur in Codice Taurinenſi.

Fol. 129. *Incipit paſſio Sancti Andree*, cujus initium: *Paſſionem Sancti Andree Apoſtoli quam vidimus & audivimus omnes presbyteri, & diacones Eccleſiarum Achaje ſcribimus univerſis Eccleſiis que ſunt in Oriente &c.* Habetur hæc eadem apud Mombritium tom I. pagina 55. Verum incipit a verbis *Diacones Eccleſiarum* &c.

CODEX CCI. *e.* VI. 3.

Membranaceus, conſtans foliis 180. ſæculi XV. multæ venuſtatis, aureiſque literis, & ſtemmate *Cardinalis a Ruvere* ornatus, complectitur varia ATHANASII opuſcula, *Omnibono Leoviceno* interprete, eo, quem deſcripturi ſumus, ordine.

Fol. 1. Præit epiſtola *Petri Bruti artium Doctoris Epiſcopi Catharenſis Barnabæ Celſano*, in qua enixe eum rogat, ut *Athanaſii operum* Latinam interpretationem ab *Omnibono* factam emendare aggrediatur. Poſtmodum *Barnabæ* reſponſio legitur.

Fol. 5. *Omniboni Leoviceni* præfatio ad Paullum Venetum II. Summum Pontificem.

Fol. 7. ATHANASII epiſtola ad Epiſcopos Ægypti, cujus initium. *Omnia quecumque Dominus noſter & Salvator Jeſus Chriſtus &c.* In edit. Montfauconii tom I. pag. 270.

Fol. 18. Epiſtola ad Serapionem de *Spiritu ſancto*, cujus initium: *Litere ſancte caritatis mihi in eremo reddite ſunt.* In edit. tom. I. pag. 647.

Fol. 36. Sermo *contra Gentiles*, cujus initium: *Divini cultus & univerſorum veritatis cognitio non tantum humana doctrina indiget &c.* In edit. tom. I. pagina 1.

Fol. 61. pag. 2. Sermo primus *contra Arianos*, cujus initium: *Hereſes quotquot ipſe ſibi veritatis inſaniam conſtiſtunt, manifeſte ſunt &c.* In edit. tom. I. pag. 405.

Fol. 93. Sermo alter *contra Arianos*, cujus initium: *Cum in ſuperioribus de errore ac ſuperſtitione Gentilium pauca ex multis libantes id quod ad idola &c.* Habetur in edit. tom I. pag. 47. ſub hoc titulo: *Oratio de humana natura a Verbo aſſumta & de ejus per corpus ad nos adventu.*

Fol. 122. Sermo tertius *contra Arianos*, cujus initium: *Inſanientes Ariani poſtquam ſemel ut videtur decreverunt prevaricatores eſſe &c.* In edit. tom. I. pagina 550.

Fol. 153. Sermo de *Incarnati Verbi Dei apparitione & contra Arianos*. Incipit. *Qui maligne divinas ſcripturas intelligere volunt humana de filii Dei humilitate verba ut blaſphemiam ſuam confirment adducere ſtudent &c.* A viris criticis nonnullis ſpurius habetur hic ſermo; negant contra *Benedictini* tom. II. pagina 870.

Fol.

Digitized by Google

Fol. 162. ATHANASII *Dialogus contra Arium*, cujus initium: *Providentia Dei cariſſimis cum fratribus meis profectus iter ad ſervos Dei &c.* Rejectus inter opera ſpuria tom II. pag. 206.

Ad calcem codicis hæc leguntur. *Athanaſii opus contra Gentiles feliciter finit tranſcriptum per Joannem Rainaldum Mennium milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio. Quod bene vertat.*

CODEX CCII. *e.* VI. 4.

Membranaceus, multa ſcriptus elegantia, ſæculi XV. habet folia 330. Initio ſex literarum ductus aureis laminis conſtant, pictuſque cernitur *Camaldulenſis Monachus* deſerto in loco arboribus undique conſito, in cellula ſedens, codicemque ante ſe poſitum exſcribens; ubi & parvam inſtructam habet Bibliothecam. Opera in codice contenta ſunt *Divi* JOHANNIS CHRYSOSTOMI, nempe

Fol. 1. Homiliæ octoginta ſeptem in *Evangelium Johannis*, quarum interpretatio eadem omnino eſt, quæ in editione Pariſienſi anni 1581. ſeu *Franciſci Aretini*, qui vulgo ejus autor habitus eſt, quod eam primus vulgaverit, ut obſervat Fabricius *Bibliothecæ Græcæ* tomo VII. pag. 647.

Fol. 179. Libri tres *de Providentia* ad Stagirium in Latinum ſermonem converſi ab *Ambroſio Monacho Camaldulenſi*, cum ejuſdem epiſtola ad Petrum Luſitaniæ Principem, quæ præfationis locum tenet.

Fol. 208. Liber *ſuper illo verbo quod nemo laeditur niſi a ſe ipſo.*

Fol. 216. Sermo de *contemnenda morte*, præmiſſa interpretis epiſtola, qui profecto alius eſt a laudato *Ambroſio Camaldulenſi Monacho*, utpote qui ejus, tamquam fato jam functi, mentionem faciat.

Fol. 220. Liber de *compunctione cordis* ad Demetrium.

Fol. 232. De *reparatione lapſi.*

Fol. 247. Sermones quinque *contra Anomios quod Deus incomprehenſibilis ſit.*

Fol. 266. Sermones ſex contra *Judeos & Judaizantes Chriſtianos.*

Fol. 301. Libri ſex de *dignitate Sacerdotali.*

CODEX CCIII. *e.* VI. 4.

Membranaceus, ſæculi XIV. conſtans foliis 183. duplici columna, multaque arte, & elegantiſſimo exaratus eſt charactere. Omnes enim fere pagellæ auro refertæ ſunt, variisque ornamentis diſtinctæ. Sæpius vero repetitum videre eſt gentilitium ſtemma perilluſtris cujusdam viri, in cujus gratiam deſcriptus fuerit codex.

Titulus initio ita expreſſus eſt. *Operum Sancti* AMBROSII *Pars ſecunda.*

Et paullo inferius. *Operum hujus ſecunde partis annotatio. Primum opus expoſitio in Pſalmum centeſimum octavum decimum. Beati immaculati. Secundum opus eſt expoſitio in Evangelium ſecundum Lucam. Tertium vero expoſitio in epiſtolas Pauli Apoſtoli.*

Habetur itaque primo loco expoſitio *Pſalmi* CXVIII. quæ in editione *Benedictinorum* exſtat tom. I. pag. 971. Hac expleta legitur.

Preclarum opus expoſitionis Sancti Ambroſii Epiſcopi in Pſalmum centeſimum & octavum decimum per viginti duas ſectiones juxta literarum alphabeti Hebreorum prenotationem ſub viginti duorum ſermonum titulis diſtinctum explicit.

Fol. deinde 52. ſunt illuſtriora dicta, & memorabiles ſententiæ ejuſdem expoſitionis in alphabeti ordinem collectæ, quarum ſpecimen hic exhibere juvat ex priori litera ſumptum, ubi & titulus habetur.

Annotatio notabilium dictorum juxta alphabeti ordinem expoſitionis Sancti Ambroſii Epiſcopi in Pſalmum CXVIII.

Alphabetum Hebreorum preponitur in hoc opere ſingulis ſermonibus: & litteris ſingulis octoni verſiculi aſcribuntur. ſingule autem littere velut tituli ſunt eorum verſuum qui ſub hiſdem litteris aſcribuntur:

ſe-

Digitized by Google

ſeriem & continenciam declarantes ſermone XIIII. verſu I.

Abrahe ſinu ſi vivit Lazarus pauper : quanto magis vivit qui ſuſcipitur a Chriſto. Sermo XV. verſu IIII.

Abſcondita ſingula intuetur Deus. Sermone VII. verſu VII. & Sermo XXI. verſu VIII.

Abſcondere in affectu habemus non effectu : plena abſcondentis perfidia. Ser. XXI. ver. VIII. &c.

Fol. 55. Ejuſdem expoſitio *Evangelii ſecundum Lucam*, præmiſſa titulorum annotatione. Exſtat tom. I. pag. 1262.

Tandem *fol.* 107. Subditur commentarius in *Epiſtolas Divi Pauli*; ſuppoſititium opus, uti criticæ artis periti judicarunt ; quamobrem inter opera ſpuria ab editoribus Pariſienſibus relatum eſt pag. 26. *Appendicis*.

Hæc autem initio *Epiſtolæ ad Romanos* adnotata legimus in margine.

In antiquis & emendatis exemplaribus diſtinguuntur capitula juxta veterem partitionem quorum annotatio ad illorum imitationem in marginibus hujus operis eſt appoſita.

In fine.

Explicit explanatio Sancti Ambroſii Epiſcopi in Epiſtolam Sancti Pauli Apoſtoli ad Philemonem ac ſimiliter finis hujus ſecunde partis & exameron ſeu operis beati Ambroſii Epiſcopi Mediolanenſis &c.

Illud ſane dolendum, ſecundam partem dumtaxat *operum Ambroſii* in hoc volumine haberi.

CODEX CCIV. *e.* VI. 6.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, cui folia 421. ſæculi XV. nitidiſſimi characteris, appicto ſtemmate *Cardinalis a Ruvere*. *Moralia* continet *Divi* GREGORII *Papæ in Jobum*. Capitum ſectio diverſa omnino ab ea eſt, quæ in editis exemplaribus.

In fronte codicis complura exhibentur ornamenta, inter quæ *Divus Gregorius* conſpicitur triplici corona redimitus, ſedenſque coram nonnullis dignitate præſtantibus viris. Adverſa inſuper parte folii quinti eſt tabella, in qua *Jobus* nudo corpore plagis undique operto, & ſaniem fundente, calamitatem ſuam acerbiſſimam veluti deplorans, oculis ſubjicitur. Literæ paſſim auro obductæ ſunt, variiſque coloribus delineatæ.

CODEX CCV. *e.* VI. 7.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, conſtans foliis 66. optimæ notæ, atque lectionis, ſæculi XIV. finem verſus. Eſt liber *Paſtoralis* ejuſdem GREGORII. Hunc ſequuntur *fol.* 38. *dialogorum* libri. Cum editione *Benedictinorum* comparatos in omnibus fere convenire deprehendimus.

CODEX CCVI. *e.* VI. 8.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, ſæculi XIII. optimæ notæ, & initiales literas variis coloribus delineatas, atque effigiem *Sancti Gregorii* præferens, folia habet 197. Eadem continet GREGORII MAGNI in *Jobum moralia* a libro XIX. uſque ad ultimum. Diſtinctio capitulorum pariter diverſa ab ea, quæ in editione.

CODEX CCVII. *e.* VI. 9.

Membranaceus, circa finem ſæculi XIV. optimo charactere, & duplici columna exaratus, literisque modo auro, modo rubrica diſtinctis, una cum ſtemmate *Cardinalis a Ruvere*, conſtat foliis 193. Habentur in eo *epiſtolæ Divi* GREGORII Papæ, in XIV. libros diſtinctæ ſecundum ordinem *indictionum*, initio ducto a nona, ordinationis ejus prima. Omnium Elenchus initio præit.

Ceterum, ut obſervare licuit, ordo codicis noſtri ad eum fere accedit, qui in antiquis ſervatus eſt editionibus, cum aliqua tamen diſcrepantia.

Digitized by Google

CODEX CCVIII. *e.* VI. 10.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, & nitidæ lectionis, circa finem ſæculi XIII. folia habens 124. decem priores complectitur libros *Moralium* GREGORII *in Jobum*, ea ratione digeſtos, ut ſingulis libris præmittantur capitula libri *Job*, quæ poſtmodum explanantur.

Ante prologum vero ſequentia carmina deſcripta invenimus.

Qui cupis utrique ſtudium dependere vite
Huc aciem mentis flectas ſuper aſtra tuentis
Percipiens morum moderamina queque tuorum
In Job perplexis trino meditamine verbis
Per triplicem formam tractatus conjice normam
Vivendi digne ſuperans diſpendia vite
Si titulum queris Romane preſule ſedis
Gregorio Papa ſunt hec vigilante peracta
Terdenis libris adjectis ordine quinis
Que bene concepta dant vite paſcua verba.

CODEX CCIX. *e.* VI. 11.

Membranaceus, foliis conſtans 165. bonæ notæ, atque lectionis, initio ſæculi XIII. in quo *Homiliæ Sancti* GREGORII *Papæ in Ezechielem prophetam*.

In extremis primæ pagellæ oris verſiculi quidam deſcripti erant, quorum ſuperiores tantum vix legi poſſunt.

Si quis in hoc querit ſcriptoris noſcere nomen
. . . . noſcat levum quem non premat omen.

In medio autem ejuſdem pagellæ hæc leguntur: *Obſecro quicumque hec legeris ut Falberti peccatoris, nec non etiam ſcriptoris apud Dominum memineris: Vale.*

Variantes lectiones quas obſervare potuimus, parvi ſunt momenti.

CODEX CCX. *e.* VI. 12.

Membranaceus, ingentis molis, duplici columna, & pereleganti ſcriptus charactere, nec non titulis rubrica diſtinctis, initio ſæculi XIII. folia habet 215. Continet *Divi* AUGUSTINI *expoſitiones ſuper Pſalmos* a *Pſalmo* quinquageſimo primo uſque ad centeſimum.

Quas notavimus, lectionis diſcrepantiæ ab editione *Benedictinorum*, levioris momenti ſunt: conſiſtunt enim plerumque in verborum translatione. E. G. in expoſitione tituli *Pſalmi* LII. In edit. tom. 9. pag. 486. ita legimus.

Pſalmum iſtum vobiſcum tractandum, quantum Dominus ſuggerit, ſuſcipimus. Jubet frater, ut velimus &c.

In Codice.

Pſalmum iſtum vobiſcum tractandum quantum Dominus donat ſuſcepimus. Jubet fraternitas ut velimus &c.

Ad calcem hæc notantur. *Poſt hunc librum legatur in refectorio. Ad Dominum cum tribularer.* Ex quibus colligitur, Codicem *Lectionarii* loco Monachis in cœnaculo inſerviiſſe.

CODEX CCXI. *e.* VI. 13.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, habens folia 115. ſæculi XIV. Varia complectitur Divi AUGUSTINI opera, quibus ſemper præfationis loco præmittuntur ea, quæ de iiſdem in ſuis *Retractationum* libris ipſemet emendans ſcripſit.

Fol. 1. *De Geneſi ad literam libri XII.* In edit. *Benedictinorum* tom. III. pag. 117.

Fol. 48. *Liber de natura boni adverſus Manichæos*. In edit. tom VIII. pag. 501.

Fol. 52. *Liber de doctrina Chriſtiana.* In edit. tom. III. pag. 1.

Fol. 73. *De fide ad Petrum*, opus ſuppoſititium, quod SANCTUM FULGENTIUM autorem habere creditur. Deſinit vero in noſtro codice his verbis

Digitized by Google

bis: *Quod ſi quid aliter ſapit, hoc quoque illi revelabit Deus*, quemadmodum in Manuſcriptis codicibus melioris notæ, & in omnibus veteribus libris fieri notant *Benedictini* in *Appendice* tomi VI. pag. 34.

Fol. 84. *de natura, & gratia ad Timaſium, & Jacobum adverſus Pelagium*. In edit. tom. X. pag. 127.

Fol. 92. *Capitula libri de diverſis quæſtionibus octoginta tribus*. Harum quidem quæſtionum ordo alius in noſtro codice ab eo eſt, quem innuit *Auguſtinus* in libro *Retractationum*, & quem ſervarunt *Benedictini* in ſua editione tom. VI. pag. 1.

Fol. 110. pag. 2. *Liber de perfectione juſtitiæ hominis ad Epiſcopos Eutropium, & Paulum*. In edit. tom. X. pagina 667.

CODEX CCXII. *e.* VI. 15.

Membranaceus, conſtans foliis 163. ſæculi XII. optimæ notæ, atque lectionis, continet

Fol. 1. Sermones variorum Patrum, nempe AUGUSTINI, MAXIMI, & BEDÆ in *adventu, & nativitate* CHRISTI DOMINI.

Fol. 27. Sequitur *Sancti Alexi* vita, cujus initium: *Fuit Rome Vir magnus & nobilis Eufemianus nomine dives valde & primus in palatio Imperatoris. Erantque ei tria milia pueri qui Zonis cingebantur aureis &c.*

Legitur apud Mombritium tom I. fol. 23. paulliſper tamen diſſimilis in verborum ordine.

Fol. 29. Iterum variorum Patrum, ORIGENIS nempe, JOANNIS CHRYSOSTOMI, AUGUSTINI, GREGORII, & BEDÆ homiliæ in *Evangelii* loca diebus feſtis per annum occurrentia.

Fol. 129. *Lectiones* ſingulis feriis legendæ, eadem forma, qua in *Officio* eas recitare ſolemus; ad quarum calcem habentur *Verſus de cordis compunctione, mundique contemptu*, ſine autoris nomine. Initium hujuſmodi eſt.

Audi me lumen lucidum
Solum quem amo Dominum
In quo mihi confugium
Ne me rapiat ſeculum
Fac meum deſiderium
Te ambire per plurimum &c.

Poſtremo loco eſt *expoſitio duodecim lapidum*: iterumque nonnulli ſermones tempore *Paſchatis*.

CODEX CCXIII. *e.* VI. 16.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, habens folia 74. ſæculi XIV. nitidi characteris, & literis initialibus varie pictis, tituliſque rubrica diſtinctis ornatus, in quo *Sancti* AUGUSTINI *libri XV. de Trinitate Dei*, præmiſſis initio, quæ ipſemet *Auguſtinus* effatus eſt de hoc opere in libro *Retractationum*. Exſtant in edit. tom. VIII. pag. 749.

CODEX CCXIV. *e.* VI. 17.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, cui folia 212. optimæ notæ, ſæculi XIV. Eoſdem complectitur *Divi* AUGUSTINI *libros de Trinitate*, cum præfatione ex libro *Retractationum*.

CODEX CCXV. *e.* VI. 18.

Membranaceus, conſtans foliis 301. circa finem ſæculi XII. optimæ profecto notæ, nitidæque lectionis. Exſtat in eo *Commentarius Venerabilis* BEDÆ *in Evangelium Sancti Lucæ*, cui duplex præmittitur epiſtola, ut in editione *Coloniæ Agrippinæ* ann. 1612. tomo V. pag. 213.

Expletis vero duabus epiſtolis legitur in noſtro Codice ſumma quædam eorum, quæ a *Divo Luca* narrantur in Evangelio, nonaginta quatuor capitulis breviſſimis expenſa. Dixeris totius Evangelii compendium. Hujus ſpecimen afferre opportunum viſum eſt, cum in editis deſideretur.

„ I. Prefatione Lucas Theophilo

Digitized by Google

„ Evangelium indicat per ordinem
„ descripturum. Inannuntiatio Sancti
„ Johannis Baptistae.
„ II. Sacerdotium justi Zachariae
„ refertur, & visio in templo qua ei
„ filius angelo revelante promittitur
„ nasciturus, cujus etiam conceptio
„ memoratur. Inannuntiatio Sanctae
„ Marię.
„ III. Missus Angelus ad Mariam
„ nasciturum loquitur salvatorem quo
„ mox concepto salutatur ab Eliza-
„ beth exultante in utero Johan-
„ nes unde post tres menses reversa
„ est in domum suam. In nativitate
„ Sancti Johannis.
„ IIII. Nato Johanne vox eloquii
„ muto redditur patri; illico prophe-
„ tanti. Puer in deserto est usque in
„ diem ostensionis suae Israel. In na-
„ tivitate Domini nostri Jesu Christi.
„ V. Refertur aedictum Cesaris, &
„ nativitas Christi pastoribus ab An-
„ gelo nuntiatur, cum quo cęlestis
„ militię multitudo canit gloriam in
„ excelsis Deo. alio similis.

Ad calcem commentarii hæc leguntur.

Quam duabus manibus, & decem cum digitis scripsi totum corpus meum labori subjeci: Ideoque humili deposco affectu. ut quicumque hanc legerint cum omni orent devotione pro Christi famulo indigno presbytero & monacho Ardericus. Ne forte invidie colla videantur supponere. dum pro scriptore propter pigritiam neglegunt rogare.

Initio tabella elegantissima oculis subjicitur, quæ *Sanctum Lucam* Evangelium describentem ex una parte exhibet, tauro adstante; ex altera vero Sanctum Vincentium librum præ manibus tenentem, ac veluti concionem habentem. Hujus levum pedem dextra complectitur Walpertus humilis Abbas, genibus flexis adstans. Wido interim monachus veluti admirabundus aures præbet. Omnia videsis in ipsa tabula, quam oculis subjiciendam duximus, utpote aptam ad sæculi, quo picta fuit, morem exprimendum, in qua & cujusque nomina scripta leges.

CODEX CCXVI. *e.* VI. 19.

Membranaceus, habens folia 213. elegantissimo, nitidissimoque charactere, & duplici columna exaratus circa finem sæculi XIII. Literæ initiales sunt variis coloribus delineatæ, titulique rubrica distincti. Continet *Homiliarium* pro singulis diebus festis per annum occurrentibus, quod collectum dicitur, sed recentiori charactere, ab *Alcuino jussu Caroli Magni*.

Hæc quidem adnotatio nobis primum valde suspecta fuit; cum plures homiliæ in Codice legantur Rabani Mauri, Haymonis, & Anselmi, quæ certe temporibus *Caroli Magni* locum in hac collectione obtinere non poterant. Verum dubitationem omnem amovit, quod habet Oudinus tom I. pag. 1928. plures nimirum successu temporis insertas fuisse huic collectioni autorum posteriorum, qui usque ad sæculum XII. floruerunt, homilias, ut in variis ejusdem *Homiliarii* editionibus a viris criticis observatum fuit. Illud interim animadvertimus, consonare omnino priores tres homilias, quæ in codice leguntur, cum iis, quarum initia ex eodem *Homiliario* refert Oudinus citato tomo pag. 1929. quamquam non *Alcuino*, sed *Paullo Warnefrido Diacono* demandatam fuisse existimat hanc provinciam a Carolo Magno.

Autorum nomina, quæ in codice nostro occurrunt, hæc sunt.

Anselmus *Episcopus Cantuariensis*.
Augustinus.
Beda.
Gilebertus *Lundoniensis Fpiscopus*.
Gregorius *Papa*.
Haymo *Presbyter*.
Hieronymus.
Joannes Chrysostomus.
Isidorus *Episcopus*.
Leo *Papa*.
Maximus.

Ori-

Digitized by Google

EFFIGIES S. LUCÆ.

Prout exſtat in COD. *e.* VI. 18.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORIGENES.
RABANUS MAURUS.

CODEX CCXVII. *e.* VI. 20.

Membranaceus, conſtans foliis 45. optimæ notæ, ſæculi, ut nobis quidem videtur, X. Habentur in eo RABANI MAURI *de laudibus Sanctæ Crucis* libri duo proſa, & carmine ſcripti, qui exſtant inter ejus opera edita anno 1626. ad calcem tomi I. Collatos autem cum editione, ſimiles omnino invenimus, ſi priores duas tabellas excipias, quæ præfationem ornant. Diſſimiles enim ſunt, majoremque prætendunt antiquitatem, quæ in codice noſtro exhibentur, quam quæ in editione. Adde tertiam in codice ſuperadditam, quæ medium locum inter utramque tenet, ampliſſimam quidem, totiuſque operis materiem veluti continentem, ſcilicet hiſtoriam crucifixionis Chriſti Domini, variis figuris expreſſam.

CODEX CCXVIII. *e.* VI. 21.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, ſæculi circiter XI. nitidæ lectionis, atque optimæ notæ, habet folia 271. Continentur in eo ſermones varii, ex diverſis Patribus ſumti, nec non plurimorum Sanctorum vitæ, & martyrum acta, quæ omnia fere invenimus apud Mombritium, ut ſuo loco adnotabimus.

Fol. 1. Sermones duo in die feſto *Omnium Sanctorum*, quorum primus tantum autoris nomen præfefert, nimirum AMBROSII AUDPERTI, incipitque: *Legimus in Eccleſiaſticis hiſtoriis quod Sanctus Bonefacius qui quartus a Beato Gregorio &c.*

Hujus ſermonis nullam mentionem facit Oudinus tom. I. pag. 1810. ubi varias ejuſdem *Ambroſii Audperti* homilias recenſet. Albertus vero Fabricius tom. I. pag. 217. *Bibliothecæ Mediæ, & Infimæ Latinitatis* inter ſermones refert, qui AMBROSIO CASSINENSI tribuuntur.

Fol. 7. pag. 2. *Vita Sancti* MARTINI *Epiſcopi*, cujus initium: *Igitur Martinus Sabariæ Pannoniorum oppido oriundus fuit ſed intra Italia Ticini alitus eſt parentibus &c.* Legitur apud Mombritium tom. II. fol. 107. præmiſſo tamen prologo, qui deeſt in noſtro codice.

Fol. 23. pag. 2. *Vita Sancti* BRITII *Epiſcopi*, cujus initium: *Igitur poſt exceſſum Beati Martini Turonicæ Civitatis Epiſcopi ſummi & incomparabilis viri de cujus virtutibus magna apud nos volumina retinentur Sanctus Britius &c.* Apud Mombritium tom. I. fol. 75.

Fol. 24. pag. 2. *Paſſio Sanctæ* CECILIÆ *Virginis & Martyris*. Incipit: *Humanas laudes & mortalium infulas videmus aut ære inciſo conſcriptas aut auro &c.*

Deſunt hic octo folia, ſumenda in fine codicis fol. 257. ut habeatur ſeries omnium non interrupta. Exſtat vero eadem *paſſio* apud Mombritium tom. I. fol. 278.

Fol. 28. pag. 2. *Paſſio Sancti* CLEMENTIS, cujus initium: *Tertius Romanæ Eccleſiæ prefuit Epiſcopus Clemens &c.* Eadem, quæ in codice *e.* VI. 2. & quæ apud Mombritium tom. I. fol. 193.

Fol. 33. *Paſſio Sancti* ANDREÆ *Apoſtoli*, eadem, quæ in codice *e.* VI. 2. Incipit: *Paſſionem Sancti Apoſtoli Andreæ quam oculis noſtris vidimus omnes preſbyteri & diacones Eccleſiarum Achaiæ ſcribimus univerſis Eccleſiis &c.*

Fol. 37. pag. 2. *Prologus in vita Sancti* NICOLAI *Epiſcopi*, cujus initium: *Sicut omnis materies ſi ab imperito artifice conſtructa fuerit non ſolum deformitatis verum etiam & ruinæ dampna patitur &c.* Apud Mombritium tom. II. fol. 162.

Fol. 53. *Paſſio Sanctæ* LUCIÆ *Virginis*, cujus initium: *Cum per univerſam provinciam Siciliæ beatiſſimæ Virginis Agathæ fama crebreſceret & Syracuſanus populus per milia quoque quinquaginta ad urbem Catanenſium ſitienter pergeret &c.* Exſtat apud Mombritium tom. II. fol. 58.

Fol.

Digitized by Google

Fol. 55. pag. 2. *Paſſio Sancti* THOMÆ *Apoſtoli*, cujus initium: *Cum Apoſtolus Thomas qui & Didimus eſſet apud Cęſaream apparuit ei Dominus Jeſus Chriſtus & ait ad eum. Rex Indorum Gundoforus nomine &c.* Apud Mombritium tom. II. fol. 333.

Fol. 67. *In feſto Sancti* JOHANNIS *Apoſtoli & Evangeliſtę*. Incipit. *Secundam poſt Neronem perſecutionem Chriſtianorum Domitianus exercuit. Unde factum eſt ut Sanctus Johannes Apoſtolus tolleretur de Epheſo &c.* Apud Mombritium tom. II. fol. 28.

Fol. 74. *Vita Sancti* SILVESTRI *Papę*, cujus initium: *Silveſter igitur urbis Romę Epiſcopus cum eſſet infantulus a vidua matre nomine Juſta & opere traditus eſt Cyrino &c.* Apud Mombritium tom. II. fol. 279. præmiſſo prologo, qui deeſt in Codice.

Fol. 110. pag. 2. *In natali Sanctorum* SOLUTORIS ADVENTORIS OCTAVII. Fit initium his verbis: *Multa & magna ſunt quę de beatiſſimorum martyrum Adventoris Octavii & Solutoris certaminibus Chriſtianorum mentibus debeant intimari ſed humanus hęc attenuat auditus &c.* Exſtat apud Mombritium tom I. fol. 12. variante parumper lectione. Poſtrema enim verba a nobis relata aliter ibi leguntur, nempe: *debeant imitanda proponi, ſed humani hæc attendant auditus.*

Fol. 112. *Paſſio Sanctę* AGNETIS, *Virginis*. Cujus initium: *Ambroſius ſervus Chriſti Virginibus ſacris diem feſtum Sacratiſſimę Virginis memoramus. Hinc pſalmi reſonent &c.* Apud Mombritium tom. I. fol. 18.

Fol. 118. *Paſſio Sancti* VINCENTII *martyris*, cujus initium: *Probabile ſatis eſt ad gloriam invictiſſimi Vincentii martyris quod de ſcriptis paſſionis ejus geſtis titulo invidet inimicus &c.* Apud Mombritium tom. II. fol. 344.

Fol. 125. pag. 2. Sermones varii in *purificatione Beatæ* MARIÆ VIRGINIS ex *Auguſtino*, *Ambroſio*, & *Beda*.

Fol. 132. *Paſſio Sanctę* AGATHÆ *Virginis*. Incipit: *Agathę Sanctę quę paſſa eſt in urbe Catanenſium provincia Sicilię ſub Imperatore* Decio, *& ipſo* Decio *ter Conſule die nonarum Februariarum recitamus hiſtoriam &c.* Apud Mombritium tom. I. fol. 16. diverſo paullíſper initio in verborum ordine.

Fol. 136. pag. 2. Sermones varii in *Cathedra Sancti* PETRI, *& annuntiatione Dominica*, quorum primus tantum *Leonis Papæ* nomen præfefert.

Fol. 144. *Vita Sancti* BENEDICTI, cujus initium: *Fuit vir vitę venerabilis gratia Benedictus & nomine ab ipſo pueritię ſuę tempore cor gerens ſenile &c.* Apud Mombritium tom. I. fol. 85. Multa tamen deſunt in Codice ſub finem, ut ex collatione cum editis exemplaribus animadvertimus. Deſinit enim in iis verbis: *& ut perpendo vir iſte ſpiritu omnium juſtorum plenus fuit*, poſt quæ multa adhuc leguntur in editione.

Fol. 153. *Paſſio Sancti* GEORGII *martyris*, cujus initium: *Imperante igitur impio Datiano Medorum & Perſarum diverſiſque erga regiones civibus ſuggerente diabolo &c.*

Fol. 157. pag. 2. *Paſſio Sancti* JACOBI *fratris Domini*. Incipit: *Jacobo Apoſtolo preſidente cathedram Eccleſię Jeroſolymorum orta eſt perſecutio Judęorum Scribarum & Pharizęorum. & comprehendentes Jacobum poſuerunt ſuper pinnam templi &c.*

Fol. 158. pag. 2. *Paſſio Sancti* PHILIPPI *Apoſtoli*, cujus initium: *Philippus Apoſtolus Domini noſtri Jeſu Chriſti poſt aſcenſum Salvatoris per annos viginti inſtanter prędicavit gentibus &c.* Apud Mombritium tom. II. fol. 210.

Fol. 159. pag. 2. *Narratio de inventione Sanctę Crucis*, cujus initium: *In diebus illis pervenit Helena Hieroſolimam locumque in quo Sacroſanctum Corpus Chriſti patibulo pependerat &c.*

Fol. 164. *Sermones in nativitate Sancti* JOANNIS BAPTISTÆ ex Sancto *Maximo*, & *Beda*.

Fol. 170. pag. 2. *Paſſio Apoſtolorum* PE-

Digitized by Google

PETRI & PAULI, cujus initium: *Tempore igitur Neronis Cęsaris erant Romę salutiferi Doctores Christianorum Petrus & Paulus Apostoli per quos dum fides Domini nostri Jesu Christi in omnium crescceret mentibus &c.*

Fol. 182. pag. 2. *Passio septem fratrum*, cujus initium: *Temporibus Antonini Imperatoris orta est seditio Pontificum & Felicitas illustris femina cum septem filiis suis &c.* Apud Mombritium tom. I. fol. 306.

Fol. 184. *Passio Sancti* JACOBI *Apostoli*, cujus initium: *Apostolus Domini nostri Jesu Christi Jacobus frater beati Johannis Apostoli & Evangelistę omnem Judęam & Samariam visitabat.* Apud Mombritium tom. II. fol. 18.

Fol. 188. pag. 2. *Passio sancti* DONATI *Episcopi*. Incipit: *Erat quondam puer in civitate Romana nomine Donatus Clericus in titulo pastoris nutritus a Pigmenio presbytero &c.* Apud Mombritium tom. I. fol. 232.

Fol. 195. *Passio sancti* LAURENTII, cujus initium: *Eodem namque die quo decollatus est Syxtus urbis Romę Episcopus tunc milites tenentes beatum Laurentium duxerunt & tradiderunt eum Parthenio tribuno &c.* Apud Mombritium tom I. fol. 50. initio parumper diverso, eodem tamen verborum sensu.

Fol. 199. pagina 2. *Sermo in Assumptione* MARIÆ VIRGINIS, *Hieronymo* falso tributus, cujus initium: *Hodie fratres carissimi gloriosa semper Virgo Maria &c.*

Fol. 203. pagina 2. *Passio Sancti* BARTHOLOMÆI. Incipit: *Indię tres esse ab historiographis asseruntur. prima est India quę ad Ethyopiam mittit &c.* Apud Mombritium tom I. fol. 75.

Fol. 209. pagina 2. Sermones *in decollatione sancti* JOHANNIS BAPTISTÆ, & *in natrivitate* MARIÆ VIRGINIS, tum *in festo sanctorum* CORNELII & CYPRIANI, nec non *in exaltatione* SANCTÆ CRUCIS.

Fol 224. pag. 2. *Passio sancti Mathęi Apostoli & Evangelistę*, cujus initium: *Quoniam Deo cura est de hominibus ut plus animarum curam gerat, quā corporum &c.* Apud Mombritium tom. II. fol. 140.

Fol. 238. pag. 2. *Passio Apostolorum* SIMONIS & JUDÆ, cujus initium. *Simon Chananęus & Judas Zelotes Apostoli Domini nostri Jesu Christi cum per revelationem Spiritus Sancti &c.* Apud Mombritium tom. II. fol. 294.

Sermones varii sequuntur in *dedicatione Ecclesiæ* ex Augustino, & Beda.

Fol. 253. pag. 2. *Lectiones Sanctę Trinitatis*, quæ unde sumptæ sint, non indicatur. Initium hoc est: *Ingenio summę inquisitionis perscrutatum. & primo capacitatis nostrę sermonem de unica Trinitate fratres carissimi collectum vestris cupimus intimare auribus &c.*

Tandem *fol.* 268. *pag.* 2. claditur codex duobus sermonibus S. AUGUSTINI in *Nativitate Domini*.

CODEX CCXIX. *e.* VI. 23.

Membranaceus, duplici scriptus columna, habens folia 152. optimi characteris, sæculi XIV. Sermones continet *Sancti* BERNARDI *Abbatis in diebus festis per annum a die Paschate usque ad festum Sancti Clementis Papæ*. Hos accurate contulimus cum editione *operum Bernardi* Mabilloniana, & aliquam dissimilitudinem observavimus tum in ordine, tum etiam in titulis quorundam sermonum, non secus ac variantes aliquot lectiones, exigui tamen momenti. E. G.

In edit. tom. I. pag. 902.
De mersione Naaman septies in Jordane.

In cod. fol. 8.
De septem submersionibus in Jordane.

In edit. tom. I. pag. 1155.
Sermo de tribus ordinibus Ecclesiæ ad Patres in capitulo habitus.

Hoc mare magnum, & spatiosum (in quo utique certum est nihil aliud, quam præsens sæculum amarum fluctuans designari) tribus hominum generibus suo cuique modo pervium est, ut transeant liberati. Tres enim sunt Noe, Daniel, & Job &c.

In cod. *fol.* 90.

Ser-

Digitized by Google

Sermo ſancti Bernardi Abbatis ad Abbates tempore quo veniunt ad caſtrum Ciſter. de ponte navi & vado. Hoc mare magnum in quo utique certum eſt non aliud quam preſens ſeculum amarum tribus hominum generibus ſuo cuique modo pervium ut tranſeant liberati. Tres enim ſunt quos propheta previdit liberandos Noe Daniel & Job &c.

Turbatam autem fuiſſe ordinis ſeriem, immo interpoſitos nonnunquam ſermones ſine titulo, qui ex *D. Bernardo* nihilominus ſumti fuerunt, eam ob cauſſam putamus, quod codex lectionibus, quæ ad fratres habebantur in cœnaculo, inſerviret. Poſt primum enim ſermonem hæc rubro charactere ſcripta habentur: *Poſt iſtum ſermonem qui lectus eſt legatur in refectorio alius ſermo cujus rubrica ſic incipit. De Evangelica lectione Maria Magdalene &c. & queratur in alia prima parte ſermonum Beati Bernardi. & qui eſt verſus finem.*

CODEX CCXX. *e.* VI. 24.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 218. ſæculi XIII. nitidiſſimi characteris, in quo Sermones pariter *Divi* BERNARDI: Et quidem

Fol. 1. Sermones *de tempore a vigilia Nativitatis uſque ad Quadrageſimam.*

Fol. 106. *pag.* 2. *Sermo in die feſto Beati* BENEDICTI; cujus initium: *Convenientibus vobis in unum &c.* ut in edit. tom. I. pag. 967.

Ad hujus calcem ſine ullo titulo, nullaque ferme diſtinctione, legitur: *Timuit Helyas Jezabel, & ſurgens abiit &c.* Sermo nimirum XCIV. *de diverſis*, qui in edit. tom. I. pag. 1216. præfefert hunc titulum; *De proceſſu vitæ Chriſtianæ, ſeu ſpiritualis juxta tropologiam Eliæ Jezabel fugientis.*

Fol. 112. *pag.* 2. *Sermo de portanda imagine*, cujus initium: *Sicut portavimus imaginem terreni hominis &c.* In edit. Sermo LXIX. *de diverſis* tom. I. pag. 1197. ubi diverſo plane titulo inſcribitur, nempe *de triplici renovatione triplicis vetuſtatis.*

Fol. 113. Sermo alter in *die feſto Sancti* BENEDICTI, cujus initium: *In fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum &c.* In edit. tom. II. pag. 977. adſcribitur GUARRICO *Abbati Igniacenſi.*

Fol. 116. *pag.* 2. Sermo *de copia gratiarum Dei in nobis*, cujus initium: *Quam dives es in miſericordia quam magnificus &c.* Exſtat in edit. tom. I. pag. 979. ſub hoc titulo, *Sermo tertius in annuntiatione B. Mariæ. De Suſanna & B. Maria.*

Fol. 121. Sermones duo *in annuntiatione Dominica.* In edit. tom. I. pag. 971.

Fol. 129. *De divina & generali Eccleſie proceſſione in Palmis* ſermones tres; nec non duo in *feriis* IV. & V. *Hebdomadæ Sanctæ*, ut in edit. tom. 1. pag. 878.

Fol. 144. *De amico de via veniente.* Incipit: *Veniens ad nos de via amicus noſter. id eſt quilibet converſus proximus tribus panibus reficiendus eſt.* Sermonem hunc haud reperire potuimus inter ceteros *Divi Bernardi.*

Fol. 147. *pag.* 2. *Quomodo Deus expellat vitia, plantetque virtutes.* Incipit: *Sapientia vincit maliciam. Chriſtus Diabolum. attingit ergo a fine uſque ad finem &c.* Eſt in edit. tom. I. pag. 1111. Sermo XIV. ſub titulo, *De ſeptem Donis Spiritus Sancti contra ſeptem vitia*; & diverſo paullulum modo incipit, nempe: *Sapientia vincit malitiam, dum Satanam conterit Dei virtus, & Dei ſapientia Chriſtus. Attingit ergo &c.*

Fol. 149. *De diſcordia rationis & voluntatis interpoſito corpore.* Incipit: *Diſponit ratio caſtigare corpus in penitencia & ſubicere ſervituti. Servus inutilis & piger conqueritur voluntati &c.* Deeſt & hic Sermo in edit.

Fol. 150. *Quanta mala continguant de mundi amore & quod diligantur mala &c.* Incipit: *Nolite diligere mundum, neque ea &c.* Eſt in edit. Sermo XXXIX. *de diverſis* tom. I. pag. 1145. ſub titulo *de triplici dilectione Dei.*

Fol. 152. Leguntur hæc verba: *Futura omnia ſunt magiſtri Hugonis.* Sermones

Digitized by Google

mones nimirum adduntur ad morum disciplinam pertinentes, *Magistro* Hugoni adscripti, qui tamen inter ejus Sermones editos *Rothomagi* anno 1648. non leguntur; nisi forte ex libris ejus *Miscellaneorum* excerpti sint. Eorum multos animadvertimus inter Sermones *de diversis Divi* Bernardi reperiri.

Primus sine titulo incipit: *Dum medium silentium tenerent omnia. Tria sunt silentia &c.*

Secundus *fol.* 154. *De injuria Deo ab homine & diabolo facta.* Incipit: *Tres in causam veniunt. Diabolus. homo. & Deus &c.*

Tertius *fol.* 155. *pag.* 2. *Viam pacis non cognoverunt non est timor Dei ante oculos eorum.* Incipit: *Qui timorem Dei ante oculos habere nolunt &c.*

Quartus *fol.* 157. *pag.* 2. *Et disciplina tua correxit me in finem.* Incipit. *Est quidam finis bonus & est quidam finis malus &c.*

Quintus *fol.* 159. *De versu putruerunt & corrupte sunt cicatrices mee a facie insipientie mee.* Incipit: *Considerantimihi hujus versiculi virtutem &c.*

Sextus *fol.* 161. *De impugnatione humilitatis a diabolo.* Incipit: *Duobus modis diabolus humilitatem in nobis oppugnat &c.*

Septimus *fol.* 163. *Quomodo Deus cor humanum emolliat.* Incipit: *Tribus modis Deus cor emollit &c.*

Octavus *fol.* 164. *De duabus piscinis & de Hierusalem, & porticibus quinque.* Incipit: *Contemplantis anima Jerusalem dicitur. quod ipsa interiori oculo &c.*

Nonus *fol.* 165. *pag.* 2. *De versu miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Incipit: *Audite peccatores orantem peccatorem &c.*

Decimus *fol.* 167. *De tribus locis. Egypto. deserto. & terra promissionis.* Incipit: *Tria sunt loca. Egyptus. Desertum. & terra promissionis &c.*

Undecimus *eodem fol. pag.* 2. *De versu. Beatus vir qui non abiit.* Incipit: *In refectione duo sunt potus & cibus. potus facile sumitur sicut est. Cibus sumi non potest, nisi cum labore &c.*

Duodecimus *fol.* 168. *pag.* 2. *Et in cathedra pestilentie non sedit.* Incipit: *Quamdiu anima per contemplationem Deo adheret manet in patria &c.*

Decimus tertius *fol.* 169. *De triplici gloria.* Incipit: *Qui gloriatur in Domino glorietur. Noverat Apostolus gloriam proprie creationis esse &c.*

Decimus quartus *fol.* 171. *pag.* 2. *De eo quod scriptum est fili memorare novissima tua & non peccabis.* Incipit: *Fili memorare novissima tua & non peccabis in eternum. Recole primordia. attende media. memorare novissima tua &c.*

Decimus quintus *fol.* 173. *pag.* 2. *De tribus misericordiis & quatuor miserationibus.* Incipit: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. sicut sunt peccata minima &c.*

Decimus sextus *fol.* 174. *pag.* 2. *De lectione Evangelica. Maria Magdalene & Maria Jacobi & Salome emerunt aromata.* Incipit: *Accepimus ab Apostolo, habitare Christum per fidem in cordibus nostris &c.*

Decimus septimus *fol.* 180. *pag.* 2. *De eo quod scriptum est in sex tribulationibus liberaberis & in septima non tanget te malum.* Incipit: *Dignum valde est & omnino exigit ratio equitatis ut quibus a constitutione mundi &c.*

Decimus octavus *fol.* 184. sine titulo. Incipit: *Dies diei eructat verbum. Dies diei. Angelus Virgini. Dies Angelus propter beatitudinem &c.*

Decimus nonus *fol.* 187. *pag.* 2. *De statu anime.* Incipit: *Tres sunt status anime. in corpore. posito corpore. recepto corpore &c.*

Vicesimus *fol.* 188. *Quomodo se debeat quisque ad Deum habere.* Incipit: *Sicut eger ad medicum sic debet esse peccator ad creatorem suum &c.*

Vicesimus primus *fol.* 189. *pag.* 2. *De usu primi hominis.* Incipit: *Eodem ordine quo processit culpa subsecuta est & culpe medicina &c.*

Vicesimus secundus *fol.* 191. *De multiplici genere vocationis.* Incipit: *Et vo-*

Digitized by Google

vocabitur nomen ejus admirabilis. consiliarius. Deus fortis. pater futuri seculi. princeps pacis &c.

Vicesimus tertius *eodem fol. pag. 2. Quomodo voluntas nostra divine sit subdita voluntati & in quo perfecta consistit caritas.* Incipit: *Audistis fratres in regula lectionem de humilitate. cui ego quotiens legitur. toto animo vos intentos esse desidero &c.*

Vicesimus quartus *fol. 193. pag. 2. Quod quatuor sunt que debemus solvere Deo.* Incipit: *In via estis fratres que ducit ad vitam. in via recta & impolluta &c.*

Vicesimus quintus *fol. 197. pag. 2. De eo quod scriptum est justam deduxit Dominus per vias rectas & ostendit illi regnum &c.* Incipit: *Justum deduxit Dominus &c.*

Vicesimus sextus *fol. 198. pag. 2. De duobus in Christo entibus.* Incipit: *Sicut in Christo duo sunt. unum nobis incognitum scilicet generatio divina &c.*

Vicesimus septimus *fol. 199. De trinitate hominis in quas pessimus trinitates ceciderit & per quas trinitates resurrexerit.* Incipit: *Beata illa sempiterna Trinitas. Pater. & Filius. & Spiritus Sanctus &c.*

Vicesimus octavus *fol. 201. De quatuor fontibus Salvatoris.* Incipit: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. pro paradiso quem perdidimus restituitus est nobis Salvator Christus &c.*

Vicesimus nonus *fol. 204. pag. 2. De septem donis Spiritus Sancti & septem beatitudinibus.* Incipit: *Prima gratia est timor Dei. Qui hanc habet. omnem odit iniquitatem &c.*

Tricesimus *fol. 207. De duobus pedibus Domini & tribus unguentis.* Incipit: *Duo sunt pedes Dei. misericordia & juditium. his circuit & perambulat &c.*

Tricesimus primus *fol. 209. pag. 2. De quatuor profectibus electorum.* Incipit: *Quatuor gradibus distinguitur omnis electorum profectus &c.*

Tricesimus secundus *fol. 211. pag. 2. De tribus emissionibus.* Incipit: *Emissiones tue paradisus. Vox illa celestis &c.*

Tricesimus tertius *fol. 214. pag. 2. De ascensu in celum.* Incipit: *Nemo ascendit in celum nisi qui descendit de celo. filius hominis &c.*

Tricesimus quartus *fol. 217. De triplici introductione sponse.* Incipit: *Veni in ortum meum soror mea sponsa. alibi dicitur. introduxit me Rex in cellarium suum &c.*

CODEX CCXXI. e. VI. 25.

Membranaceus, duplici exaratus columna, habens folia 88. sæculi XIII. finem versus. Continet eosdem prorsus sermones, qui in superiori codice, atque eadem etiam ratione ante sermonem, qui incipit: *Dum medium silentium tenerent omnia &c.* adnotatum legimus, *futura omnia sunt magistri Hugonis*, quamquam *Magistri Hugonis* non sint.

Fol. 81. Habetur præterea *Beati* BERNARDI *liber de diligendo ad Haimericum.* In edit. tom. I. pag. 581.

Post hunc vero nonnulla sine titulo, & absque autoris nomine, *de veteri lege, & de novæ supra veterem præstantia*, quantum conjicere licet. En tibi initium: *Quid igitur lex posita est in medio scilicet inter promissionem, & semen cui facta est promissio &c.*

CODEX CCXXII. e. VI. 26.

Membranaceus, duplici scriptus columna, foliis constans 209. circa finem sæculi XIII. in quo

Fol. 1. DIVI BERNARDI Sermones *de tempore ab adventu usque ad Pentecosten*, aliique nonnulli *de diversis.*

Fol. 60. *pag.* 2. *Hugonis de Folieto Prioris Canonicorum Sancti Laurentii in Pago Ambianensi* liber secundus *de claustro animæ*, editus inter HUGONIS VICTORINI opera tom. II. pag. 60. Incipit. *Locuturus Karissime de iis, que ad edificationem claustri materialis pertinent &c.*

Fol.

Digitized by Google

Fol. 68. *pag.* 2. *De clauſtro animæ* liber tertius ejuſdem HUGONIS DE FOLIETO, imperfectus tamen, ac mutilus.

Fol. 70. *Divi* BERNARDI *ſermones in Cantica*. Initium fit duntaxat a quinto, qui etiam caret principio.

Fol. 151. Leguntur variorum Patrum, LEONIS, MAXIMI, & CHRYSOSTOMI ſermones tempore *Quadrageſimæ*.

Fol. 163. *pag.* 2. *Incipit liber Ruth.*

Fol. 165. *Incipit liber Tobie*, cui præmittitur *Hieronymi* præfatio.

Fol. 170. Sequuntur ſermones nonnulli tempore *Paſchatis*, & *Pentecoſtes.*

Fol. 175. BERNARDI *liber de conſideratione ad Eugenium Papam*. In edit. tom. I. pag. 407.

Fol. 191. *Tractatus de amore Dei*, *Divo* BERNARDO perperam adſcriptus. Habet enim autorem *Guilielmum Abbatem*, uti dicitur in editione *operum Mabilloniana* tom. II. pag. 233. ubi titulum præfert *de contemplando Deo*; & præditus eſt prologo, qui in noſtro Codice deſideratur.

Fol. 200. Sententiæ ex variis Patribus collectæ, HILARIO nempe, FULGENTIO, GREGORIO, LEONE, aliiſque.

Fol. 206. *Liber Beati Bernardi de gratia & libero arbitrio*, deficiens in fine. Exſtat in edit tom. I. pag. 603.

CODEX CCXXIII. *e.* VI. 27.

Membranaceus, conſtans foliis 110. ſæculi XV. in quo

Fol. 1. Hymni varii, quos in *Officio* adhuc retinemus, moralibus commentationibus illuſtrati.

Fol. 49. *Speculum Eccleſiæ*, ut ſupra in codice *e.* IV. 16.

Fol. 61. *Elucidarium*, ſive *Summa totius Chriſtianæ Theologiæ*, inter opera dubia *Sancti Anſelmi* pag. 457.

Fol. 93. *pag.* 2. *De Antichriſto*, prætermiſſo autoris nomine. Incipit: *Vos quoque ſcire vultis de Antichriſto. quo naſci debeat. primo notabitis quare ſic vocatus ſit &c.*

Fol. 96. VIRGINIS DEIPARÆ invocandæ modus, ſine ullo titulo. Initium eſt: *Ad ſalutandam Virginem primo debes ejus magnitudinem conſiderare &c.*

Fol. 99. *Expoſitio ramorum arboris*. Eſt nimirum ſub hoc titulo opuſculum *Divi* BONAVENTURÆ, inſcriptum *de ligno vitæ*; contractum tamen, atque in compendium redactum, ut ex collatione nobis patuit.

Ad calcem legitur:

Qui ſcripſit ſcribat ſemper cum Domino vivat.

Explicit tractatus de ligno vite editus a Fratre Bonaventura ad laudem Omnipotentis ac totius Curie Celeſtis.

CODEX CCXXIV. *e.* VI. 28.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, habens folia 125. ſæculi XIII. optimæ notæ, atque lectionis. Continet

I. *Opuſculum* MAGISTRI RICHARDI DE SANCTO VICTORE, *de myſtico ſomnio Nabuchodonoſor Regis & que ſit ſumma intentionis*. In editione Veneta anni 1592. parte I. pag. 47. habetur ſub hoc titulo, *de eruditione hominis interioris*.

Fol. 41. *Diviſiones virtutum, & vitiorum*, ignoti autoris. Initium fit his verbis: *Tres ſunt libertates. libertas alia a neceſſitate. quam contulit nobis natura in conditione &c.*

Fol. 43. *Incipit tractatus* MAGISTRI RICHARDI *ſuper quoſdam Pſalmos & quarundam ſententias Scripturarum*. In edit. parte II. pag. 24. ſub titulo, *myſticæ annotationes plurimorum verſuum pſalmorum David.*

Fol. 75. *Ejuſdem liber de contemplatione*. In edit. parte I. pag. 150.

CODEX CCXXV. *e.* VI. 29.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 101. optimi, nitidique characteris, ſæculi XIV. in quo *ſumma de virtutibus*, eadem, quæ in

Digitized by Google

codice *c.* IV. 35. autore GUILIELMO PERALDO.

Posita est ad calcem rerum memorabilium tabula.

CODEX CCXXVI. *f.* II. 33.

Chartaceus, constans foliis 302. sæculi XV. in quo *Sermones Quadragesimales* FRATRIS NICOLAI DE AQUAPENDENTE. Incipit: *Doctor Doctorum Aurelius & Pater noster Augustinus &c.*

Clara exstat memoria *Nicolai de Aquapendente* apud Philippum Elssium in *Encomiastico Augustinianorum* pag. 501.

Fol. 298. *Tractatus de Convenientia, & Disconvenientia Evangelistarum.* Desideratur autoris nomen.

In fronte codicis hæc adnotantur.

Quadragesimale Reverendi patris, & magistri celeberrimi Nicolai de Aquapendente Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini. & Divini verbi predicatoris famosissimi. Aquisitum per me Fratrem Raphaelem Milanesium 1518.

CODEX CCXXVII. *f.* III. 3.

Membranaceus, habens folia 109. sæculi XV. venustissimo scriptus charactere, & literis initialibus aureis ornatus, continet JOVIANI PONTANI de *Obedientia libros quinque ad Robertum Sanseverinum Principem Salernitanum.*

De *Joviano Pontano* plura habet Albertus Fabricius *Bibliothecæ Mediæ, & Infimæ Latinitatis* tom. VI. pag. 9. ejusque varia opera pluries edita recenset. *De Obedientia* autem libros quatuor tantum numerat. In nostro vero codice additur quintus, cujus initium: *Narcissus Theologus tam tenaci vir memoria ut tota interdum veterum tum Theologorum tum Philosophorum volumina memoriter quidem, & eodem quo scripta sunt ordine ac tenore reddat &c.*

In fine hæc leguntur.

Joannes. Marcus. Velox. Petri.
Strozae. Florentini. Discipulus.
Parma. Oriundus. Insigni. Litteris.
Et. Marte. Roberto. Sanseverino.
Principi. Salernitano. Christi.
Anno. MCCCCLXX. Neapoli.
III. Idus Junias. Sub Alphonsiade.
Ferdinando. Obedienter. Tranquilleque.
Transcripsit.

CODEX CCXXVIII. *f.* III. 6.

Membranaceus, foliis constans 78. sæculi XV. in quo FUSCI PARACLETI ACERNENSIS EPISCOPI *ad Prestantissimum virum Robertum de Sancto Severino Salerni Principem de bono mortis liber.*

Ughellius tom. VII. pag. 448. vocat *Paracletum de Malvetiis, patria Bononensem.* Videre est etiam Herreram in *Alphabeto Augustiniano*, qui plura de *Fusco Paracleto Acernensi Episcopo* scribit.

In fine hæc leguntur.

Explicit liber de bono mortis. Salerni. XXVI. Januarii MCCCCLXXI.

Fol. 77. Carmen cujusdam Poetæ, in quo DIVUS EVANGELISTA MATTHÆUS. *Paulo II. Pontifici Maximo per visum repentinam mortem minatur. quia noluerit Ecclesie sue Presulem ordinare.* Incipit.

Liquerat oscuri rutilans aurora cubile
Titoni. roseasque genas jam coeperat orbi
Pandere &c.

Sequuntur quædam alia carmina ad *Robertum Salerni Principem*, non inconcinna.

Dent alii rutilas quas abluit Hermus arenas
Quas Pactolus habet quas tenet unda Tagi.
Maxima fulgentis dent pondera divitis auri
Et tandem cunctas dent Orientis opes.
Ast ego precipuus quodque est prestantius illis
Pectoris & firme do tibi mentis opus
Do quoque perpetui quod erit tibi pignus amoris
Est quibus in toto ditius orbe nihil.

Solus

Digitized by Google

Solus habes igitur Princeps dignissime quidquid
Seu natura dedit: Seu Deus ipse mihi.

CODEX CCXXIX. *f.* III. 9.

Membranaceus, constans foliis 8. sæculi XV. in quo *Officium Sanctissimæ Sindonis* a FRATRE ANTONIO PENNETO *Ordinis Prædicatorum* compositum, & CAROLO II. SABAUDIÆ DUCI IX. inscriptum, ut ex epistola, quæ *Officio* præfigitur, liquet. *Illustrissimo ac Generossimo Principi Carolo secundo Duci Sabaudie nono. Frater Antonius Pennetus Ordinis Fratrum Predicatorum Sacre Theologie humilis professor debitam cum prompta obedientia reverentiam. Jam dudum Serenissime Princeps vestre timorate conscientie curam sollicitam mihi comisistis. nunc vero vestre placuit Celsitudini mihi imponendo precipere. ut officium in honorem S. Sudarii componerem &c.*

Corrigendus itaque Eccardus, qui tom. II. *Bibliothecæ Ordinis Prædicatorum* pag. 28. tradit, *Antonium Pennetum a* CAROLO III. SABAUDIÆ DUCE e Galliis evocatum fuisse, & sibi a confessionibus adscitum; cum ex citata epistola clarum, perspectumque sit, id muneris eum obiisse apud CAROLUM II. SABADUIÆ DUCEM, qui Imperium moderari cœpit anno MCCCCXC.

Latuit quoque Eccardum hoc ab ANTONIO PENNETO compositum sacrum opusculum.

CODEX CCXXX. *f.* III. 10.

Membranaceus, constans foliis 33. sæculi XIV. in quo Expositio *Canonis Missæ*, mutila principio, & sine autoris nomine.

CODEX CCXXXI. *f.* III. 20.

Membranaceus, constans foliis 129. sæculi XIV. Continet *Sermones Dominicales*, & *Quadragesimales* JACOBI BLANCHI.

Primus est de ADVENTU DOMINI, cujus initium: *Erunt signa in Sole, & Luna &c. Sapientis consiliarii proprium est tria in consiliis suis observare &c.*

In fine.

Explicit Postilla super Evangelia Dominicalia totius anni sicut leguntur in Ecclesia secundum officium Romane Eccleſie. & etiam totius Quadragesime edita a Fratre Jacobo Blancho de Alexandria Ordinis Fratrum Minorum. Deo gratias Amen.

Præmittitur index *Sermonum*, & tabula *Lunationum* ab anno 1308. usque ad annum 1322.

Servari MSS. hos Sermones etiam in *Bibliothecis Conventus Assisii, & Mediolani*, scribit Wadingus in *Bibliotheca Scriptorum* sui Ordinis pag. 181.

CODEX CCXXXII. *f.* III. 21.

Membranaceus, cui folia 58. sæculi XIV. ubi commentarius in varia *Scripturæ* Loca, sine interpretis nomine. Incipit: *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia &c.*

Fol. 43. *Sermones* INNOCENTII PAPE. (scilicet V.) Præmittitur epistola ad Arnaldum Abbatem Cistercienſem, cujus initium: *Prophetica nos docet autoritas &c.*

Sermo primus, qui est de ADVENTU DOMINI, incipit his verbis: *Ora est jam nos de sopno surgere &c.*

Fol. 44. *Sermo secundus* itidem de ADVENTU DOMINI, cujus initium: *Aspicens a longe ecce video Domini potentiam venientem &c.*

Fol. 45. *Sermo tertius de* PRIMO DIE DOMINICÆ ADVENTUS, cujus initium: *Cum venerit plenitudo temporis misit Deus filium suum &c.*

Sequuntur alii sermones IX. de DIEBUS FESTIS IN ADVENTU.

Plures INNOCENTIUM V. edidisse sermones, eosque in multis asservari Bibliothecis, testatur Eccardus tom. I. pag. 354.

CO-

Digitized by Google

CODEX CCXXXIII. *f.* III. 22.

Membranaceus, conſtans foliis 316. ſæculi XIII. continet ſermones *Anonymi* autoris, quorum initio præmittitur index *Locorum Evangelii*, unde conflati ſunt. Fit vero initium his verbis: *Domini noſtri Jeſu Chriſti Doctrina quam in ejus nomine lecturi ſumus Grece Evangelium. Latine bonum nuntium dicitur* &c.

In fine.

Explicit Expoſitio Mathie

Te precor lector ſi precibus flecteris ullis-
Ut dicas vale vale Apollinari Frater.

CODEX CCXXXIV. *f.* III. 23.

Membranaceus, foliis conſtans 63. ſæculi XV. Eſt RITUALE ROMANUM.

Codex tum ob characterem, tum ob icones auro pictas elegantiſſimus.

CODEX CCXXXV. *f.* IV. 1.

Membranaceus, conſtans foliis 196. ſæculi XIV. Sermones complectitur de ADVENTU DOMINI, & *diebus feſtis*, ex variis doctoribus ab *Anonymo* autore collectos, ut indicat eorundem titulus, *Incipiunt Sermones plurimorum doctorum*.

Primus, qui eſt de ADVENTU pertinet ad Innocentium V. de quo ſupra in Codice *f.* III. 21.

Ceterum Sermones numero centum, & undecim ſunt, eorumque præmittitur index.

CODEX CCXXXVI. *f.* IV. 2.

Membranaceus, conſtans foliis 152. ſæculi XIII. in quo Sermones ignoti autoris de ADVENTU DOMINI, aliiſque diebus feſtis, quibus appoſitus legitur titulus: *De Teſtamento Vetere & Novo*. Adiecta eſt præfatio, cujus prima verba ſunt: *Sicut ante Nativitatem Chriſti congrue III. ebdomade obſervantur. ut tria deſignentur tempora &c.*

Initium primi Sermonis eſt: *Non auferetur Sceptrum &c. Scilicet Jacob Patriarcha de hac vita migraturus vocavit omnes filios ſuos dicens. Congregamini filii Iſrael &c.*

CODEX CCXXXVII. *f.* IV. 3.

Chartaceus, conſtans foliis 308. ſæculi XV. ſtemmate *Cardinalis a Ruvere* inſignitus, in quo ISIDORI MERCATORIS *de celebrando conſilio, de Canonibus Apoſtolorum, de Decretis Apoſtolicorum, & de Conciliis liber*.

CODEX CCXXXVIII. *f.* IV. 4.

Chartaceus, conſtans foliis 523. ſæculi XV. Acta continet CONCILII PISANI, quæ maximam partem adhuc inedita ſunt, ut ex codicis MS. collatione cum editis exemplaribus nobis patuit. Quare operæ pretium nos facturos arbitramur, ſi quæ hoc præſtantiſſimo codice comprehenduntur, ſigillatim, & accurate explicemus.

Eſt igitur primum *epiſtola*, mutila tamen principio, *Cardinalium*, qui GREGORIO XII. adhærebant, qua *Fideles* certiores reddunt, ſe ultro, lubenterque a laudato Pontifice deſciſcere velle, ut ſarta tecta Eccleſiæ tranquillitas ſervetur.

Fol. 4. *pag.* 2. Recenſentur literæ a Cardinalibus, qui Piſas convenerant, ad Chriſtianos Principes, Magiſtratus, Epiſcopos, Abbates, Academias, Ordinum Generales Magiſtros &c. ſcriptæ, quibus eos hortantur, precanturque, ut vel præſentes, vel *procuratorio* ſaltem *nomine* ſtato die Concilio Piſis indicto interſint. Harum autem potior pars lucem nondum aſpexit; præſertim, quæ ad COMITEM SABAUDIÆ, & *Abbatem de Cluſa* a Patribus Concilii ſcriptæ fuerunt, & quæ profecto in codicibus, quibus uſi ſunt *Dacherius*, & *Martene*, omnino deſiderabantur. Primas ordine ducit epiſtola ad *Generalem Magiſtrum Ordinis Theutonicorum Ulricum* ſcripta. *Fol.*

Digitized by Google

Fol. 11. *ſequitur litera miſſa univerſis Chriſti fidelibus ſuper facto unionis in magna forma.*

Fol. 14. *pag.* 2. *Sequitur litera miſſa univerſis Chriſti fidelibus ſuper facto unionis in alia minori forma.*

Fol. 16. *pag.* 2. iterum ſunt literæ ad Principes, Epiſcopos, Abbates, Academias a Concilii Patribus miſſæ. Prima eſt ad *Erneſtum*, & *Willhelmum Bavariæ Duces.*

Fol. 37. *pag.* 2. Acta deſcribuntur, quibus ii, qui a Concilii Patribus ad Reges, Principes &c. oratores miſſi fuerant, ſe Concilii literas ſingulis dediſſe, ſacramento rite profitentur, atque confirmant.

Fol. 45. Epiſcoporum, Abbatum, Oratorum, Doctorumque nomina, prout Concilio Piſis ſe ſiſtebant, nullo habito dignitatis ordine, accuratiſſime deſignantur: quibus profecto corrigi, atque mirifice illuſtrari poſſunt Concilii *Subſcriptiones*, quæ in editis ejuſdem actis, ſive apud *Labbeum*, ſive apud *Ughellium*, ſive apud *Baronium* notantur.

In Taurinenſi præterea codice non ſolum eorum Patrum nomina, qui Concilio ſe ſiſtebant, eorumdemque honoris, dignitatiſque tituli indicantur, verum etiam, quo tempore, & a quo Pontifice Epiſcopi, aut Abbates renuntiati fuiſſent, aut quapiam alia in Eccleſia dignitate ornati, conceptis verbis exprimitur.

Fol. 94. *pag.* 2. Literarum exemplar, quas ad Piſanos Patres Principes, & Reges ſcripſere. Harum quamplurimas legas apud Edmundum Martene *veterum monumentorum* tomo VII. & nonnullas apud Labbeum tom. XV. at ceteras fruſtra ibi quæſiveris.

In noſtro Codice primum locum tenent binæ Epiſtolæ WENCESLAI *Romanorum, & Bohemiæ Regis*, quas, ni fallimur, neque Labbeus, neque Martene reperere in MSS. exemplaribus, quibus uſi ſunt, ut eas publici juris facerent. Initium primæ eſt.

Venceslaus Dei Gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus & Bohemie Rex Reverendiſſimo in Criſto Patri Domino Landulpho Sancti Nicolai in Carcere Tuliano Diacono Sancte Romane Eccleſie Cardinali: ac Sacri utriuſque Colegii Reverendiſſimorum in Criſto Patrum Dominorum ejuſdem Romane Eccleſie Cardinalium invicem pro unione dicte Eccleſie unitorum ad Majeſtatem noſtram: & deinde ad nonnullos alios Principes legatis ſalutem & bonam in Domino voluntatem. Diu hoc peſtilens ſciſma quod Eccleſiam Dei quam orthodoxa fides unam Sanctam Catholicam & Apoſtolicam profitetur: tanto jam tempore proch dolor cum ineffabili fidelium Criſti perturbatione diviſit corde moleſtiſſime graviſſime geſſimus: & quamquam conſilia & actiones noſtras in diverſa ſtudia pro ejuſdem extirpatione ſciſmatis jactaverimus: intantum tamen exigentibus hominum demeritis nequitia prevaluit perverſorum: ut Eccleſie unitatis bonum quod jugiter procuramus adhuc uſque fuerit impeditum Dei tamen gratia qui miſericordiam facere dignatus eſt &c.

Altera autem, quæ exſtat *fol.* 95. incipit.

Venceslaus &c. conſiderantes quod ad Generale Concilium utriuſque obedientie & partis que adheſit Gregorio & Benedicto eorumque Predeceſſoribus quod convocant Reverendiſſimi in Criſto Patres Domini Cardinales utriuſque Colegii ad invicem uniti pro unitate in Dei Eccleſia reducenda ad X. diem martii proxime inſtantis in Civitate Piſana tenendum &c.

Edmundus quidem Martene tom. VII. *veterum monumentorum* col. 923. epiſtolam refert *Wenceslai Regis Romanorum, & Bohemiæ* ad Patres Concilii; aſt hæc toto cœlo diſtat, ut conferenti utramque clarum, perſpectumque fiet.

Wenceslai literas ſequuntur ceterorum Principum ad eoſdem Piſanos Patres, ut CAROLI VI. *Francorum Regis*, LUDOVICI *Jheruſalem, & Siciliæ*, JOHANNIS *Portugalliæ*, KAROLI *Navarræ*, ULADISLAI *Poloniæ*, JOHANNIS *Britaniæ Ducis &*

Co-

Digitized by Google

Comitis Montis fortis, GUILLELMI *Bavariæ*, *Hannoniæ &c.* ERNESTI *Auſtriæ*; JODOCI *Marchionis Brandeburgenſis*; ac demum SEMONICHI *Ruſſiæ Ducis*; quorum omnium Regum, ac Principum literis adjectum eſt eorum, qui a ſecretis erant, teſtimonium.

Fol. 106. Leguntur *Inſtrumenta*, & literæ, quæ nomina Legatorum, ac Oratorum continent, quos ad Concilium delegaverant Epiſcopi, Academiæ, Communitates &c.

Fol. 137. Acta Concilii exhibentur, ſed diverſa plane ab iis, quæ memorati *Labbeus*, *Martene*, & *Hartius* publici juris fecerunt. Sunt autem pluribus monumentis intermixta, quorum pars typis nondum conſignata eſt. Eorum quidem exordium idem prorſus eſt, quod in *ſupplementis ad Concilia Labbei* ex Hartio edidit Venetus Labbei editor citato tomo XV. col. 1778. At in ſecunda *Seſſione*, & in reliqua Concilii hiſtoria multa eſt, & ſingularis diſcrepantia.

In codice namque Taurinenſi ejus initium ita ſe habet:

Die martis viceſima ſexta menſis Martii ſupradicti qua juxta intimationem factam de die precedenti fuit prima ſeſſio Sacri Generalis Concilii pro tollendo miſerabili ſciſmate pacis & reductione & unione Eccleſiaſtica convocati per Reverendiſſimos Patres Dominos utriuſque Coleggii Sancte Romane Eccleſie Cardinales ut premititur convenientibus de mane circa ſolis ortum in majori Eccleſia Piſana ipſis Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus aliiſque Reverendis Patribus &c.

In editione Labbeana Veneta.

Secunda ſeſſio fuit die XXVII. Martii, ubi poſt miſſam celebratam omnes Prælati quilibet loco ſuo ſe reveſtierunt Cappa & Mitra alba, & cantatæ fuerunt Ltaniæ, orationes, evangelium, Veni Creator &c. Sicut in alia die factum fuerat. His factis, Concilium adhuc ordinavit cum primis aliquos advocatos, promotores, & notarios, qui ſicut primi, fecerunt juramentum &c.

Diſcrepat etiam, quod vulgavit Edmundus Martene tomo citato VII. col. 1079. Ejuſmodi enim eſt.

Sancta Synodus, ſeu hoc ſacrum Generale Concilium Dominum Petrum de Luna, Benedictum XIII. nominatum, Dominum Angelum de Corrario, Gregorium XII. nuncupatum, de Papatu contendentes, & quantum in eis eſt, Eccleſiam Dei notorie in Schiſmate tenentes, legitime requiſitos, & vocatos, & provocatos in cauſa ſchiſmatis, & fidei ad hoc præſens ſanctum Generale Concilium &c.

Fol. 237. Acta leguntur accuratiſſime deſcripta *Proceſſus in* PETRUM de LUNA, & ANGELUM de CORRARIO a Concilii Patribus indicti, & optimorum virorum opera inſtituti, atque perfecti. Judicum nomina, & teſtium reſponſa incredibili diligentia, & ordine narrantur. Hiſce accedunt Doctorum conſultationes, & varia, quæ id temporis edita fuere a ſummis viris ſcripta. Hæc ſane Acta, quæ duorum Pſeudo-Pontificum criminationes complectuntur, certiſſimum eſt, nondum vulgata fuiſſe.

Codex, quod a nobis prætermittendum minime erat, ad *Cardinalem de Ruvere* ſpectabat, ut indicat ejus ſtemma initio elegantiſſime pictum.

CODEX CCXXXIX. *f.* IV. 6.

Membranaceus, conſtans foliis 169. ſæculi XII. Eſt COLLECTIO CANONUM in Libros VII. tributa, ut colligitur ex indice *Canonum*, qui in fronte Codicis exſtat, quique hoc ordine ſe habet.

„ Lib. I. C. I. Sermo B. LEONIS
„ PAPÆ in Sinodo dicendus.
„ C. II. Epiſtola formata.
„ C. III. Quod juxta legem Dei
„ ſententia Summi Sacerdotis vi-
„ delicet Romani ſit ſequenda.
„ & nullus contra eum intume-
„ ſcat ſuperbia.
„ C. XLV. Quod Abates Clerici
„ non debent proponi.
„ Lib. II. de ACCUSATORIBUS.
„ C. I. Quod Accuſatores & teſtes
„ ini-

Digitized by Google

„ inimici esse non possunt &c.
„ Quod laici non debent recipi in
„ accusatione clericorum.
III. Quod nihil contra accusatum
„ absque legitimo accusatore fiat.
„ XCVI. De excusatione eorum,
„ qui in causa sunt. & ad Con-
„ cilium vocantur.
„ Lib. III. De ELECTIONE EPISCOPORUM &c.
„ C. I. Quod non sit magister
„ qui nullo gradu obsecutus est
„ Sacerdoti.
„ II. Quod nulli Sacerdoti liceat ca-
„ nones ignorare.
„ III. Quod nullis invitis detur Epi-
„ scopatus.
„ CCVIII. Quod per penitentiam
„ lapsi sacrificare possint.
„ Lib. IV. De ECCLESIIS.
„ C. I. Quare dicitur Ecclesia.
II. Quod noviter non edificetur Ec-
„ clesia sine Apostolico precepto.
„ III. Quod annuatim Dedicatio
„ Ecclesiarum & Sacerdotum ce-
„ lebretur &c.
„ CCXLVII. Quod Monachus fa-
„ ctus Episcopus patriam heredi-
„ tatem juste sibi vendicet.
„ Lib. V. Continens de Corpore &
„ Sanguine Domini. & juramento
„ & baptismo. & de Nuptiis.
„ C. I. Quod sicut Pasca annuatim
„ celebrandum sic Sanctum Cris-
„ ma innovandum &c.
„ II. Quid est Baptismus.
„ III. Quod Pasca & Pentecostes
„ generalia sunt Baptismata.
„ CCLXVI. Quod qui incantato-
„ res observat. aut filacteriis uti-
„ tur &c. anathema sit.
„ Lib. VI.
„ C. I. Quod ordinati ab hereticis
„ vulneratum habent caput quia
„ dampnationem acceperunt.
„ quam illi habebant.
„ II. Quod Clericus qui hereticis com-
„ municavit si ad Ecclesiam ve-
„ nit in quo erat gradu sine pro-
„ motione maneat.

Pars II.

„ III. Quod sedes Episcoporum &
„ ligandi potestatem docent.
„ CCLXXII. De eo quod dixit
„ Apostolus. non regnet pecca-
„ tum in vestro mortali corpore
„ &c.
„ Lib. VII. De PENITENTIA.
„ C. I. Quo tempore Presbyteri
„ plebium canonica auctoritate
„ discordes ad pacem. delinquen-
„ tes ad penitentiam compellere
„ debent.
„ II. Quomodo Sacerdotes plebem
„ sibi comissam tempore penitu-
„ dinis admonere &c.
„ III. De confessione. & penitentia
„ & reconciliatione &c.
„ CXCVII. De Ministerio Diaco-
„ norum &c.

Hi tamen postremi quatuor Canones, qui in indice, ut vidimus, designantur, omnino desunt, eorumque loco, fortasse ignorantia librarii, descripta sunt quædam alia ex *Canonibus* aliunde excerpta.

Fol. 167. Legitur DICTATUS, qui GREGORIO VII. tribuitur. Ejus initium est: *Gregorius PP. VII. Capitula.*

I. Quod Romana Ecclesia a solo Domino sit fundata &c.

Fol. 168. *Acta Concilii a* PAPA URBANO II. *Melphis habiti anno* MLXXXIX. quorum initium est: *Anno Dominice Incarnationis &c. Pontificatus Domini Urbani PP. Secundi. Indictione XII. IIII. idus Septembris congregata est apud Melphiam Apulie urbem ejus jussu Synodus Episcoporum* LXX. *Abbatum* XII. *Die autem secundo edita sunt capitula hec Sanctorum Patrum sententiis consona &c.*

Nonnulla exstant in nostro Codice, quæ typis nondum vulgata sunt, & quæ in *Anecdotorum* classem referri poterunt.

Fol. 169. Hæc habentur, ævo posteriore scripta:

Incipit racio que habita est de Symbolo fidei in Secretario B. Petri Apostoli inter Dominum Leonem Sanctissimum & Coangelicum Papam urbis Rome. & Berna-

 rium

Digitized by Google

rium atque Jesse Episcopos. Et Adalardum Abbatem missos Dompni Karoli Imperatoris per indictionem secundam.

Lectis a predictis missis per ordinem testimoniis. atque a Dompno Apostolico diligentissime auditis ait. Ita sentio. ita teneo. ita vestris auctoritatibus. si quis aliter de hac re sentire vel docere voluerit &c.

Mutila est fine.

CODEX CCXL. *f.* IV. 9.

Chartaceus, constans foliis 100. sæculi XV. in quo BRUCARDI SUMMA; cujus titulus: *Incipit Janineta extracta a Janina. que extracta est ex Decreto. Primo tractat de Symonia. MCCCXXXX.* Albertus autem Fabricius tom. I. *Bibliothecæ Mediæ, & Infimæ Latinitatis* pag. 777. refert hanc *Summam* sub titulo *de virtutibus, & vitiis.*

In quatuor libros distributa est.

Fol. 1. Liber I. *de Simonia.*

Fol. 22. Liber II. *de Homicidio & irregularitatibus.*

Fol. 40. Lib. III. *de Clericis & Ordinatoribus.*

Fol. 81. Liber IV. *de Sponsalibus.*

In fine.

Et hec sufficiant de summa completa per manus Jacobi Constantini MCCCCXL. mense junio. quo anno eram secundus in Sacerdotio. explicit summa Fratris Brucardi ex Ordine Predicatorum.

Sequitur postea Index rerum, cui adjectus est perbrevis tractatus de *excomunicationibus*, fortasse eodem BRUCARDO autore; etsi Eccardus, qui plures ejus MSS. codices recenset tom. I. pag. 466. nullam hujus opusculi faciat mentionem.

CODEX CCXLI. *f.* IV. 21.

Membranaceus, foliis constans 64. sæculi XIV. in quo primum GREGORII PP. X. *Constitutiones edite in Concilio Lugdunensi.*

Fol. 9. NICOLAI PAPÆ *Constitutio*, quæ incipit: *Cupientes Ecclesiarum vacationibus &c.*

Fol. 11. GUILLELMI DURANDI *Commentarius in Constitutiones P. Gregorii* X. ad cujus calcem legitur:

Expliciunt Commentarii magistri Guillelmi Durandi super novissimis Constitutionibus Gregorii PP. decimi.

CODEX CCXLII. *f.* IV. 26.

Chartaceus, constans foliis 313. sæculi XV. in quo ARNAUDI GUILLELMI de SANSACO *Commentarius in Clementinas.*

In fine.

Explicit opus Guillelmi de Sansaco.

CODEX CCXLIII. *f.* IV. 27.

Chartaceus, constans foliis 61. sæculi XVI. ubi AMBROSII DE VIGNATE *Taurinensis Tractatus de Poenitentia, & Remissione.*

Fuit AMBROSIUS de VIGNATE Juris Pontificii Professor in Patria Academia anno 1569. ut scribit Panzirolius de *Claris legum Interpretibus* pag. 376.

Meminit etiam Rossottus pag. 30. hujusce scriptoris in *Syllabo Scriptor. Pedemont.* sed *Antecessoris* dignitatem in patria omisit.

CODEX CCXLIV. *f.* IV. 28.

Chartaceus, folia habens 80. sæculi XV. in quo ignoti scriptoris opus, cui titulus: *Tractatus de contractibus, & usuris. & primo ponitur ordo dicendorum in materia dictorum contractuum, & usurarum. Sabato post 3. dominicam in Quadragesima de Origine Dominiorum, & rerum.*

Tractatus in plures Sermones tribuitur. Initium primi est: *Vade & noli amplius peccare &c. In evangelio hodierno quidam labitur immundus, & per viciorum deficit incrementa &c.*

CO-

Digitized by Google

CODEX CCXLV. *f.* IV. 29.

Chartaceus, habens folia 94. ſæculi XIV. in quo *Sacramentale* GUILLELMI DE MONTE LANDUNO.

Clauditur autem his verbis: *Explicit Sacramentale domini Guillelmi de Monte Landuno finitum anno Domini milleſimo tercenteſimo nonageſimo ſexto. penultimæ die menſis Februarii.*

CODEX CCLXVI. *f.* IV. 30.

Chartaceus, conſtans foliis 151. ſæculi XIV. continet primo loco GUILLELMI BORBORCH *Rote Romane Auditoris Deciſiones Canonicas.*

Fol. 17. *Anonymi* Tractatum *de Rebus Eccleſie non alienandis.*

Fol. 142. eſt *Rubrica de Teſtamentis & ultimis voluntatibus*, autore JACOBO DE PORTU, ut in fine ejuſdem *Rubricæ* indicatur.

CODEX CCXLVII. *f.* IV. 31.

Membranaceus, conſtans foliis 92. ſæculi XIV. in quo JOHANNIS PECKAM *Tractatus de numeris, & eorum myſteriis.*

Latuit Dupinium hoc *Peckami* opuſculum. Guilielmus autem Cave tom. II. pag. 324. inter inedita recenſet, & MS. ſervari in *Bibliotheca Lincolnienſi* affirmat. Ejuſdem ſententiæ eſt poſt Pitſeum *pag.* 380. Albertus Fabricius tom. I. *Bibliothecæ Mediæ, & Infimæ Latinitatis* pag. 331. Cum vero a *Baleo* inter ea, quæ a PECKAMO ſcripta fuere, minime adnumeretur, & in citato Codice MS. *Lincolnienſi* compoſitum dicatur a *Fratre Ordinis Prædicatorum*, dubitat Cave, an *Tractatus de Numeris* PECKAMO ſit tribuendus, nec ne. Codex tamen Taurinenſis litem omnino dirimere videtur, docetque nos, PECKAMUM fuiſſe Fratrem non *Ordinis Prædicatorum*, ut dicitur in codice *Lincolnienſi*, ſed *Minorum*, & Tractatum de *Numeris* eidem omnino adſcribendum. Hæc enim in fine leguntur.

Explicit Tractatus de numeris & miſteriis eorum editus a Fratre Johanne de Peckam Magiſtro in Theologia Sacra Ordinis Fratrum minorum.

Incipit autem: *Omnia Domine Jeſu teſte Sapientia numero & menſura & pondere diſpoſuiſti &c.*

Fol. 18. ejuſdem PECKAMI *Apologia Pauperum adverſus calumniatorem.* Hoc opuſculum exſtare manuſcriptum etiam in *Bibliotheca S. Victoris Pariſienſis lit.* CC. 17. ſcribit Cave loco ſupra citato.

Fol. 69. *Articuli* FRATRIS GUILLELMI DE MARA, ſive ut habet Oudinus tomo. III. pag. 619. *Correctorium operum Fratris Thomæ Aquinatis, quod* GUILLELMUS de MARA *edidit anno circiter* 1290.

CODEX CCXLVIII. *f.* IV. 32.

Membranaceus, conſtans foliis 122. ſæculi XIII. in quo *Conſtitutiones, ſive Regula S.* BENEDICTI. Præmittitur prologus, cujus initium: *Auſcultа o fili precepta Magiſtri. & inclina aurem cordis tui &c.*

Fol. 35. MARTYROLOGIUM ROMANUM, quod a Vigilia NATALIS DOMINI exorditur, & in quo dies numerantur per Kalendas, & Idus. Incipit:

Nono Kal. Januarii Vigilia Natalis Domini. apud Antiochiam Syrie Natale Sanctarum Virginum quadraginta que ſub Deciana perſecutione per diverſa tormenta martirium conſumaverunt.

Apud Spoletum Civitatem Tuſcie S. Gregorii Presbiteri & Martiris temporibus Diocletiani & Maximini Imperatorum. qui primo fuſtibus nodoſis ceſus eſt. ac deinde poſt craticulam, & carcerem. cardis ferreis ingentibus percuſſus. & ardentibus lampadibus per latera incenſus. tandem decollatus eſt. Civitate Tripoli S. Luciani.

VIII. Kal. Januari JESUS CRISTUS FILIUS DEI &c.

Digitized by Google

CODEX CCXLIX. *f.* IV. 33.

Membranaceus, foliis conſtans 52. ſæculi XIV. in quo *Conſtitutiones Ordinis Fratrum Prædicatorum*, quarum initium: *Quoniam ex precepto Regule jubemur habere cor unum &c.*

Has ſequitur alia peculiaris Conſtitutio edita anno 1338. qua inter cetera cavetur, ne Fratres ſummum Pontificem verbis laceſſere audeant. Incipit: *Quicumque Frater in publica predicatione vel communi locutione coram multitudine ſecularium ſummum Pontificem &c.*

Item alia ſancita in *Conventu Generali* Florentiæ habito autoritate Gregorii Papæ XI. de *Capitulis Biennalibus*, ſeu *Triennalibus* ab *Ordinis Magiſtro Generali* indicendis.

CODEX CCL. *f.* V. 2.

Membranaceus, conſtans foliis 307. ſæculi XIV. in quo Decretalium libri V. cum *Gloſſa*.

CODEX CCLI. *f.* V. 3.

Membranaceus, habens folia 225. ſæculi XIV. in quo pariter Decretalium libri V. *cum apparatu* Innocentii IV. ad quorum calcem hæc habentur:

Explicit Apparatus Innocentii IV.

CODEX CCLII. *f.* V. 4.

Membranaceus, conſtans foliis 134. ſæculi XIV. in quo *Decretales* Gregorii Papæ cum *Gloſſa*.

CODEX CCLIII. *f.* V. 5.

Membranaceus, cui folia 244. ſæculi XIV. Eaſdem continet *Decretales* Gregorii Papæ, cum *Gloſſa*.

CODEX CCLIV. *f.* V. 6.

Membranaceus, conſtans foliis 277. ſæculi XIV. in quo primum Decretalium libri quinque cum *Gloſſa*.

Fol. 259. Innocentii *conſtitutiones novæ*, itidem cum *Gloſſa*.

Fol. 286. *Conſtitutiones* Gregorii Papæ IX. in Concilio Lugdunenſi editæ.

CODEX CCLV. *f.* V. 7.

Membranaceus, conſtans foliis 321. ſæculi XIV. in quo primum Decretalium *libri* cum *Gloſſa*. Deinde

Fol. 297. Johannis Andreæ de *Gradibus conſanguinitatis commentariolum*, addita *arbore* vario colore depicta. Tum

Fol. 299. *Conſtitutiones novæ* Innocentii IV. *de Reſcriptis*, cum adnotationibus in margine recentioris manus. Denique

Fol. 313. *Conſtitutiones novæ* Gregorii Papæ cum adnotationibus in margine.

CODEX CCLVI. *f.* V. 8.

Membranaceus, foliis conſtans 134. ſæculi XIV. in quo primum liber ſextus Decretalium.

Fol. autem 101. *Conſtitutiones novæ* Innocentii IV. ad quarum calcem legitur:

Datum Lugduni Kal. novembris Pontificatus noſtri anno III. & Domini MCCLXXIV.

CODEX CCLVII. *f.* V. 9.

Membranaceus, conſtans foliis 105. ſæculi XIV. variis ornatus picturis, continet librum ſextum Decretalium, cum apparatu Johannis Andreæ, ut ſcriptum eſt in fine Codicis.

Explicit Apparatus Domini Johannis Andree ſuper ſextum Decretalium librum.

CO-

Digitized by Google

CODEX CCLVIII. *f.* V. 10.

Membranaceus, habens folia 245. ſæculi XIV. ſtemmate *Ruveriano* inſignitus, continet INNOCENTII PAPÆ IV. commentarium in quinque libros DECRETALIUM.

CODEX CCLIX. *f.* V. 11.

Membranaceus, conſtans foliis 134. ſæculi XIV. in quo BARTHOLOMÆI BRIXIENSIS *Caſus Decretorum*. Sic vero incipiunt.

Quoniam ſuffragantibus antiquorum laboribus juniores poſſunt interdum perſpicācius intueri. & quia per continuum exercitium Scientia recipit incrementum. & ſemper in melius reſloreſcit. Idcirco ego Bartholomeus Brixienſis inter ſtudentes Bononie minimus Caſus Decretorum quondam a Benencaſa compoſitos pro modulo ſcientie mee duxi in melius reformandos &c.

Taurinenſem codicem ignoravit Dupinius, cum ſcripſit tomo X. pag. 78. *Caſus Decretorum Bartholomæi Brixienſis* una cum ceteris ejus operibus periiſſe.

Animadverſiones autem, caſtigationes, & additiones, quas a ſe factas memorat *Brixienſis*, putat Panzirolius loco alias citato pag. 324. ſpectaviſſe ad *Gloſſas* JOHANNIS TEUTONICI.

Floruit *Bartholomæus Brixienſis*, ſi Dupinio credimus, anno 1240. ſin vero Panzirolio, anno 1256. Albertus autem Fabricius in *Bibliotheca Mediæ, & Infimę Latinitatis* ſcribit, eum obiiſſe anno 1250. ætatis 84.

Fol. 134. *pag.* 24. eſt *Summarium*, ſive *Repertorium libri Decretorum*, quod incipit: *Liber Decretorum diſtinctus eſt in duas partes &c.*

Autorem hujus *Repertorii* ſtatuunt laudati modo ſcriptores *Dupinius*, & *Panzirolius* eundem BARTHOLOMÆUM BRIXIENSEM: fruſtra autem ajunt, illud nullibi exſtare.

Initio codicis præfigitur ſtemma *Cardinalis a Ruvere*. In fine autem hæc poſtea adjecta fuerunt:

Emi hunc librum anno Domini MCCCC. die XXI. menſis Novembris a Moyſi Judeo pro VIII. florenis.

Legere eſt Albertum Fabricium, qui in *Bibliotheca Mediæ, & Infimæ Latinitatis* tradit, multa adhuc opuſcula MSS. *Bartholomæi Brixienſis* adſervari in Bibliothecis; quod teſtati ſunt etiam Oudinus tom. III. pag. 92. & Hendreichius pag. 436.

CODEX CCLX. *f.* V. 12.

Membranaceus, conſtans foliis 100. ſæculi XIV. in quo MAGISTRI GOFREDI DE TRANO *ſumma Decretalium*. Adjecta eſt in fine tabula, ſeu index verborum.

CODEX CCLXI. *f.* V. 13.

Chartaceus, cui folia 529. ſæculi XV. eſt *Repertorium juris univerſi*, ordine alphabeti digeſtum.

In fine.

Iſtud Repertorium eſt mei Johannis a Porta. quod habui pro XVIII. florenis de anno Domini MCCCCLIII.

CODEX CCLXII. *f.* V. 14.

Chartaceus, conſtans foliis 327. ſæculi XV. in cujus fronte cernitur Stemma *Ruverianum*. Continet JOHANNIS DE BUTRIO *Commentarium in Decretales*, ad cujus calcem adjectus eſt *Diſcurſus de Feudis*.

CODEX CCLXIII. *f.* V. 15.

Chartaceus, conſtans foliis 90. ſæculi XV. in quo JACOBI de BELLOVISIO *Quæſtiones, ſive commentarius in Novellas Juſtiniani conſtitutiones*.

Aquenſem fuiſſe BELLOVISIUM, atque *Bononiæ, Peruſii, & Neapoli* docuiſſe, legimus apud citatum Panzirolium pag. 141.

CO

Digitized by Google

CODEX CCLXIV. *f.* V. 16.

Membranaceus, habens folia 229. ſæculi XV. in quo JOHANNIS ANDREÆ *Commentarius in libros Decretalium*.

In fine.

Explicit novella Domini Johannis Andree ſuper ſexto libro Decretalium. Deo Gratias.

CODEX CCLXV. *f.* V. 17.

Membranaceus, foliis conſtans 348. ſæculi XV. ſtemmate *Cardinalis a Ruvere*, & iconibus auro, varioque colore depictis paſſim ornatus, in quo *Commentarius in univerſum Decretum* GUIDONIS de BAYSIO *Archidiaconi Bononienſis*.

In fine legitur.

Explicit Lectura Domini Guidonis de Bayſio Archidiaconi Bononienſis ſuper Decreto.

CODEX CCLXVI. *f.* V. 18.

Chartaceus, conſtans foliis 361. ſæculi XIV. in quo ſuperius memorati Archidiaconi Bononienſis *Commentarius in libros Decretalium*.

In fine exſtat exemplar literarum BONIFACII PAPÆ IX. ad *Epiſcopum Papienſem Guillielmum Centuaria*, quibus *Jacobinum* filium nobilis Viri *Juliani de Lucullo Canonicum*, & *Archidiaconum Eccleſiæ Papienſis* inſtituit, loco *Jolandini de Gandillo*, qui e vivis exceſſerat. *Dat. Rome X. Kal. aprilis Pontificatus anno nono*: qui fuit humanæ Reparationis MCCCXCIX.

CODEX CCLXVII. *f.* V. 19.

Chartaceus, conſtans foliis 339. ſæculi XVI. in quo Commentarius in *Libros Decretalium*, ſine autoris nomine.

CODEX CCLXVIII. *f.* V. 20.

Membranaceus, conſtans foliis 246. ſæculi XIV. in quo JOHANNIS ANDREÆ *Commentarius in libros Decretalium*.

Codex mutilus principio, & ad cujus calcem hæc habentur:

Explicit Novella Domini Johannis Andree ſuper quinque libris Decretalium. Egidius Bononienſis.

CODEX CCLXIX. *f.* V. 21.

Membranaceus, conſtans foliis 87. ſæculi XIV. in quo primum JOHANNIS DE DEO *liber Judicum*, ſive, ut habet Albertus Fabricius tom. II. *Bibliothecæ Mediæ, & Infimæ Latinitatis* pag. 60. *ſumma Judicum*.

Quis fuerit *Johannes de Deo*, indicat apertiſſime titulus operi præfixus: *Ad honorem ſumme Trinitatis, & individue unitatis P. & F. & S. S. incipit liber Judicum a magiſtro Johanne de Deo Hiſpano compilatus. qui per quatuor libros & Viginti titulos eſt diſtinctus. Primus liber de Judicibus. Secundus de Actoribus. Tertius de Reis, & eorum defenſione. Quartus de communibus perſonis. de Advocatis. & Yconomis.*

Meminit hujuſce operis Panzirolius pag. 122., meminit & Dupinius tom. X. pag. 79. ubi plura JOHANNIS DE DEO recenſens opuſcula, ſingula inedita eſſe ſcribit, & nonnulla, dubium omnino eſſe, an MSS. in Bibliothecis adhuc ſerventur.

Fol. 36. *Compendium ad omnes materias in Jure Civili, ſive repertorium Juris Civilis*, autore *Anonymo*.

Fol. 44. ALBERTI GALIOTI *Summula Queſtionum*.

Ex proœmio operis diſcimus, *Albertum Galiotum* Parmenſem fuiſſe, & in Academia Mutinenſi docuiſſe: ex Panzirolio autem pag. 127. ſæculo XIII. floruiſſe.

Fol. 62. ejuſdem GALIOTI *Tractatus de Pignoribus*.

Ignoravit hoc *Galioti*, ſive *Galeotti* opuſ-

Digitized by Google

opuſculum Albertus Fabricius, qui tamen cetera ejus opera recenſet Tomo I. pag. 120. *Bibliothecæ Mediæ, & Infimæ Latinitatis*.

Fol. 65. Tractatus de *Statutis Civitatum Nobilium*, abſque autoris nomine.

Fol. 76. BONAGUIDA ARETINI *Summa*, ſive Tractatus *de Patronorum muneribus* in quinque partes diſpertitus.

Altum quoque eſt ſilentium hoc de opuſculo apud Albertum Fabricium citato Tomo I. pag. 690.

CODEX CCLXX. *f.* V. 22.

Chartaceus, conſtans foliis 287. ſæculi XIII. in quo JOHANNIS DE DEO *Queſtiones Canonice*.

Sub finem hæc leguntur.

Explicit liber Queſtionum magiſtri Johannis de Deo ad honorem Sanctiſſime Trinitatis. & ad utilitatem ſtudentium in Jure Canonico & Civili univerſali & particulari ſub anno Domini 1248. *continens centum, & unam queſtiones principales. & quamplures incidentes &c.*

Sequitur Quæſtionum index, ad cujus finem: *Ad honorem Chriſti Domini &c. Gerardus de Palietino*.

Præfigitur initio ſtemma *Cardinalis a Ruvere*, & prima initialis litera auro picta eſt elegantiſſime.

CODEX CCLXXI. *f.* V. 23.

Chartaceus, conſtans foliis 255. ſæculi XV. in quo MARTINI LAUDENSIS *Tractatus de Jure Fiſci*.

Fol. 72. ejuſdem *Tractatus de Feudis*.

Fol. 242. Tractatus *de Queſtione*, ſeu *de Tormentis*, tacito autoris nomine.

CODEX CCLXXII. *f.* VI. 1.

Membranaceus, conſtans foliis 321. ſæculi XIV. continet *Decretum* GRATIANI cum *Gloſſa*, & adnotationibus in margine.

CODEX CCLXXIII. *f.* VI. 2.

Membranaceus, habens folia 41. ſæculi XV. in quo CLEMENTIS PAPÆ V. *Conſtitutiones in Concilio Viennenſi editæ*, cum *Gloſſa*.

Præfigitur imago Pontificis ſedentis, adſtantibus Cardinalibus, Epiſcopis, atque doctoribus. Literæ initiales imagunculis affabre pictis effictæ ſunt.

CODEX CCLXXIV. *f.* VI. 3.

Chartaceus, conſtans foliis 240. ſæculi XV. ſtemmate *Cardinalis a Ruvere* ornatus, in quo DOMITIANI DE SANCTO GEMINIANO *Recollectæ in Decretales, & ſextum Decretalium*.

In fine.

Expliciunt Recollecte compoſite per famoſiſſimum Decretorum Doctorem Dominum Domitianum de S. Geminiano. quas legit in ſtudio Bononienſi. que ſcripte fuerunt anno Domini 1423. *die* 2. *menſis Decembris. Scripſit Villhelmus de Alamania*.

CODEX CCLXXV. *f.* VI. 4.

Chartaceus, conſtans foliis 303. ſæculi XV. literis aureis initialibus conſpicuus, ubi iterum DOMITIANI DE SANCTO GEMINIANO *Recollectæ* in *Sextum Decretalium*.

Ex ſtemmate, quod initio Codicis appictum eſt, pertinuiſſe videtur ad *Cardinalem a Ruvere*.

CODEX CCLXXVI. *f.* VI. 5.

Membranaceus, conſtans foliis 214. ſæculi XIV. in quo HOSTIENSIS *liber primus Decretalium*. Et hic pictum cernitur ſtemma *Cardinalis a Ruvere*.

In fine legitur.

Explicit liber primus Domini Hoſtienſis.

CODEX CCLXXVII. *f.* VI. 6.

Membranaceus, folia habens 220. ſæculi XIV. imagunculis non inconcinne

Digitized by Google

cinne depictis ubique ornatus, non secus, ac antecedens, in quo HOSTIENSIS *liber secundus Decretalium*.

CODEX CCLXXVIII. *f.* VI. 7.

Membranaceus, constans foliis 321. sæculi XV. in quo FRANCISCI ZABARELLÆ *Lectura super Clementinas*, ad cujus calcem hæc scripta leguntur.

Ad laudem Individue Trinitatis Amen. 1417. Johannes de Polonia 27. Martii.

Et infra.

Explicit Lectura eximii Doctoris Francisci de Zabarellis super Clementinas scripta per me Johannem de Polonia in civitate Padue.

CODEX CCLXXIX. *f.* VI. 8.

Membranaceus, foliis constans 40. sæculi XV. in quo primam GUILLELMI DE MAIRO, sive DE MANDAGOTO *Archidiaconi Nemausensis apparatus super libello Electionum;* in cujus fine legitur.

Explicit Decretum Electionis Domini Guillelmi de Mandagoto.

Fol. 24. *Est Ordo Judiciarius*, autore ÆGIDIO *Decretorum Doctore*.

CODEX CCLXXX. *f.* VI. 9.

Chartaceus, constans foliis 223. sæculi XIV. in quo JOHANNIS DE MONTE LANDUNO *Apparatus super Extravagantibus Johannis XXII.*

In fine.

Die 27. mensis Septembris hora XII. anno MCCCLXXXXVII. Ego Jacobus de Bassis de Valentia predictum opus finii & scripsi. Explicit Apparatus Johannis de Monte Landuno super Extravagantibus Domini Johannis PP. XXII.

CODEX CCLXXXI. *f.* VI. 10.

Membranaceus, constans foliis 293. sæculi XIV. in quo *Summa*, sive *Directorium Juris in foro conscientie & judiciali composita a* FRATRE PETRO QUESNEL *de Ordine Fratrum Minorum*.

In Bibliothecis tantum *Vaticana*, & *Colbertina* hunc librum MS. adservari scripsit Dupinius tomo XI. pag. 85. nunc addi potest, & *Taurinensi*: tum ex Wadingo pag. 288. in *Toletana Franciscanorum;* & ex Oudino tom. III. pag. 1168. in pluribus aliis Bibliothecis.

In fine hæc adnotantur.

Iste liber est concessus Fratri Percevallo de Vigono Ordinis Fratrum Minorum Provincie Januensis. & Custodie Pedemontis. qui frater Percevallus fecit scribi dum Pisis studuit MCCCXLIIII.

CODEX CCLXXXII. *f.* VI. 12.

Membranaceus, folia habens 130. sæculi XIV. in quo ABBATIS DE MONTEMIRATO *Lectura libri primi & secundi Decretalium*, præfixo stemmate *Cardinalis a Ruvere*.

CODEX CCLXXXIII. *f.* VI. 13.

Membranaceus, constans foliis 237. sæculi XV. cum stemmate *Cardinalis a Ruvere*. Est ABBATIS PANORMITANI *Commentarius in librum primum Decretalium*.

Exstat initio egregie picta FELICIS V. PAPÆ effigies, Cardinalibus magno numero adstantibus, Codicem Decretalium ab *Abbate Panormitano*, sive *Nicolao Tudesco* accipientis.

CODEX CCLXXXIV. *f.* VI. 14.

Chartaceus, constans foliis 368. sæculi XV. stemmate itidem ornatus *Ruveriano*, in quo PANORMITANI *in secundum librum Decretalium Commentarii pars I.*

In fine hæc leguntur.

Lectura Abbatis Nicolai de Moniacis. Finit Panormi. quem post cognomen adornat

Lu-

Digitized by Google

Luſtrator canonum. Legum ſpeculator in omni
More erat inſignis. magno hinc & honore potitus.
Bernardus Fabri ſcripſit currentibus annis
Mille quadrigentiſque duobus terque viginti
Pro domino Johanne cognomento de Ceretanis Auditore Rote. Deus hunc ſublimet ad aſtra.

CODEX CCLXXXV. *f.* VI. 15.

Chartaceus, ſæculi XV. habet folia 280. in quo ejuſdem PANORMITANI *Commentarius in librum ſecundum Decretalium*. Et hunc pertinuiſſe ad *Cardinalem a Ruvere*, docet ejus ſtemma fronti Codicis præfixum.

CODEX CCLXXXVI. *f.* VI. 16.

Chartaceus, habens folia 240. ſæculi XV. *Ruveriano* pariter ſtemmate ornatus, in quo PANORMITANI *in ſecundum Decretalium Commentarii* Pars III.

In fine.
Explicit III. pars Lecture ſuper II. Libro Decretalium egregii famoſiſſinique Doctoris Domini Nicolai de Cicilia Abbatis.

CODEX CCLXXXVII. *f.* VI. 17.

Chartaceus, habens folia 231. ſæculi XV. cujus initio pictum cernitur ſtemma *Ruverianum*. Continet PANORMITANI *Commentarium ſuper Libro I. Decretalium*.

In fine:
Bernardus Fabri ſcripſit currentibus annis Mille quadringentis juncto uno terque viginti.

CODEX CCLXXXVIII. *f.* VI. 18.

Chartaceus, conſtans foliis 207. ſæculi XV. in quo PANORMITANI *ſuper II. Decretalium Commentarii pars II.* Præfixum & huic codici eſt *Ruverianum* ſtemma.

In fine hæc adnotantur.
Et ſic finis Lecture Abbatis de probationibus. Sequitur principium ejuſdem Abbatis de exceptionibus. & ſic ſcripta per me Bernardum Mathei de Pagetino Januenſem ad honorem & utilitatem ementium. feliciter explicit.

CODEX CCLXXXIX. *f.* VI. 19.

Chartaceus, habens folia 373. ſtemmate pariter inſignitus *Ruveriano*, in quo PARNOMITANI *Commentarius in librum III. Decretalium*.

In fine hæc ſcripta ſunt.
Explicit Lectura Domini Abbatis ſuper III. Decretalium. ſcripta per me Raynerium Bremer Clericum Mindenſis Dioeceſis in domo Reverendiſſimi Patris Johannis de Ceretanis Archidiaconi in Eccleſia Burdegalenſi Domini noſtri Pape Capellani & Auditoris de anno Domini 1464. die veneris prima Junii.

CODEX CCXC. *f.* VI. 20.

Chartaceus, conſtans foliis 308. ſæculi XV. in quo PANORMITANI *Commentarius in IV. & V. Librum Decretalium*, præfixo ſtemmate *Cardinalis a Ruvere*.

In fine legitur.
Explicit Lectura Domini Abbatis de Cicilia ſuper quinto Decretalium.

CODEX CCXCI. *f.* VI. 21.

Chartaceus, conſtans foliis 72. ſæculi XV. in quo PANORMITANI *Lectura ſuper Clementinis*.

CODEX CCXCII. *f.* VI. 22.

Chartaceus, habens folia 167. ſæculi XV. eſt *Repertorium quæſtionum* ad Jus Canonicum ſpectantium alphabeti ordine diſpoſitum.

Digitized by Google

In ſummitate primi folii hæc legitur inſcriptio: BALDUS *ſuper Innocentio VI. in Italia Margarita.*

Ad calcem vero codicis hæc habentur:

Explicit Repertorium Baldi ſuper Innocentio. Scriptum per me Gratum Marzuti Civem Civitatis Auguſtenſis anno Domini MCCCCLVII. die Quindennia Maii.

CODEX CCXCIII. *f.* VI. 23.

Chartaceus, conſtans foliis 98. ſæculi XV. multa continet opuſcula.

Fol. 1. *Sacramentale* GUILLELMI de MONTE LANDUNO.

Similem MS. codicem reperiri in *Bibliotheca Colbertina* n. CCCXXXXIX. ſcribit Dupinius tomo XI. pag. 74. Multa præterea de hoc *Guillelmi libro* habet Baluzius ad *Petri de Marca concordiam*, & Oudinus tomo III. *pag.* 966.

Fol 59. BARTOLI de SAXOFERRATO Tractatum, qui inſcribitur *Minoritarum.*

Ad ejus calcem hæc habentur.

Explicit tractatus Minoritarum per dominum Bartolum de Saxoferrato Civem Peruſinum Legum Doctorem eximium. ſcriptum per me Reynerium Nicolai.

Fol. 73. eſt *Tractatus de bello* JOHANNIS de LIGNANO de MEDIOLANO.

Clariſſima hujus Scriptoris exſtat memoria in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanenſium* tomo II. parte I. pag. 75. ubi ex codice, qui ſervari dicitur in *Bibliotheca Colbertina n.* DCCCCLXXVIII. manifeſtum fit, JOHANNEM DE LIGNANO ſuum de bello Tractatum compleviſſe anno 1360. Hæc enim in citato Codice *Colbertino* verba leguntur.

Explicit Tractatus de Bello editus & compilatus per me Johannem de Lignano minimum utriuſque juris doctorem in ſtudio Bononie anno 1360.

Editus vero fuit *Mediolani* typis *Fratrum de Lignano* anno 1515.

CODEX CCXCIV. *b.* I. 1.

Membranaceus, nitidiſſimo, elegantiſſimoque exaratus charactere, & aureis paſſim literis, multiſque, præſertim vero fol. 7. ornamentis inſignitus, ſæculi XV. foliis conſtat 203. Habentur in eo

Fol. 1. TITI POMPONII ATTICI *vita ex Cornelio Nepote.*

Fol. 7. MARCI TULLII CICERONIS *Epiſtolarum ad Brutum liber ſingularis.*

Fol. 17. Sequuntur epiſtolæ ad *Quintum Fratrem*, & hæ non in tres diſtinctæ libros, ut in editione, ſed in binos, duobus prioribus in unum redactis.

Porro autem maximam tranſpoſitionem obſervare contigit in epiſtolis, quæ ſecundum locum occupant in editione. Nonnullæ enim diverſimode deſinunt in codice, alterius ſcilicet epiſtolæ verbis; quod quo fato acciderit, plane ignoramus.

Fol. 40. *pag.* 2. Epiſtola ſingularis ad *Octavianum*, quam tamen multi abjudicant *Ciceroni.*

Fol. 42. *Epiſtolarum ad Atticum libri XVI.*

CODEX CCXCV. *b.* I. 3.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 174. optimæ lectionis, ſæculi XV. Continet epiſtolas LUCII ANNÆI SENECÆ abſque ulla epigraphe, ad quarum calcem ſequens epitaphium legitur.

Cura. labor. meritum. ſumpti pro munere honores
Ite. alias poſt hanc ſollicitate animas.
Me procul a vobis Deus evocat. illicet actis
Rebus terrenis hoſpita terra vale.
Corpus avara tamen ſolemnibus accipe ſaxis
Namque animam celo reddimus. oſſa tibi.

Initio autem hæc habentur.

Re-

Digitized by Google

Reverendus Dominus Petrus Antonius Boſius Canonicus Vintimillienſis mihi Matheo Franco prepoſito Brige volumen iſtud Epiſtolarum Senece Philoſophi III. Idus Maii anni 1477. *dono dedit quod ſane lubentiſſimo animo ſuſcepi.*

CODEX CCXCVI. *b.* I. 4.

Membranaceus, ſæculi XV. foliis conſtans 339. & ſtemmate *Cardinalis a Ruvere*, aliisque ornamentis initio conſpicuus, in quo FRANCISCI PHILELPHI *Epiſtolarum libri XVI. priores.*

In fine.

Divo Ferdinando Regi Aragonio Joannes Rainaldus Mennius 1488. *quod bene vertat exſcripſit.*

CODEX CCXCVII. *b.* I 6.

Membranaceus, ſæculi XV. nitidiſſimi characteris, literiſque initialibus auro obductis ornatus, conſtat foliis 138. Venuſtiſſimum in prima pagella conſpicitur ornamentum, ubi dextrorſum *Hadriani* effigies cum epigraphe *Hadrianus Auguſtus*, & *Plinii* purpurea induti toga, librumque manibus verſantis exhibetur. Inferius autem viri alicujus perilluſtris ſtemma ſubjicitur.

Sunt in eo PLINII SECUNDI *Veronenſis epiſtolæ*, demto libro X. in quo nimirum continentur epiſtolæ ad *Trajanum*, & *Trajani* ad *Plinium*.

Ad illarum ordinem quod ſpectat, octavus liber noni, & nonus octavi locum occupat, ut in antiquis quibuſdam editionibus factum eſt. Aliquot præterea in duobus poſterioribus libris deſiderantur epiſtolæ.

CODEX CCXCVIII. *b.* II. 1.

Chartaceus, ſæculi XV. habens folia 370. in quo *Tractatus de tyrannide Domini* BARTOLI *una cum repertorio juris Domini* LUDOVICI DE CORTESIIS.

CODEX CCXCIX. *b.* II. 2.

Chartaceus, ſæculi XV. cui folia 293. Eſt Collectio *Deciſionum Rotæ*, præmiſſa compendioſa ſub certis capitibus tractatione rerum memorabilium, quæ in iis continentur.

Ad calcem totius codicis hæc habentur.

Petrus de Sancto Georgio Divi Felicis Pape Quinti & ipſius literarum Apoſtolicarum ſcriptor & abbreviator ſcribi fecit & pro majori parte etiam ſcripſit preſentes deciſiones Rote.

CODEX CCC. *b.* II. 3.

Chartaceus, ſæculi XV. conſtans foliis 227. in quo

Fol. 1. *Incipit lectura famoſiſſimi juris utriuſque monarche Domini* JACOBINI DE SANCTO GEORGIO *juris Ceſarei ordinariam legentis in felici Gymnaſio Taurinenſi in libellum Feudorum inchoata anno currenti* 1487. 17. *Januarii in feſto ſancti Antonii.*

Fol. 177. Ejuſdem *tractatus de homagiis*, ſed alio ſcriptus charactere, ad cujus calcem:

Expliçit hic tractatus homagiorum, confederationum, & feudorum per vas legum & practice facetum quondam lectorem Dominum Jacobinum Michelonis de Sancto Georgio, qui in ſtudio Taurinenſi obiit XVII. Octobris 1494. *fatigatus tedio quartane duplicis, qui per plures dies animum agebat, ſed exitum ejus invenire non poterat.*

CODEX CCCI. *b.* III. 4.

Chartaceus, ſæculi XV. cui folia 189. Habetur in eo JOANNIS PETRI DE FERRARIIS *Practica Papienſis*, addito *repertorio ſuper eandem.*

CODEX CCCII. *b.* III. 10.

Chartaceus, ſæculi XV. habens folia 384. in quo Commentarii in tres

Digitized by Google

priores *Digeſtorum* libros, ſine autoris nomine.

CODEX CCCIII. *h.* III. 2.

Chartaceus, ſæculi XV. conſtans foliis 292. Sunt in eo *Lectiones habitæ anno* 1484. *per Dominum* JACOBUM DE SANCTO GEORGIO *in Taurinenſi Academia*.

CODEX CCCIV. *h.* III. 12.

Chartaceus, folia habens 422. circa finem ſæculi XV. deficiens tam initio, quam in fine, continet commentarios in priores *Digeſtorum* libros ANGELI DE PERUSIO.

CODEX CCCV. *h.* III. 14.

Chartaceus, ſæculi XV. conſtans foliis 203. mutilus initio, & fine, commentarios exhibet in IV. *Codicis* librum, ignoti autoris.

CODEX CCCVI. *h.* III. 15.

Chartaceus, ſæculi XV. habens folia 151. in quo

I. Commentarii in quoſdam libri ſecundi *Codicis* titulos, ſine autoris nomine.

II. *Fol.* 105. *Tractatus Domini* BARTOLI *de alluvionibus, fluminibus, & menſuris*.

Tandem *fol.* 128. Sequuntur *diſputationes*, & *repetitiones legum*, atque excerpta nonnulla parvi momenti.

CODEX CCCVII. *h.* III. 16.

Chartaceus, conſtans foliis 147. ſæculi XVI. ineuntis, in quo

Lectura Domini THOME PARPALIE *in Gymnaſio Taurinenſi legentis in ſecundam ff. novi*, in titulum nempe *de verborum obligationibus*.

Meminit *Thomæ Parpaliæ*, ejuſque operum Roſſottus in *ſyllabo Scriptorum Pedemontii* pag. 541.

CODEX CCCVIII *h.* III. 17.

Chartaceus, foliis conſtans 123. ſæculi XVI. continet ejuſdem PARPALIÆ *lectiones in primum Codicis librum*, habitas itidem in Gymnaſio Taurinenſi. Et quidem

Fol. 1. *Expoſitio legis Cunctos populos de Summa Trinitate*; ad cujus calcem:

Hìc finit lex Cunctos populos. de Summa Trinitate & Fide Catholica per ſpectabilem & generoſum juris utriuſque Doctorem Thomam Parpalia ex Dominis Reviglaſci notabiliter & luculentiſſime lecta & per me Albertum de Pallidio ut poſſibile fuit ſcripta anno Domini 1503. *die* 8. *Junii*.

Fol. 15. Ejuſdem *Expoſitio in titulum de Sacroſanctis Eccleſiis*.

CODEX CCCIX. *h.* III. 18.

Chartaceus, habens folia 143. in quo

Ejuſdem PARPALIÆ *lectiones in librum VI. Codicis* anno 1508. ut initio adnotatum reperimus.

CODEX CCCX. *h.* III. 19.

Chartaceus, foliis conſtans 132. ſæculi XVI. tineis, blattiſque parumper corroſus, perbreves amplectitur animadverſiones ejuſdem PARPALIÆ in *Codicis*, & *Digeſtorum* libros, quas Roſſottus in recenſione ejus operum prætermiſit.

CODEX CCCXI. *h.* III. 20.

Chartaceus, conſtans foliis 190. in quo

Rubrica in titulo de legatis primo inchoata die 24. *Octobris* 1508. ejuſdem THOMÆ PARPALIÆ.

CO-

Digitized by Google

CODEX CCCXII. *b.* III. 21.

Chartaceus, conſtans foliis 338. ſæculi XV. Habentur in eo *Lectiones ſuper varios Digeſtorum, & Codicis titulos per* JOHANNEM DE MONTE BARUCHIO, rudi admodum calamo ſcriptas.

De hoc juris interprete nihil ſcriptum invenimus neque apud Panzirolium, neque apud Roſſottum, neque apud Albertum Fabricium.

Ceterum Anteceſſoris munus eum in *Taurinenſi Academia* obiiſſe, colligitur haud obſcure ex *fol.* 162. *pag.* 2. ubi hæc leguntur: *Doctor ſubtiliſſimus Johannes de Monte Baruchio hunc finivit titulum ante vacationes reſurrectionis Chriſti una cum titulo Quibus ex cauſis in forma habetur &c. Et Johannes Dumpnerii ejus diſcipulus has ſub eo de mane ſcripſit Recollectas*: tum ex fol. ſequenti 163. *Et ego Johannes Dumpnerii has ſub ſupradicto Domino de Monte Baruchio ſcripſi recollectas de anno Domini MIIII.c XLIII.* mittuntur de civili ſapientia, mutila principio.

Fol. 2. *Franciſci Petrarce Laureati brevis collatio, quam fecit coram Rege Ungarie miſſus pro legato a Civitate Venetorum*. Exſtat in editione ejus operum Baſileenſi ann. 1581. pag. 1129. rejecta tamen inter opera falſo ei adſcripta.

Fol. 4. *pag.* 2. *Arenga que fieri poſſet ſuper interitu regiminis alicujus potentis*, prætermiſſo autoris nomine.

Fol. 9. *Sermo compilatus & recitatus per egregium juris utriuſque doctorem Dominum* FRANCISCUM GASTAUDI DE BOVISIO *in exitu officii ejus judicature loci Cherii tempore Vicariatus ſpectabilis Amedei de Faleto de Villa Domini ipſius loci Ville.*

Fol. 17. Tractatus de *verborum obligationibus*, ignoti autoris.

CODEX CCCXIII. *b.* III. 22.

Chartaceus, habens folia 377. ſæculi XV. Sequuntur ejuſdem JOHANNIS DE MONTE BARUCHIO prælectiones aliæ tum in *Codicis*, tum in *Digeſtorum* libros.

CODEX CCCXIV. *b.* III. 23.

Chartaceus, ſæculi XV. folia habens 434. Eſt pars altera prælectionum JOHANNIS DE MONTE BARUCHIO.

CODEX CCCXV. *b.* III. 24.

Chartaceus, conſtans pagellis 669. ſæculi XVI. Varias exhibet legum expoſitiones ex ALCIATI operibus ſumtas abſque ullo ordine.

CODEX CCCXVI. *b.* III. 28.

Chartaceus, habens folia 261. ſæculi XVI. in quo pauca quædam præ-

CODEX CCCXVII. *b.* III. 29.

Chartaceus, conſtans foliis 245. ſæculi XVI. in quo Tractatus alter de *verborum obligationibus*, ignoti pariter autoris.

CODEX CCCXVIII. *b.* III. 30.

Chartaceus, ſæculi XVI. folia habens 276. Continet primo varias *inſtrumentorum*, *procurationum*, atque ſimilium formulas.

Fol. autem 107. Habentur nonnulla de *diſpenſationibus* in matrimonii cauſſa, aliiſque ad *pœnitentiæ forum*, nec non *Curialia officia* ſpectantibus.

CODEX CCCXIX. *b.* III. 31.

Chartaceus, conſtans foliis 590. ſæculi XVI. Continet tractatum, & quidem initio mutilum, *Anonymi* ſcriptoris de *jure Principum*, in quo de *Principum Imperio*, & *poteſtate in ſubditos*, & *Vaſſallos*, tum de *bonis Regalibus*, *eorumque alienatione*, *de confederationibus*, aliiſque ſimilibus habetur ſermo.

CO-

Digitized by Google

CODEX CCCXX. *b.* IV. 1.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, ſæculi XV. cui folia 392. ac ſtemmate inſignitus *Cardinalis a Ruvere*.

Eſt totius juris *repertorium* alphabeti ordine digeſtum, autore ANTONIO DE GENTILIBUS, ut ex præfatione colligere potuimus, in qua inſtituti operis reddens rationem, ducta comparatione ab hiſtoria *Ruth*, hæc habet.

Sic ego pauperculus non habens copiam propriarum ſcripturarum nec originalem acervum agrum intravi boum qui interpretatur robur vel virtus robuſti in quo virtutis robur vigere conſuevit, & ibidem originalium ſpicas & diverſas utriuſque materias gloſarum & Doctorum & modernorum doctrinas & magis nota dignas variis diſperſas locis & libris non ſine magno labore & longo collegi. Conſideransque quod ſine modo & ordine erant & cum difficultate non modica poterant reperiri hic quam brevius potui quaſi in unum manipulum ex diverſis ſpicis collectum ſecundum ordinem alphabeti inſudando collegi ut ſicud a me ſic ab aliis ſimplicibus poſſint facilius reperiri ita ut cum alii meſſores venerint cum exultatione portantes manipulos ſuos ego Anthonius de Gentilibus legum Doctor miles & comes Civitatis Terdone civis hunc collectum poſt terga doctorum cum vidua offeram in donum gazophilacium &c.

De hoc legum doctore ne verbum quidem apud Panzirolium, & Fabricium.

CODEX CCCXXI. *b.* IV. 2.

Chartaceus, duplici exaratus columna, folia habens 324. ſæculi XV. eſt altera pars *repertorii* ANTONII DE GENTILIBUS.

CODEX CCCXXII. *b.* IV. 3.

Membranaceus, duplici exaratus columna, ſæculi XIV. finem verſus, optimæ notæ, & ſtemmate ornatus *Cardinalis a Ruvere*, conſtat foliis 329. *Lecturam* continet *ſuper codicem Domini* CYNI *Piſtorienſis*, celeberrimi Juriſconſulti, de quo multa Panzirolius de *claris legum interpretibus* pag. 143. & Nicolaus Comnenus Papadopoli in *Hiſtoria Gymnaſii Patavini* tom. II. pag. 8.

CODEX CCCXXIII. *b.* IV. 4.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, habens folia 316. ſæculi XV. cui titulus: *Incipit ſummarium novarum deciſionum Rote per Venerabilem circonſpectum virum Dominum* BERTRAND M DE ARNASSANO *utriuſque juris Doctorem Apoſtolici palatii cauſſarum auditorem collectum.*

CODEX CCCXXIV. *b.* IV. 5.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 309. ſæculi XV. in quo

Fol. 1. Tractatus de *verborum ſignificatione*, & de *regulis juris*, JOANNIS DE MASTICONE.

Fol. 221. *Repetitio regulæ juris* CLXX. *facta a* PETRO ANCHARANO *anno* 1400. *dum jus Pontificium publice doceret Bononiæ.*

Fol. 250. Literæ permultæ habentur ſcriptæ viris principibus a SIGISMUNDO *Imperatore*, ab AMEDEO VIII. *Sabaudiæ Duce*, a THEODORO *Montisferrati Marchione*, a FEDERICO *Imperatore*, & a ſummis Pontificibus. Earum titulos, quo poſitæ ſunt ordine, ſic habe.

1. *Tenor littere miſſe Duci Sabaudie per Imperatorem*, in qua nimirum Sigiſmundus Duci Sabaudiæ committit negotium *Michaelis Ebrodunenſis epiſcopi*, munere ſuo peſſime functi.

2. *Tenor littere miſſe Domino Caſſenaj gubernatori Delphinatus per Ducem Sabaudie*. Continentur in ea Amedei VIII. querelæ circa commercii pacta, quæ Delphinates violaſſe videbantur.

3. *Tenor littere miſſe Bajazeto Imperatori Turquorum per Ducem Sabaudie*. Ba-

Digitized by Google

jazetum rogat, ut libertati reſtituere velit *Humbertum* captivum ab eo factum in Nicopolitano prælio. Scripta dicitur anno 1394.

4. *Tenor diffidationis miſſe per marchionem Montisferrati Domino Principi Achaye*, cui adjecta ſubſcriptio: *Theodorus Marchio Montisferrati*.

5. *Tenor reſponſionis ad prefatam diffidacionem*.

6. *Tenor notificationis mortis Ducis Mediolani facte Duci Sabaudie pro tunc Comiti per filios dicti Ducis*.

7. *Tenor littere miſſe per Ducem Sabaudie pro tunc comitem ſuper negotio unionis Eccleſie*: dum vigeret nempe ſchiſma inter *Bonifacium* IX. & *Benedictum* XIII.

8. *Tenor litterarum miſſarum per Papam Romanorum alteri Pape*, Gregorii ſcilicet XII. ad *Benedictum* XIII.

9. *Tenor litterarum miſſarum per eumdem Papam omnibus Cardinalibus*.

10. *Tenor reſponſionis facte per Papam Benedictum*.

11. *Tenor litterarum miſſarum per Papam Benedictum Principibus*.

12. *Tenor mandamenti Capituli Generalis Sancti Anthonii ſecundum quem Abbas omnes preceptores convocat*.

13. *Tenor ſalvi conductus conceſſi per Ducem Sabaudie*.

14. *Tenor ſecundum quem Conſilium Ducis Sabaudie reſidens Chamberii ſcripſit eidem Principi*.

15. *Tenor litterarum miſſarum per Federicum Imperatorem Regi Caſtelle*.

16. Tenor aliarum litterarum miſſarum per eundem Imperatorem.

Fol. 256. Sequitur opuſculum *Anonymi* autoris; *Quomodo in crimine leſe majeſtatis procedatur*.

Fol. 257. *Lectura* BARTOLI *ſuper Extravagantem ad reprimendum*, & *ſuper aliam*, *Quoniam ad auditum*.

Fol. 281. De *jure Emphiteutico*, prætermiſſo autoris nomine.

Fol. 297. *Arengua Domini Franciſci filii condam Domini ac Doctoris legum coram Domino Papa pro Rege Anglie*. Incipit. *Congregati majores natu Iſrael venerunt ad Samuelem &c.*

Fol. 298. pag. 2. *Arenge a* PETRO DE VIVERO *ſuper variis & diverſis materiis compilate*.

CODEX CCCXXV. *b.* IV. 6.

Chartaceus, conſtans foliis 293. ſæculi XV. continet farraginem commentariorum in varios *Codicis* & *Digeſtorum* libros abſque ullo ordine.

CODEX CCCXXVI. *b.* IV. 7.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 218. ſæculi XV. Eſt JOANNIS PETRI FERRARII *Practica Papienſis*, principio mutila.

CODEX CCCXXVII. *b.* IV. 8.

Chartaceus, duplici exaratus columna, foliis conſtans 304. ſæculi XV. Habentur

Fol. 1. *Notabilia Domini* LUDOVICI PONTANI, *ſuper nonnullos titulos juris*, lecta ab eodem in *ſolemni Studio Senenſi annis* 1433. & ſequentibus, ut notatum reperimus fol. 38. pag. 2.

Fol. 51. Diſputationes variæ abſque ullo titulo.

Fol. 138. MARTINI GAZATI *Laudenſis liber de Principibus*.

Fol. 184. Ejuſdem opuſculum de *primogenitura*.

Fol. 191. Ejuſdem tractatus de *moneta*.

Fol. 196. Ejuſdem tractatus de *Cardinalibus*.

Fol. 203. Ejuſdem tractatus de *Canonizatione Sanctorum*.

Fol. 210. Ejuſdem opus de *Conſcientia*.

Fol. 211. Ejuſdem tractatus de *notis Bartoli*.

Porro tria hæc poſtrema opuſcula omiſſa fuerunt ab Alberto Fabricio.

Fol. 215. Tractatus de *vulgari*, *& pupillari ſubſtitutione*, tacito autoris nomine.

Fol.

Digitized by Google

Fol. 273. *Conſilia, & quæſtiones diſputatæ per Dominum* FREDERICVM DE SENIS.

CODEX CCCXXVIII. *b.* IV. 9.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, ſæculi XV. & in quo permultæ ſunt lacunæ, foliis conſtat 211. Nonnulla in eo leguntur *de ſucceſſionibus*, informia prorſus, & indigeſta.

CODEX CCCXXIX. *b.* IV. 10.

Chartaceus, duplici exaratus columna, folia habens 235. ſæculi XV. in quo

Fol. 1. *Repertorium ſuper jure Canonico, & Civili per Alphabetum editum per Elyam de Boſco presbyterum de Caſtro Lemonitarum oriundum.*

Fol. 169. *Regulæ ad faciliorem intelligentiam deciſionum Rotæ per Dominum* JOANNEM DE GRAXIS, quibus ſubjiciuntur ipſæ *Deciſiones*.

Ad calcem vero hæc habentur: *Expliciunt deciſiones Rote nove Romane Curie ſcripte pro reverendo Domino Johanne de Seyſello prothonotario Apoſtolico nec non alme univerſitatis Taurinenſis pro tunc gubernatore anno Domini* 1482. 27. *die menſis Julii in Pinerolio per me Petrum de Foſſa Cameracenſis dyoceſis.*

Fol. 317. *Ordo judiciarius* JOHANNIS VELLI *Varenenſis Epiſcopi, & juris utriuſque profeſſoris.*

CODEX CCCXXX. *b.* IV. 11.

Membranaceus, duplici exaratus columna, conſtans foliis 114. ſæculi XIV. paullulum in fine corroſus, lectiones complectitur GUILLELMI PANGONIS *in Collationes Juſtiniani, & tres ultimos codicis libros ſub caſuum forma.*

Fol. 36. Habetur collectio ſententiarum ad jus ſpectantium, quarum ſingulis ſubjiciuntur tituli *Codicis*, *Digeſti*, vel *Inſtitutionum*, quibus illæ confirmari poſſe videntur.

Fol. 91. *Quæſtiones Domini* MARTINI DE FANO *de jure Emphiteutico.*

Fol. 100. Variorum Quæſtiones diſputatæ.

CODEX CCCXXXI. *b.* IV. 12.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 241. ſæculi XV. ac ſtemmate inſignitus *Cardinalis a Ruvere*, in quo

Fol. 1. *Tractatus de feudis Domini* BALDI DE PERUSIO.

Fol. 128. Ejuſdem de *pace Conſtantiæ.*

Fol. 139. De *regulis juris*, ſine autoris nomine.

CODEX CCCXXXII. *b.* IV. 13.

Chartaceus, duplici exaratus columna, ſæculi XV. folia habet 204. Sunt in eo *commentarii in regulas juris* ignoti autoris, quos ſequuntur excerpta nonnulla ex jure Canonico de *auctoritate Papæ*, de *dignitatibus Eccleſiaſticis*, de *beneficiis &c.*

CODEX CCCXXXIII. *b.* IV. 14.

Chartaceus, duplici exaratus columna, cui folia 211. ſæculi XV. continet *totius juris ſpeculum*, alphabeti ordine digeſtum, autore BERENGARIO.

CODEX CCCXXXIV. *b.* IV. 15.

Chartaceus, duplici columna exaratus, foliis conſtans 289. ſæculi XV. in quo

Fol. 1. *Tractatus de actionibus*, in tres partes diviſus, ignoti autoris.

Fol. 213. *Incipit diverſorium a Domino* PETRO ANTIBOLI *juris perito de droit de diverſis ſcriptis tam ab aliis Juriſperitis quam a ſe compoſitis compilatum.*

CO-

Digitized by Google

CODEX CCCXXXV. *h.* IV. 16.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 206. ſæculi XV. in quo

Fol. 1. Conſilia, & reſponſiones variorum Doctorum.

Fol. 76. *Repetitio facta in Monte Peſſulano a Domino* PETRO BLAVI *in decretis Doctore in titul. de teſtibus.*

Fol. 78. *pag.* 2. *Tractatus de appellationibus*, cui præit hic titulus: *Venerabili Patri in Chriſto Domino Dei gratia ſancte Marie in Acquito Diacono Cardinali Cordiali H. de Caroll. doctor legum licet indignus cum omni reverentia hunc tractatum de app. decreto veſtre benevolentie roboratum.*

Fol. 73. *De jure Emphiteutico*, autore PETRO ELYA.

Fol. 95. *Repertorium ſuper Domino Joanne Fabri ſuper inſtitutionibus ſcribente.*

Fol. 128. *Tractatus de diverſis officiis Digeſti veteris Domini* GUILLELMI DE CUGNO.

Fol. 131. *Repertorium* alphabeti ordine digeſtum, ſine autoris nomine.

Fol. 196. *Repertorium* alterum *ſuper ſummam libellorum Petri Jacobi per* LUDOVICUM GAUFRIDUM.

CODEX CCCXXXVI. *h.* IV. 17.

Partim membranaceus, partim chartaceus, duplici ſcriptus columna, conſtans foliis 215. ſæculi XV. cui titulus: *Incipit tripertita conſultacionum in utroque jure Reverendi Patris* BERNARDI DE ROSERGIO *utriuſque juris Doctoris Prepoſiti Metropolitane Eccleſie Tholoſane compilata in unum. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo triceſimo quinto in alma Univerſitate Venerabilis ſtudii Tholoſani.*

CODEX CCCXXXVII. *h.* IV. 18.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, conſtans foliis 263. ſæculi XV. Continet

Fol. 1. Conſilia, & quæſtiones OLDRADI DE PONTE *Laudenſis* cum tabula ab initio.

Fol. 178. *Conſilia* CALDERINI *Bononienſis.*

CODEX CCCXXXVIII. *h.* IV. 19.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, cui folia 75. optimæ notæ, ſæculi XV. appicto ſtemmate *Cardinalis a Ruvere*. Habentur in eo

Fol 1. *Opus Domini* FEDERICI DE SENIS *Egregii decretorum Doctoris. queſtiones diſputate conſilia reddita ad conſultationes reſponſa interdum allegando ſed ut plurimum conſulendo collationes habite cum juris utriuſque Doctoribus per Dominum Federicum de Senis decretorum Doctorem in diverſis ſtudiis & maxime Peruxie.*

Fol. 31. *Conſilium Collegii Paduani per Dominum* ANGELUM *confirmatum, & ſubſcriptum* CCLXXXIX. *ſuper materia infraſcripta videlicet an locatio facta per Priorem & Capitulum Eccleſie de rebus Eccleſie ad modicum tempus valeat & pro toto tempore penſionem recipere poſſit. & an illi locationi ſucceſſor ſtare tenebitur.*

Fol. 34. Tractatus de *cenſuris Eccleſiaſticis*, prætermiſſo autoris nomine.

Fol. 71. *Tractatus* Domini PETRI DE ANCHARANO *ſuper impreſtitis Venetorum*, omiſſus ab Oudino, qui tamen cetera ejus opera recenſuit tom. III. pagina 1239.

CODEX CCCXXXIX. *h.* IV. 20.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, ſæculi XV. in fine deficiens, habet folia 314. Complectitur LUDOVICI PONTANI *conſilia*, quorum elenchus ad calcem legitur. Poſt hæc habentur *repetitiones variarum legum* ejuſdem.

CODEX CCCXL. *h.* IV. 21.

Membranaceus, duplici exaratus columna, conſtans foliis 67. ſæculi XV. rubrica, variisque ornamentis diſtinctus, mutilus tamen fine, & nonnihil fœdatus, continet tractatum *de tabellionatu*, atque *notarii officiis* cum variis inſtrumen-

Digitized by Google

ſtrumentorum formulis, cujuslibet capituli materiæ reſpondentibus. Incipit. *Antiquis temporibus ſuper contractuum & inſtrumentorum formas* &c.

CODEX CCCXLI. *h.* IV. 22.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, habens folia 57. ſæculi XV. in quo primum expoſitiones variorum titulorum juris, omiſſo autoris nomine.

Fol. 41. *Repetitio legis*, ad cujus calcem hæc leguntur:

Repetita per Dominum Franciſcum de Ramponibus legum Doctorem Excellentiſſimum fuit hec lex finalis ff. de condic. ob cauſſam & in civitate Bononie anno Domini 1388.

CODEX CCCXLII. *h.* IV. 23.

Chartaceus, conſtans foliis 276. ſæculi XV. Continet JACOBI DE THERAMO *Archidiaconi Averſani* librum *Bellial* nuncupatum, cujus initium: *Univerſis Chriſti fidelibus, atque orthodoxe ſancte matris Eccleſie fidei Doctoribus hoc breve compendium inſpecturis &c.*

Opuſculum hoc, ut legitur in *appendice hiſtoriæ literariæ* Cavei pag. 81. eſt ſecunda pars *tractatus de redemptione generis humani*, in qua quidem parte inſtituitur actio judicii inter *Deum, & diabolum*. Pluries editum fuiſſe Latine, Gallice, & Germanice, teſtatur Albertus Fabricius *Bibliothecæ Mediæ, & Infimæ Latinitatis* tom. IV. pag. 7.

Fol. 91. Sequitur farrago multarum *repetitionum* FRANCISCI DE PERUSIO, BARTOLI, ANGELI DE PERUSIO, RAPHAELIS FULGOENI DE PLACENTIA, aliorumque.

Fol. 252. *Tractatus de cenſura Eccleſiaſtica per D.* JO. DE LIGNIANO DE MEDIOLANO. MS. ſervari etiam in *Bibliotheca Baſileenſi*, refert Albertus Fabricius tomo ſupra citato *Bibliothecæ Mediæ, & Infimæ Latinitatis* pag. 276.

CODEX CCCXLIII. *h.* IV. 24.

Chartaceus, duplici columna exaratus, foliis conſtans 348. ſæculi XV. in quo

Fol. 1. *Summula compendioſa juris civilis, atque canonici compoſita per D.* TANCREDUM DE CORNETO. Prætermiſſa ab Oudino, & Fabricio, qui ceteroquin de illius operibus verba faciunt.

Fol. 92. *Thema diſputandum per Dominum* ANCELUM DE UBALDIS DE PERUSIO, occaſione nimirum quæſtionis ortæ inter *Paduanum & Veronenſem Dominos*.

Sequuntur aliæ deinde ejuſdem autoris *diſputationes*, atque *repetitiones*.

Fol. 175. *Tractatus quidam practice in civilibus cauſſis* autore JACOBO GENTILI *Peruſino*.

Fol. 214. *Summula teſtium edita per Dominum* JOANNEM, poſt quam *bina repetita* ANGELI DE UBALDIS, & BARTOLI DE SAXOFERRATO.

Fol. 232. *De ſententiis & interlocutionibus omnium judicum*, ſine autoris nomine.

Fol. 259. *In quibus caſibus poteſt recuſari judex per Dominum* BARTOLUM.

Fol. 260. *Repetitio legis filio praeterito ff. de in jus vocando per* PETRUM DE MURIS.

Fol. 275. *Conſilium a* JOANNE DE LIGNANO, RICHARDO DE SALICETO, & FRANCISCO DE RAMPONIBUS ſubſcriptum.

Fol. 277. Collectio præcipuarum juris ſententiarum.

Fol. 287. *Tractatus* BARTOLI *de inſigniis & armis*.

Fol. 291. Elenchus variarum quæſtionum.

Fol. 295. *Ordo judicarius magiſtri* TANERII.

Fol. 346. *Epiſtola* MARTINI DE FANO, cui titulus: *Infraſcriptam epiſtolam miſit Martinus de Fano ſcolaribus ſuis in jure civili ſtudentibus ad doctrinam ſtudii*. Incipit. *Magiſter ſocio tam merito quam dilecto ſalutem. ſtudendi modum requiris, quem veſtro nomini libenter aſcribo. Primo enim querendum eſt de doctore ſi generalia doceri oporteat ſi libenter ad interrogata reſpondeat &c.*

CO-

Digitized by Google

CODEX CCCXLIV. *h.* IV 27.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 92. ſæculi XIV. finem verſus, modum exhibet conficiendi inſtrumenta, ſubjectis ſingulorum exemplis.

Fol. 52 *Flos magiſtri* ROLANDINI, initio deficiens, eadem de re.

CODEX CCCXLV. *h.* V. 1.

Chartaceus, duplici exaratus columna, foliis conſtans 182. ſæculi XV. Sunt in eo commentarii in quatuor libros *Inſtitutionum Juſtiniani*, initio deficientes, & ſine autoris nomine.

CODEX CCCXLVI. *h.* V. 2.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, habens folia 259. aliquot in fronte ornamentis, & ſtemmate gentilitio inſignitus, circa finem ſæculi XIV. in quo

Fol. 1. *Commentarii* ANGELI DE PERUSIO *ſupra Digeſtum vetus*.

Fol. 256. *Expoſitio legis Pater filium ff. de inofficioſo teſtamento*, BALDI DE PERUSIO.

CODEX CCCXLVII. *h.* V. 3.

Chartaceus, duplici exaratus columna, conſtans pagellis 635. ſæculi XIV. Expoſitiones complectitur quorundam titulorum juris ANGELI DE PERUSIO, nec non ejus conſilia, & quæſtiones, & factorum narrationes nonnullas.

CODEX CCCXLVIII. *h.* V. 4.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, ſæculi XV. foliis conſtat 111.

Præmittuntur initio quædam excerpta parvi momenti ex *commentariis* BALDI.

Fol. autem 7. *Incipit Recollecta ſuper auctenticas per Dominos* BALDUM, *&* ANGELUM *magiſtri Franciſci de Peruſio fratres legum Doctores*.

CODEX CCCXLIX. *h.* V. 6.

Chartaceus, duplici exaratus columna, conſtans foliis 308. ſæculi XV. in quo BARTOLI *commentarii in Digeſtum vetus* cum adnotationibus in margine, alterius ſcribæ.

CODEX CCCL. *h.* V. 7.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, ſæculi XV. cui folia 374. Eſt *prima pars lectura Domini* BARTOLI *ſuper Digeſto novo*. Plures ſunt in margine adnotationes, ſed a recentiori ſcriba appoſitæ.

CODEX CCCLI. *h.* V. 8.

Chartaceus, duplici exaratus columna, conſtans foliis 339. ſæculi XV. appicto ſtemmate *Cardinalis a Ruvere*, in quo *Commentarii Domini* BARTOLI *ſuper ſecundam partem Digeſti novi*.

CODEX CCCLII. *h.* V. 8.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, conſtans foliis 261. ſæculi XV. ineuntis, & literis initialibus vario colore delineatis ornatus. Habetur in eo *Lectura D.* BARTOLI *ſuper Digeſto veteri*.

CODEX CCCLIII. *h.* V. 9.

Chartaceus, duplici exaratus columna, ſæculi XV. cui folia 301. exhibet iterum BARTOLI *Commentarios ſuper ſecundam partem ff. novi*.

CODEX CCCLIV. *h.* V. 10.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 319. ſæculi XV. nitidi characteris, multiſque literis aureis ornatus, & *Cardinalis a Ruvere* nomen præſeferens, eoſdem continet commentarios BARTOLI in *partem ſecundam Digeſti novi*.

Digitized by Google

CODEX CCCLV. *h.* V. 11.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 186. ſæculi XV. in quo eadem rurſus, quæ ſupra, BARTOLI commentaria.

CODEX CCCLVI. *h.* V. 12.

Chartaceus, duplici exaratus columna, ſæculi XV. habet folia 186. Continet autem BARTOLI *commentaria in Codicem*.

CODEX CCCLVI. *h.* V. 13.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 263. ſæculi XV. in quo BARTOLI *commentaria in Digeſti libros*, quibus *Infortiati* nomen.

CODEX CCCLVII. *h.* V. 14.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, ſæculi XV. nonnullis ornamentis, & ſtemmate viri cujuſdam illuſtris Gentilitio decoratus, foliis conſtat 173. Habentur in eo *Conſilia* BARTOLI, BALDI, SIMEONIS, & ANGELI, *Magiſtri* FRANCISCI DE PERUSIO, PHILIPPI DE CASOLE, JOHANNIS DE CANE MORTUO, NICOLAI ALEXANDRI DE PERUSIO, ANGELI DE AMELIO, RAINERI DE SENIS.

Fol. 149. *Quæſtio notabilis* JACOBI DE BELUISIO, *de percuſſione* videlicet *a Nobili viro facta ex qua ſignum remanſerit*: hanc ſequuntur quæſtiones a BARTOLO diſputatæ.

CODEX CCCLVIII. *h.* V. 15.

Chartaceus duplici exaratus columna, foliis conſtans 101. ſæculi XV. quæſtiones continet *Domini* BALDI DE PERUSIO in compendium redactas *ad uſum Domini Juliani de Carreto*.

Fol. 77. Tractatus de *teſtibus* ejuſdem BARTOLI; ejuſque expoſitio legis *Medicos*, nec non tractatus de *vulneribus*, de *præſumptionibus*, de *jure Emphyteutico*, *Axiomata*, *& ſententiæ juris*, tandem tractatus de *inſigniis*; *& armis*.

CODEX CCCLIX. *h.* V. 16.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 295. ſæculi XIV. multis imagunculis auro circumductis, & literis variegatis ornatus, *Speculum Judiciale* exhibet, in quatuor libros diſtinctum, GUILLELMI DURANTI.

CODEX CCCLX. *h.* V. 17.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, ſæculi XIV. folia habet 389. Eſt idem *Speculum Judiciale* GUILLELMI DURANTI.

CODEX CCCLXI. *h.* V. 18.

Membranaceus, duplici exaratus columna, folia habens 243. ſæculi XIV. Eſt tertio *Speculum Judiciale* DURANTI.

CODEX CCCLXII. *h.* V. 19.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 234. & ſtemmate inſignitus *Cardinalis a Ruvere*. Eſt JOANNIS PETRI FERRARII *practica Papienſis*.

CODEX CCCLXIII. *h.* V. 20.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, cui folia 134. ſæculi XV. Sunt in eo

Fol. 1. ANGELI DE PERUSIO commentarii in VII. librum *Codicis*.

Fol. 52. Tractatus de *accuſatione inſtituenda*, *& de perſonis*, *quæ accuſare prohibentur*, aliiſque ad judicium ſpectantibus, ſine autoris nomine, & diverſo ſcriptus charactere.

CO-

Digitized by Google

CODEX CCCLXIV. *h.* V. 21.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, conſtans foliis 237. ſæculi XIV. finem verſus, BALDI commentaria amplectitur in V. VI. X. XI. & XII. *Codicis* libros.

CODEX CCCLXV. *h.* V. 22.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 253. ſæculi XV. in quo

Fol. 1. *Lectura conſtitutionis Imperialem* JOANNIS RAYNAUDI, præmiſſa ejuſdem epiſtola ſcripta *Maſſiliæ anno* 1443. *die* 4. *Aprilis*, ut in fine ejuſdem epiſtolæ notatum legimus.

Fol. 61. *Conſuetudines Feudorum explanatæ a* BALDO DE PERUSIO.

Fol. 237. Ejuſdem *commentarium ſuper pace Conſtantiæ.*

CODEX CCCLXVI. *h.* V. 23.

Chartaceus, duplici exaratus columna, foliis conſtans 207. ſæculi XV. in quo conſilia BARTOLI, BALDI DE PERUSIO, aliorumque Juris peritorum, qui ſæculo XIV. florebant.

CODEX CCCLXVII. *h.* V. 24.

Chartaceus, duplici exaratus columna, folia habens 245. ſæculi XV. DINI ROSSANII *Mugellani* commentarium continet in *regulas* VI. *Decretalium* libri, cum apparatu JOANNIS ANDREÆ *ſuper arbore conſanguinitatis, & affinitatis.*

Hæc ſequuntur *relectiones* variarum legum, conſilia, & quæſtiones BALDI DE PERUSIO, nec non additiones ejuſdem ad *lecturam* BARTOLI *ſuper ff. novo*, & alia hujus generis.

CODEX CCCLXVIII. *h.* V. 25.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, cui folia 311. ſæculi XV. & ſtemmate inſignitus *Cardinalis a Ruvere.* Habentur ibi *conſuetudines Feudorum* expoſitæ, & ampliſſimo commentario illuſtratæ a *Domino* JACOBO DE ALVAROTTIS *Patavino*; de quo quidem opere multa legere eſt apud Nicolaum Comnenum Papadopoli tom. I. pag. 217. *Hiſtoriæ Gymnaſii Patavini.*

CODEX CCCLXIX. *h.* VI. 1.

Membranaceus, duplici exaratus columna, foliis conſtans 208. ſæculi XIV. titulos rubrica diſtinctos, & imagunculas præferens, in quo

Fol. 1. *Inſtitutiones Juſtiniani* a titulo II. libri primi.

Fol. 66. *Libri Conſtitutionum novellarum Juſtiniani*, poſt quos liber X. *Codicis* de *jure Fiſci* & XI. de *navicularíis*, & *publicas ſpecies tranſportantibus*; addita ubique *Gloſſa communi.*

CODEX CCCLXX. *h.* VI. 2.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 355. ſæculi XIV. ſatis nitidi characteris, multiſque imagunculis conſpicuus, ubi primum *Inſtitutiones*, ut ſupra, & novem libri *novellarum Juſtiniani.*

Fol. 249. *Conſuetudines Feudorum*, poſt quas liber X. de *jure Fiſci*, XI. de *luſtrariis auri, & navicularíis*, & XII. de *dignitatibus*, cui demtus titulus una cum imagunçula.

CODEX CCCLXXI. *h.* VI. 3.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 73. ſæculi XIV. Sunt in eo *Inſtitutiones Juſtiniani* cum *Gloſſa.*

CODEX CCCLXXII. *h.* VI. 4.

Membranaceus, optimæ notæ, ſæculi XIII. cui folia 96. eaſdem complectitur *Juſtiniani inſtitutiones* cum adnotationibus *interlinearibus*, aliiſque in margine, recentioris manus.

CO-

Digitized by Google

CODEX CCCLXXIII. *h.* VI. 5.

Membranaceus, duplici exaratus columna, folia habens 317. nitidiſſimi characteris, literiſque auro, & vario colore delineatis ornatus, ſæculi XIV. Viginti quatuor priores exhibet *Digeſtorum* libros cum *Gloſſa communi*.

Singulis libris præmittuntur venuſtiſſimæ imagines, multoque artificio diſpoſitæ, quibus eorum materies quodammodo deſignatur. Multæ deinde imagunculæ ſparſim cernuntur plurimo lepore conſperſæ; tabellæ præterea ſæculi illius mores perbelle exprimentes, in iis, quæ judicis tribunal, & officia ſpectant, teſtes interrogandi modum, ſuppliciorum genera, lictorum arma, aliaque ſimilia.

CODEX CCCLXXIV. *h.* VI. 6.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 319. ſæculi XIV. in quo iidem XXIV. priores *Digeſtorum* libri cum *Gloſſa*. Deſiderantur librorum initio ornamenta; ſed ſpatium iis excipiendis ſatis idoneum a librario relictum fuit.

CODEX CCCLXXV. *h.* VI. 7.

Membranaceus, duplici exaratus columna, conſtans foliis 349. ſæculi XIV. optimæ notæ, & cui ornamenta non deſunt, eoſdem tertio continet *Digeſtorum* libros cum *Gloſſa*.

CODEX CCCLXXVI. *h.* VI. 8.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 352. ſæculi XIV. Sunt quarto iidem *Digeſtorum* libri.

CODEX CCCLXXVII. *h.* VI. 9.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, cui folia 265. ſæculi XIV. in quo iidem XXIV. priores *Digeſtorum* libri.

CODEX CCCLXXVIII. *h.* VI. 10.

Membranaceus, duplici exaratus columna, conſtans foliis 254. ſæculi XIV. finem verſus, appicto ſtemmate *Cardinalis a Ruvere*, in quo rurſus iidem *Digeſtorum* libri.

CODEX CCCLXXIX. *h.* VI. 11.

Membranaceus, conſtans foliis 292. duplici columna, & eleganti exaratus charactere, ſæculi XIV. Duodecim poſteriores continet *Digeſtorum* libros, ſive *Digeſtum novum* cum *Gloſſa*.

CODEX CCCLXXX. *h.* VI. 12.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, conſtans foliis 286. ſæculi XIV. in quo iterum *Digeſtum novum* cum *Gloſſa*.

CODEX CCCLXXXI. *h.* VI. 13.

Membranaceus, duplici exaratus columna, folia habens 231. ſæculi XIV. Eſt tertio *Digeſtum novum* cum *Gloſſa*.

CODEX CCCLXXXII. *h.* VI. 14.

Membranaceus, duplici exaratus columna, foliis conſtans 283. ſæculi XIV. Eſt quarto *Digeſtum novum* cum *Gloſſa*.

CODEX CCCLXXXIII. *h.* VI. 15.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 306. ſæculi XIV. multiſque ornatus imagunculis, eoſdem continet duodecim poſteriores *Digeſtorum* libros, ſive *Digeſtum novum* cum *Gloſſa*.

CODEX CCCLXXXIV. *h.* VI. 16.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, ſæculi XIV. miræ pulchritudinis, multoque ſplendeſcens auro, atque

Digitized by Google

que innumeris ornatus figuris, conſtat foliis 332. Continentur in eo novem *Codicis* libri cum *Gloſſa*. Initio ſingulorum librorum ſunt imagines ad indicandam libri materiem accommodatæ, ſimiles omnino iis, quarum mentionem fecimus in codice *h.* VI. 5.

CODEX CCCLXXXV. *h.* VI. 17.

Membranaceus, duplici exaratus columna, folia habens 281. ſæculi XIV. in quo iidem *Codicis* libri cum *Gloſſa*.

CODEX CCCLXXXVI. *h.* VI. 18.

Membranaceus, duplici exaratus columna, foliis conſtans 279. ſæculi XIV. eoſdem tertio exhibet *Codicis* libros, quorum initio Imperatoris ſuper rotundum pulvinar ſedentis exhibetur effigies cum galeato milite excubias agente.

CODEX CCCLXXXVII. *h.* VI. 19.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, cui folia 162. ſæculi XIV. in quo iidem *Codicis* libri. Sunt & hìc figuræ, ſed rudes prorſus, & inconcinnæ.

CODEX CCCLXXXVIII. *h.* VI. 20.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, conſtans foliis 395. ſæculi XIV. elegantiſſimi characteris, pluribuſque ornatus figuris, fere ut Codex *h.* VI. 15. eam *Digeſti* partem complectitur, quæ *Infortiatum* dicitur, cum *Gloſſa communi*.

CODEX CCCLXXXIX. *h.* VI. 21.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, habens folia 267. ſæculi XIV. multis ornamentis, & ſtemmate *Cardinalis a Ruvere* inſignitus, in quo eadem *Digeſti* pars, quæ *Infortiatum* a Juriſperitis vulgo appellatur.

CODEX CCCXC. *h.* VI. 22.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, ſæculi XIV. & cui ornamenta non deſunt, foliis conſtat 289. Eoſdem, qui ſupra, continet *Digeſtorum* libros.

CODEX CCCXCI. *h.* VI. 23.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 231. ſæculi XIV. multiſque nitens aureis literis, in quo ſæpius memorati *Digeſtorum* libri, quamplurimis præter *Gloſſam* adnotationibus a recentiori ſcriba appoſitis.

CODEX CCCXCII. *h.* VI. 24.

Membranaceus, ſæculi XIV. finem verſus, conſtat foliis 40. Sunt ibi

Fol. 1. *Novellarum Conſtitutionum Juſtiniani Epitome, atque compendium.*

Fol. 36. *Conſtitutiones Frederici Imperatoris.*

Fol. 37. Liber *Codicis Theodoſii* primus de *Conſtitutionibus Principum & edictis*.

CODEX CCCXCIII. *h.* VI. 25.

Chartaceus, duplici exaratus columna, conſtans foliis 66. ſæculi XV. in quo

AMEDEI VIII. SABAUDIÆ DUCIS *decreta, atque ſtatuta circa ordinem cauſarum civilium*.

Ad calcem vero legitur: *Expleta ſunt decreta haec dominicalia per me Derſanum Tappareli de Savilliana ad opus Magnifici & potentis Domini Gottofredi ex Dominis Strambini & ex comitibus Sancti Martini &c. de anno Domini* 1466. *de Menſe Madii*.

CODEX CCCXCIV. *h.* VI. 26.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 88. ſæculi XV.

Con-

Digitized by Google

Continet *edicta quamplurima Ducis Mantuæ*, præſertim de *vectigalibus ſolvendis*.

In fine adduntur Conſtitutiones aliquot *Joannis Franciſci de Gonzaga* editæ annis 1408, 1416, 1423, 1430, 1443, 1444. aliiſque ad contractus ſpectantes *emptionis*, & *venditionis*.

CODEX CCCXCV. *i.* II. 5.

Chartaceus, conſtans foliis 64. ſæculi XV. in quo

Liber ſecretorum ſecretorum Ariſtotelis excellentis Philoſophi tractatuſque de ſignis & moribus naturalibus hominum ad Regem Alexandrum.

De hoc opuſculo habet multa Albertus Fabricius *Bibliothecæ Græcæ* tom. III. pag. 167.

CODEX CCCXCVI. *i.* II. 6.

Chartaceus, habens folia 113. ſæculi XVI. Eſt in eo

Fol. 1. *Liber qui dicitur textus Alchimiæ de magni lapidis compoſitione & operatione.*

Fol. 80. *Liber de coloribus diverſarum rerum.* Uterque ſine autoris nomine. Præmittitur autem initio utriuſque capitum, & rerum elenchus.

CODEX CCCXCVII. *i.* II. 7.

Membranaceus, conſtans foliis 192. optimæ notæ, atque lectionis, ſæculi XIV. Continet Alchemicarum tractationum farraginem ex variis autoribus collectam ſequenti ordine.

Fol. 1. *Liber turbæ Philoſophorum.*

Fol. 28. *Liber* Theophili *philoſophi ad filium.*

Fol. 34. *Tractatus* Miretis *philoſophi.*

Fol. 37. *Pulcer tractatellus cum epiſtola* Hermetis *philoſophi.*

Fol. 38. *Libellus in quo ponitur exemplum ſcientie magne.*

Fol. 39. *Viſio* Aristei *philoſophi.*

Fol. 40. *Libellus qui dicitur lilium.*

Fol. 52. *Epiſtola que dicitur liber aureus* Avicenne *Principis Abohali cognomento Abiſeni.*

Fol. 59. *Liber* Aly *Regis ſuper ſecretis philoſophorum.*

Fol. 66. *Incipit liber Ducatus* Rasis *philoſophi in quo dicitur capitulum majus.*

Fol. 69. *Liber* Rasis *philoſophi de duodecim aquis.*

Fol. 74. *Liber duodecim queſtionum.*

Fol. 80. *Liber expoſitionis* Rosini *ad Eutheſiam.*

Fol. 90. *Liber ſpeculi editus a* Vincentio.

Fol. 118. *Tractatus ſive epiſtola que vocatur novum lumen ſuper lapide philoſophorum edita a juvene experto.*

Fol. 122. *Roſarius magiſtri* Arnoldi de Villanova.

Fol. 140. *Libellus qui dicitur Theoſophie palmarium.*

Fol. 157. *Interrogationes Regis* Kalid *& reſponſiones* Morieni *ſuper lapide phiſico.*

Fol. 166. *Tractatus Magiſtri* Nicolai de Comitibus de Marchia Tervisina.

Fol. 173. *Tractatus de octo operationibus principalibus.*

Fol. 176. *Quedam in opere utilia, ſeu monita circa eamdem materiam.*

Fol. 179. *Liber* Eyax *Regis Arabum de lapidibus non liquefactivis & eorum virtutibus.* Metrica oratione conſcriptus eſt, auctoremque habet Marbodum *Redonenſem Epiſcopum*, cujus opuſcula una cum *Venerabilis* Hildeberti operibus edidit *Antonius Beaugendre Benedictinus.*

Præit in codice procœmium ſoluta oratione, in quo pauca de libri autore differuntur: hoc autem in editis exemplaribus deſideratur.

Nonnullas etiam lectionis diſcrepantias obſervare contigit. E. G.

In editione verſu 4.
Quæ ſit his regio
In Cod.
Que ſit his virtus
In edit. verſu 5.
Hoc opus excipiens

In

Digitized by Google

In Cod.
Hoc opus excerpens
In edit. verſu 14.
Occultas etenim lapidum
In Cod.
Occultaſque caſu lapidum

In fine vero præter eos, quos in editione legimus, hi duo præterea verſus in Codice adduntur:

Quem tego gemma digitum decoraverat auro
Divum diva ſacra dia Ceſaris Ottaviani.

CODEX CCCXCVIII. *i.* II. 8.

Chartaceus, habens folia 102. ſæculi XVII. cui titulus,

Monticulus Solaris fonticulos tres nectare, & Ambroſia fluentes continens de tincturæ philoſophorum materia catholica, Mercurio philoſophico, aqua viſcoſa univerſali. De prȩparatione menſtrui philoſophici aquæ viſcoſæ deque ejus ſemine, ſanguine rubro leonis rubri, ejus fermento & cibo. De medicaminis generalis veri auri potabilis præparatione, viribus, uſu, & experimentis miris. De tincturis tribus particularibus expertis, Venerem in Lunam, ac Lunam, & Mercurium vulgarem in Solem puriſſimum convertentibus. Omnia per Joannem de Remond Lucerino-Helvetium philoſophiæ, & medicinæ utriuſque Doctorem, Mathematicum Regis Galliarum Chriſt. Ludovici XIII. Chemiatrum, & Metallurgum; ac Ill.mi Principis de Conde conſiliarium, & medicum ordinarium, nec non Comitatus Militum Helveticorum Regis cuſtodiæ phyſicum conſtitutum.

Codex ab ipſomet autore deſcriptus fuit, ut in lucem proderetur, quod conſtat ex ſubſcriptione, & facultate a Fidei Quæſitore conceſſa, eum typis conſignandi. At vulgatum poſtea non fuiſſe, exiſtimamus.

CODEX CCCXCIX. *i.* II. 10.

Membranaceus, ſæculi XV. cui folia 29. hunc præfefert titulum:

Pars II.

De conſideratione quinte eſſentie omnium rerum tradendus pauperibus, & evangelicis viris ſervis Chriſti Jeſu a magiſtro JOANNE DE RUPECISSA *ſacre Theologie profeſſore compoſitus.*

CODEX CD. *i.* II. 12.

Chartaceus, conſtans foliis 55. ſæculi XVI. in quo

Codicillum ſeu compendium vel vade mecum de numero philoſophorum ſeu clauſula teſtamenti RAYMONDI LULLII.

Fol. 55. Concluſio ſummaria valde utilis ad intelligendum teſtamentum, & codicillum, & alios noſtros libros.

CODEX CDI. *i.* II. 14.

Chartaceus, ſæculi XV. folia habens 129. aurea litera cum imaguncula in fronte ornatus, nec non ſtemmate gentilitio, in quo

JOANNIS MICHAELIS ALBERTI DE CARRARIA *Guidonis filii ad Bonifacium Montiſferrati illuſtriſſimum Principem tractatus de conſtitutione mundi.* Ratio præſertim motuum cœleſtium in eo expenditur.

Proœmium incipit his verbis.

Inter graviſſimos ac flagitioſiſſimos errores quos mortale genus quotidiano lapſu frequenter admittit Magnificentiſſime vir Bernarde Bembe nullus nobis execrabilior nullus damnoſior ingratitudine videtur ea preſertim que in Deum omnipotentem & immortalem pugnat &c. Ubi lectorem admonemus, deletum fuiſſe ab alio ſcriba *Bonifacii* nomen, cui tractatus inſcriptus eſt, & ejus loco inſertum nomen *Bernardi Bembi*; immo appoſitam in fronte codicis epiſtolam ad *Bernardum Bembum*, poeticis numeris exaratam, eodem prorſus charactere, quo *Bembi* nomen ſuppletum eſt. Epiſtola autem eſt hujuſmodi.

Accipe Romane vivunt quo vindice Muſe
Ingeniis per quem jam reſeratur iter.
Andini ſeu te cantus: ſeu carmine Naſo

Digitized by Google

Seu tenet Arpinas, ſeu tua Caliope
Hec tibi ſi ſapiunt doctiſſime Bembe: Sibillam
Evincent annis Neſtoreoſque dies:
A tergo pinſet non ulla Ciconia: nuſquam
Ronthi: Que laudas gloria proſequitur.

Ceterum nihil apud quempiam ſcriptum reperire potuimus de *Alberto Michaele de Carraria Guidonis filio.*

CODEX CDII. *i.* II. 17.

Chartaceus, ſæculi XVI. conſtans foliis 60. Habetur in eo

De divina aſtrorum facultate in larvatam Aſtrologiam meditatio. Autor eſt *Dominus* GABRIEL BONARINO JωFRANCUS OFFUSIUS, ut colligere facile fuit ex epiſtola, quæ præmittitur, Antiſtiti Andenſi ſcripta, *ſexto Idus Januarii ſub Henrico II. anno regni ejus* X. & quæ incipit:

Pendere haec inferiora a ſuperioribus illa vero a cauſſa cauſſarum, nemini recte philoſophantium dubium eſſe reor digniſſime Antiſtes &c.

CODEX CDIII. *i.* II. 27.

Membranaceus, ſæculi XV. habens folia 180. JOANNIS JOVIANI PONTANI *librum* continet *commentationum in centum ſententias Ptolemei ad Illuſtriſſimum Federicum Ducem Urbini.*

CODEX CDIV. *i.* II 28.

Chartaceus, ſæculi XV. conſtans foliis 198. varia complectitur GEORGII TRAPEZUNTII opuſcula, nimirum *Indiculum in librum Platonis de Repubblica, præfationes ad orationes Demoſthenis*, itidemque ad *Platonem de Republica*, & ad *libros Rethoricorum Ariſtotelis*, tum *introductionem ad libros magnæ Ptolemæi compoſitionis*, atque in *eoſdem libros commentaria.*

Omnia lituris ſcatent, quædam etiam imperfecta relicta ſunt. Propria enim autoris manu, qui multa curſim deſcripta emendavit, & multa delineare ſolummodo cœperat, codex ſcriptus fuit. Pertinuit olim ad D. *Grimani Cardinalem Sancti Marci*, ut in fronte ejuſdem legitur.

CODEX CDV. *i.* II. 29.

Chartaceus, folia continens 37. ſæculi XVI. Habetur iterum *de divina Aſtrorum facultate in larvatam Aſtrologiam meditatio*, ut in codice *i.* II. 17.

CODEX CDVI. *i.* II. 32.

Chartaceus, habens folia 219. ſæculi XV. in quo fol. 1. quatuor libri *Aſtrologiæ* PTOLEMÆI cum commentario *Haly Aberuchani.*

Fol. 200. *Centiloquium* ejuſdem PTOLEMÆI, commentariis pariter illuſtratum.

CODEX CDVII. *i.* II. 33.

Chartaceus, ſæculi XVI. foliis conſtat 47. Eſt in eo *tractatus de verificatione altitudinum polarium locorum terræ per altitudines ſtellæ Nortiis ex balliſta*, tacito autoris nomine.

CODEX CDVIII. *i.* II. 35.

Chartaceus, folia habens 29. ſæculi XVI. Eſt opuſculum rotis numericis conſtans ad invenienda *feſta mobilia, Epactam, aureum numerum, indictionem, &c.* per AUGUSTINUM RAMELUM.

CODEX CDIX *i.* IV. 1.

Membranaceus, ſæculi XV. nitidi characteris, optimæque lectionis, & cui folia 96. ſex libros continet XENOPHONTIS *de Cyropædia*, in Latinum ſermonem translatos a *C. Poggio Florentino*, cum ejuſdem præfatione *ad Alfonſum clariſſimum Regem.*

Hujus

Digitized by Google

Hujus interpretationis Latinæ nullam facit mentionem Albertus Fabricius in ſua *Bibliotheca Græca*. In *Bibliotheca* autem *Mediæ, & Infimæ Latinitatis* ſervari MS. affirmat in *Bibliothecis Italorum*, & ex ea adornatam poſtea fuiſſe interpretationem Italam a *Jacobo Poggio filio*.

CODEX CDX. *i.* IV. 2.

Membranaceus, optimæ notæ, multisque inſignis ornamentis, cui folia 201. ſæculi XIV. exeuntis.

Complectitur ARISTOTELIS XIV. libros *Metaphyſicorum*, nec non *Ethicorum* libros decem, in Latinum ſermonem ab ignoto interprete translatos.

CODEX CDXI. *i.* IV. 3.

Membranaceus, foliis conſtans 176. vario ornatu, ac ſtemmate *Cardinalis a Ruvere* inſignitus, circa finem ſæculi XIV. vel initium XV.

Habentur in eo ARISTOTELIS *Rhetoricorum*, *Ethicorum*, nec non *Politicorum* libri, quorum interpres nullibi ſe prodit.

CODEX CDXII. *i.* IV. 4.

Membranaceus, duplici exaratus columna, cui folia 203. ſæculi XIV. finem verſus, optimi, nitidique characteris, & initialibus literis variegatis exornatus, eoſdem continet ARISTOTELIS *Ethicorum*, *Politicorum & Rhetoricorum* libros, nulla interpretis facta mentione.

CODEX CDXIII. *i.* IV. 5.

Partim chartaceus, partim membranaceus, ſæculi XV. conſtans foliis 117. priores duos exhibet ARISTOTELIS *Ethicorum* libros, ex interpretatione *Leonardi Aretini* cum præfatione ejuſdem, atque epiſtola ad *Martinum V. Pontificem Maximum*.

Fol. 21. duplici columna, diverſoque charactere ſcriptæ, habentur quæſtiones in libros *Phyſicorum* ARISTOTELIS, ſcholaſtico more, eoque rudi admodum, & barbaro pertractatæ, ignoti autoris.

CODEX CDXIV. *i.* IV. 6.

Membranaceus, perquam eleganti ſcriptus charactere, folia habens 162. ſæculi XV. præclaris ornamentis aureis, variique coloris, & multis aureis literis ab initio diſtinctus, appicto inſuper ſtemmate *Cardinalis a Ruvere*, libros continet *Ethicorum* ARISTOTELIS ex interpretatione *Joannis Argyropyli* cum præfatione ejuſdem ad *Magnificum Coſmam Medicem Florentinum*, cujus hortatu interpretationem ſuſceperat.

CODEX CDXV. *i.* IV. 12.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, habens folia 84. ſæculi XV. initialibus literis varie pictis ornatus, & ſtemmate *Cardinalis a Ruvere*, in quo *Anonymi* commentaria in decem libros *de moribus* ARISTOTELIS.

CODEX CDXVI. *i.* IV. 13.

Chartaceus, ſæculi XV. foliis conſtans 47. in quo ARISTOTELIS *Ethicorum* libri decem, ex interpretatione *Leonardi Aretini*.

CODEX CDXVII. *i.* IV. 15.

Chartaceus, circa finem ſæculi XIV. optimæ lectionis, conſtat foliis 34. Sunt libri tres *Officiorum* MARCI TULII CICERONIS.

CODEX CDXVIII. *i.* IV. 18.

Chartaceus, ſæculi XV. cui folia 60. Eſt SEVERINI BOETII *liber de conſolatione Philoſophiæ*.

Præmittuntur nonnulla de *Boetii* operibus, nominibus, dignitatibus, nec

Digitized by Google

non de ratione hujus libri.

In fine hæc leguntur.

Sub anno Domini 1473. *die* 9. *Julii completum & traditum fuit per me Euſebium Perotum. Et hoc in civitate Montis Regalis Deo dante.*

CODEX CDXIX. *i.* IV. 20.

Chartaceus, ſæculi XV. foliis conſtans 174. initio deficiens, in quo JOHANNIS DE TRAVESIIS *Cremonenſis* commentarii in librum *Severini Boetii de conſolatione Philoſophiæ.*

CODEX CDXX. *i.* IV. 23.

Membranaceus, initio ſcriptus ſæculi XV. & viri illuſtris ſtemmate gentilitio inſignitus, foliis conſtat 62. Excerpta leguntur ex antiquis ſcriptoribus, præſertim vero ex DIOGENE LAERTIO, de vita, & moribus Philoſophorum.

CODEX CDXXI. *i.* IV. 34.

Chartaceus, ſæculi XVI. conſtans foliis 43. cui titulus:

Ad magnanimum divine indolis adoleſcentem Aſt Comitem. & Pedemontium. noſtrumque Illuſtriſſimum Principem Hemanuelem Philibertum. Excellentiſſimi Divique Caroli Secundi Sabaudie Ducis filium. Hieronymi Cagnoli Vercellenſis Juriſconſulti. Et Senatoris Ducalis epiſtola. Virtutum ſcilicet ornamenta, quæ optimo Principi ſunt neceſſaria, ſingillatim enarrat; & quomodo in regendis populis ſe gerere debeat, præcepta tradit. Incipit autem his verbis:

Cogitavi ſepe numero digniſſime Princeps ab hoc ſcribendi genere deſiſtere: quum propter creſcentium librorum immenſam multitudinem a pluribus damnatam & a Juſtiniano Imperatore jam multis retroactis annis referatam &c.

Multa numerat Roſſottus in *Syllabo ſcriptorum Pedemontii* pag. 262. opera HIERONYMI CAGNOLI, atque inter ea *libros octo de Principis inſtitutione*: de hac vero epiſtola ad Principem EMMANUELEM PHILIBERTUM ne verbum quidem.

CODEX CDXXII. *i.* IV. 36.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 118. ſæculi XIV. Quæſtiones nonnullæ habentur in libros *Politicorum* ARISTOTELIS *Anonymi* Scriptoris.

CODEX CDXXIII. *i.* IV. 37.

Membranaceus, ſæculi XV. elegantis, nitidique characteris, literis initialibus auro, varioque colore diſtinctis ornatus, & cui folia 122. libros exhibet *Politicorum* ARISTOTELIS in Latinum idioma converſos a *Leonardo Aretino*, cum ejuſdem præfatione.

CODEX CDXXIV. *i.* IV. 49.

Chartaceus, ſæculi XV. foliis conſtans 107. in quo

Fol. 1. Tractatus *de miſeria & vilitate humanae conditionis* LOTHARII primum *Diaconi*, poſtea *Innocentii Papae III.*

Fol. 61. Tractatus *de duobus ſe invicem diligentibus compoſitus per Dominum* ENEAM SILVIUM PICCOLOMINEUM *rogatu Domini Mariani Socini Doctoris Senenſis.* Eſt nimirum Hiſtoria *Euriali*, & *Lucretiæ*, pluries tam ſeorſim, quam cum aliis operibus *Æneæ Sylvii* typis vulgata.

CODEX CDXXV. *i.* II. 59.

Membranaceus, ſæculi XIII. conſtans foliis 32. optimæ notæ, atque characteris, varia complectitur, ad plantarum notitiam ſpectantia.

Fol. 1: Eſt epiſtola hoc titulo.

Ippocrates Mecenati ſuo ſalutem.

Incipit autem: *Libellum quem roganti tibi promiſi omni cura adhibita deſcriptum miſi ordinatiſſimum tue ſalutis cuſtodem* &c.

Hæc epiſtola una cum alia ad *Antiochum*

Digitized by Google

tiochum Regem præfigi ſolet *Marcello Empirico*. Habetur etiam inter opera *Hippocratis* Tom. I. Editionis Linden. pag. 646. Rectius tamen in quibuſdam editionibus tribui *Antonio Muſæ*, obſervat Albertus Fabricius Tom. II. *Bibliothecæ Latinæ* pagina 583.

Fol. 2. Sequitur altera epiſtola *Antonii Muſe Magno Ceſari & Auguſto de herba Betonica*.

Fol. 3. *pag.* 2. *Apuleii Platonis Liber herbanicus*.

Duo hæc poſteriora opuſcula ſimul juncta prodiiſſe ad calcem *Plinii Valeriani* Baſileæ anno 1528. docemur a Fabricio loco ſupra citato pag. 25. & quidem *librum herbanicum* ſub *Apuleii Platonici* nomine.

Fol. 12. *Incipit liber Dioſcoridis medicine ex herbis femininis numero* 71. Præmittitur herbarum nomen, poſtea virtutes earum narrantur, ſimulque ad latus cujuſque herbæ figura propriis diſtincta coloribus exhibetur.

CODEX CDXXVI. *i.* V. 1.

Membranaceus, duplici exaratus columna, foliis conſtans 199. ſæculi XIV.

Sunt primo loco quæſtiones variæ Metaphyſicæ, atque Theologicæ ſcholaſticis tricis refertæ, ſine autoris nomine; & in fine appoſitus eſt omnium elenchus.

Fol. autem 198. additur Boetii *tractatus de unitate & uno*.

CODEX CDXXVII. *i.* V. 2.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 278. optimæ lectionis, ſæculi XV. ubi Raymundi Lulli liber, cui titulus *Arbor ſcientiæ*.

CODEX CDXXVIII. *i.* V. 3.

Membranaceus, cui folia 197. ſæculi XIV. ſequentia exhibet Aristotelis opera, tacito interpretis nomine.

Fol. 1. *Iſagogen Porphyrii ad prædicamenta Ariſtotelis*.

Fol. 10. *Categorias, ſeu prædicamenta.*

Fol. 25. *Libros perihermenias, ſive de interpretatione.*

Fol. 34. *Librum ſex principiorum.*

Fol. 41. *Libros octo Topicorum.*

Fol. 104. *Libros elenchorum.*

Fol. 124. *Libros poſteriorum.*

Fol. 134. *Libros priorum Analyticorum.*

Omnia ſunt adnotationibus & intra textum, & in margine illuſtrata.

CODEX CDXXIX. *i.* V. 4.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, ſæculi XV. foliis conſtans 159. ubi *Commentaria ſuper libros Ariſtotelis de anima* Appollinarii *Cremonenſis*, initio deficientia.

CODEX CDXXX. *i.* V. 5.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 100. ſæculi XV. in quo

Burlei *Commentaria ſuper librum prædicabilium Porphyrii Siculi, prædicamenta Ariſtotelis, & librum ſex principiorum*.

CODEX CDXXXI. *i.* V. 6.

Partim chartaceus, partim membranaceus, duplici columna exaratus, foliis conſtans 119. ſæculi XV. *quæſtiones* continet Joannis de Janduno *ſuper tres libros Ariſtotelis de anima*.

CODEX CDXXXII. *i.* V. 7.

Chartaceus, habens folia 360. ſæculi XVI. Eſt Liber octavus *phyſicorum* Aristotelis cum expoſitione *Domini Ludovici Bucaferrea Bononienſis*.

CODEX CDXXXIII. *i.* V. 9.

Membranaceus, ſæculi XV. foliis conſtans 90. eximio, atque eleganti ſcriptus charactere, aureis paſſim literis, atque venuſtioribus ornamentis præ-

Digitized by Google

præclarus, cum ſtemmate *Cardinalis a Ruvere*.

Habetur in eo *Ariſtotelis opus de anima a Joanne Argyropylo emendatione ultima elegantius cauſa Dominici Roborei Cardinalis Taurinenſis traductum*.

Interpretationis hujus ſecundo ab *Argyropylo* factæ nullam invenimus mentionem apud Albertum Fabricium *Bibliothecæ Græcæ* Tom. III. pag. 129. Multum vero diſcrepantem obſervavimus ab ea, quæ exſtat in editione Operum Ariſtotelis Græco-Latina *Caſauboniana*, & quæ in editione Latina *Pariſienſi* anni 1561. Diverſa quoque omnino eſt capitum ſectio, adeo ut prioris libri quatuor tantummodo capita in Codice noſtro numerentur. Initio præterea librorum præmittitur ſumma rerum, quæ ſingulis continentur.

Diſcrepantis interpretationis ſpecimen ſit ex libri primi capitulo II.

In edit. Pariſ.

Verum enim vero neceſſe eſt conſiderantes de anima, & de his dubitantes, ac ambigentes, quæ nos oportet præcedentes invenire atque percipere, in medium eorum antiquorum afferamus opiniones, qui de anima tractarunt aliquid, atque dixerunt.

In Cod. MS. Taurin.

At enim conſiderantes de anima: ſimulque de iis dubitantes: de quibus habere cum proceſſerimus facultatem oportet: antiquorum eorum opiniones: qui non nihil de anima diſſeruiſſe videntur: in medium afferamus neceſſe eſt.

In fronte totius Operis elegantiſſima habetur *Argyropyli* epiſtola ad Cardinalem Roboreum, cujus gratia interpretationem hanc accuratiorem ſuſceperat. Integram hìc ſubjicere non inutile fuerit, utpote quæ egregios Cardinalis mores exprimat, & mirabilem erga literas, & ſcientias ejuſdem propenſionem commendet.

„ Joannes Argyropylus Dominico
„ Roboreo Cardinali Taurinenſi ſalu-
„ tem perpetuamque felicitatem.

„ Meus erga te amor ſummaque
„ benivolentia Sapientiſſime Pater id
„ agere me optimo ſuo jure compel-
„ lit quod ni facerem: nemo homo
„ nimirum eſſet: qui non meum me
„ munus officiumque aut ignorare
„ aut negligere poſthabereque puta-
„ ret: quorum utrunque turpitudinem
„ non mediocrem prae ſe ferre nemo
„ eſt qui ignoret. Nam quid amor
„ affectat: quid benivolentia flagitat
„ ignorare nimium hebetis ſane ni-
„ mium vecordis hominis eſſe conſtat.
„ Et id quod benivolentiae ratio po-
„ ſtulat: quod e precordiis amoris
„ emergit negligere poſthabereque ejus
„ eſt profecto: cui res eadem placet
„ atque non placet: quique maximis
„ in rebus honeſtiſſimiſque ſuapte ſpon-
„ te delinquit. Omitto mutuae beni-
„ volentiae mutuique amoris merita
„ juraque referre: quibus ſi quiſpiam
„ quoad vires ſuppetunt haud reſpon-
„ deat: ingratitudinis obnoxius iniqui-
„ tatiſve crimini non injuria fuerit:
„ a quibus humana probitas ingenui-
„ que mores potiſſimum abhorrere vi-
„ dentur. Tu vitae talem tenere pul-
„ cerrime curſum inſtituiſti: ut do-
„ meſticis rebus familiaribuſve bene
„ lauteque diſpoſitis partim ampliſſimi
„ magiſtratus officio munereque cete-
„ ris hominibus vivas: partim in lit-
„ terarum tibi ſtudiis doctriniſque no-
„ biliſſimis ſatisfacias: utranque ſum-
„ mam vivendi rationem complexus.
„ In qua tibi me quoque comitem at-
„ que ſocium aſciviſti: non inſcius
„ ſtudia quibus incumbimus expedi-
„ tius exactius hoc pacto meliuſve
„ fieri poſſe. Ego qui res omnes hu-
„ manas optimo fine ſublato: vanas
„ eſſe nihili pendendaſque ſemper pu-
„ tavi: cujus illa ſententia perpetua
„ fuit: hominem utriuſque vitae ra-
„ tionem complexum: oculis utriſque
„ praedito corpori: carentem altera
„ luſco: praeſtantiore dextro aſpectu:
„ inferiore ſiniſtro: expertem utriuſ-
„ que ceco penitus perſimilem eſſe.
„ Cui religio Sanctiſſima noſtra no-
„ bis

Digitized by Google

„ bis oblata divinitus: hac quoque
„ ratione quod perornatos perfectoſ-
„ que homines utroque vivendi modo
„ ſuis pulcerrimis legibus inſtitutiſque
„ reddere tam naturae quam opifici
„ ſuo conatur: vehementer placet:
„ quem denique praeter honeſtatem
„ omnino ſapientiaeque ſtudia nihil
„ delectat: quid erga te faciam quae-
„ ſo quid agam: quod ad utroſque
„ nos accomodatiſſimum fuerit: tum
„ inſtante urgente compellenteque amo-
„ re: tum inſtituto vitae perinde at-
„ que natura movente: & veluti re-
„ cta ratione jubente. Nonne id om-
„ ne quod affectas modo nobis facul-
„ tas aſſit: ut non inepti videamur:
„ non ignari penitus rationis: alia
„ quaevis offerentes non ea quibus eſt
„ opus. Nonne id omne quod ad
„ exoptatum hominis finem facile con-
„ ſequendum tibi conducere poteſt: ad
„ quem jam ipſe toto ſtudio conatu-
„ que pergis. Succurrere porro quoad
„ vires mihi ſuppeditant: praeclariſſimis
„ ac honeſtiſſimis tuis ſtudiis: ope-
„ ramque tibi dare frequentem: ceteris
„ rebus neglectis atque poſthabitis:
„ opere pretium eſſe duxi: atque tibi
„ vias itineraque quibus ad felicita-
„ tem humanam beatitudinemque re-
„ cta pergitur: demonſtranda eſſe pu-
„ tavi. Tecum una mihi legendos eſ-
„ ſe Scriptores, & Auctores bonarum
„ artium pervolutandoſque cenſui,
„ evocandam in lucem eſſe veritatem
„ in illis incluſam omnem exiſtimavi.
„ Differendi denique facultatis formu-
„ las ac rationes deguſtandas: haud
„ poſthabendas eſſe dijudicavi: ſine
„ quibus inveſtigatio veritatis percep-
„ tioque recta minime fieri poteſt.
„ Quocirca nec id ſane negligendum
„ eſſe cenſui: quod quidem haud me-
„ diocriter ſine dubio nobis conferet
„ ad id ad quod tendere maximopere
„ cupimus. Ariſtotelis inquam illius
„ noſtri praeſtantiſſimi Philoſophi ſum-
„ mique artificis opera nonnulla bo-
„ norum omnium ſola meo judicio
„ fontes: unde finis humanus emanat:
„ elegantius nunc traducere: tibique
„ offerre: ab eo potiſſimum initio
„ ſumpto: quo ſcientia de anima tra-
„ ditur. qua plane non modo cetero-
„ rum omnium animantium: ſed no-
„ ſtrum etiam exactiſſime naturam:
„ humaneque felicitatis originem cau-
„ ſas principia fonteſque percipere
„ poſſumus. Nam ut te non praete-
„ rit: utrunque curae non injuria no-
„ bis eſſe: nos jam diu ſtatuimus:
„ rerum inquam notitiam: tam earum
„ quae nullius egent operae noſtrae:
„ quam earum quarum nos auctores
„ ſumus: quaeque ſub poteſtate no-
„ ſtra ſunt collocatae: & elegantiam
„ linguae: dicendi rationem: delectum
„ verborum: ornatum venuſtatem ac
„ copiam: quo res ſententiaeque di-
„ ctioni: & rebus ſententiiſque dictio
„ ſit conveniens atque accomodata:
„ ſi ſenſis orationes: ſenſa rebus ac-
„ comodanda ſint: ut tum ipſorum
„ ratio naturaque tum inſtitutio ſa-
„ pientum hominum expetit efflagitat
„ atque expoſcit. Non enim ii nobis
„ ut exemplaria ſint proponendi: qui
„ vel ornatu verborum utuntur ſine
„ notitia rerum: vel ſcientia praediti
„ ſunt: ſine peritia rationis dicendi.
„ Inſignis profecto turpitudinis eſt
„ utrunque tam vane quam prave
„ loqui, quamquam alterum: vel im-
„ potentiae forte fortuna, vel ſegni-
„ ciei ratione: ſecundum potius
„ eſt expetendum. Conjungamus
„ nos ea quae conjungenda omnino
„ ſunt, non ea quae ſine dedecore
„ ſuo poteſt unquam conjungere ne-
„ mo. ac ſapientiam ab elegantia le-
„ pore venuſtateque verborum oratio-
„ niſque non ſeparemus. Hanc igitur
„ operam ipſe mea ſententia non in-
„ honeſtam non inutilem non inju-
„ cundam, non a communi noſtro
„ propoſito: non a mutua noſtra be-
„ nivolentia diſſidentem ac abhorren-
„ tem: dandam eſſe quaſi lege qua-
„ dam aſſiduam a me tibi frequentem-
„ que

Digitized by Google

„ que cenſui ſtatui definivi. atque
„ adeo : ut niſi naturae neceſſitudo :
„ nulla vis eam nobis adimere poſſit.
„ Quae cum ita ſint : opus Ariſtote-
„ lis de anima : veluti noſtrae quan-
„ dam operae partem : elegantius ul-
„ tima nunc emendatione limatiuſve
„ cauſa tui traductum, uti materies
„ fert : ratioque praeſcribit interpre-
„ tandi (non enim in talibus amplus
„ campus conceditur) tibique a no-
„ bis oblatum : legere aggrediare bo-
„ na fortuna. Habebis & nos in hoc
„ etiam legendo percipiendoque: quo-
„ niam ita voluimus ac inſtituimus:
„ comites : adjutores ac duces: non
„ pigros quidem : non inertes: non
„ ſegnes : ſed ad omnem promptiſſi-
„ mos ſubeundum laborem : fructus
„ cujus : is conſequendus eſt tibi fi-
„ nis: ob quem natura te procreavit:
„ opifexque rerum Deus : tot tantiſ-
„ que viribus facultatibuſque conde-
„ coravit. Vale pluſquam dimidium
„ animi mei. & tibi perſuade mihi te
„ cariorem neminem eſſe.

CODEX CDXXXIV. *i.* V. 10.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 62. ſæculi XIV. in quo

Summa Ægidii Romani *Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini ſuper librum Ariſtotelis de generatione.*

CODEX CDXXXV. *i.* V. 11.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 41. ſæculi XV. mutilus fine, in quo

Quaeſtiones in libros tres Ariſtotelis de anima magiſtri cujuſdam Blasii.

CODEX CDXXXVI. *i.* V. 12.

Chartaceus, folia habens 74. circa finem ſæculi XIV. Eſt Severini Boetii *liber de conſolatione philoſophiæ* cum adnotationibus *interlinearibus*.

CODEX CDXXXVII. *i.* V. 13.

Chartaceus, duplici columna exaratus, habens folia 62. ſæculi XV. Eſt *Logica* Pauli Veneti *Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini*.

CODEX CDXXXVIII. *i.* V. 14.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 54. ſæculi XV. Ejuſdem Paulli Veneti *ſummularum liber*.

CODEX CDXXXIX. *i.* V. 15.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, cui folia 7. ſæculi XIV. in quo

Tractatus Joannis Scoti *de primo rerum principio*.

CODEX CDXL. *i.* V. 16.

Membranaceus, duplici exaratus columna, foliis conſtans 142. ſæculi XIV. omnia fere complectitur Aristotelis opera ad Phyſicam facultatem ſpectantia, ordine ſequenti.

Fol. 1. Libri tres *de anima*.
Fol 17. Libri VIII. *Phyſicorum*.
Fol. 57. Liber de *ſenſu & ſenſato*.
Fol. 64. Liber de *ſomno & vigilia*.
Fol. 78. Liber de *memoria & reminiſcentia*.
Fol. 79. *pagina* 2. Libri duo de *generatione & corruptione*.
Fol. 92. Libri IV. *meteororum*.
Fol. 118. *pagina* 2. Liber de *motu animalium*
Fol. 119. *pagina* 2. Libri de *Cælo, & mundo*
Fol. 139. *pagina* 2. *De differentia ſpiritus & animæ*.

CODEX CDXLI. *i.* V. 17.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 160. ſæculi XV. *lectiones* continet *ſuper libros Prædicabilium*

Præ-

Digitized by Google

Prædicamentorum, *Peribermenias*, *Priorum*, *Posteriorum*, *Topicorum*, & *Elenchorum Aristotelis*, JOHANNIS DE MONTE *in Burgundorum collegio publici lectoris*, quæ in calce codicis scriptæ fuisse diduntur anno MCCCCLXXX.

CODEX CDXLII. *i.* V. 17.

Chartaceus, duplici scriptus columna, folia habens 171. sæculi XV. Eædem habentur ibi JOHANNIS DE MONTE prælectiones, eodemque anno scriptæ.

CODEX CDXLIII. *i.* V. 18.

Membranaceus, constans foliis 133. sæculi XV. BURIDANI *quæstiones logicas* exhibet, quibus nonnulla in fine addita sunt de *Cælestium corporum motu*, ejusque legibus, nec non aliis rebus ad Physicam scientiam spectantibus.

CODEX CDXLIV. *i.* V. 19.

Chartaceus, duplici columna exaratus, foliis constans 99. sæculi XV. Quæstiones continet *Magistri* FRANCISCI DE MANBRES *Tholosani*, & *Canonici Barcinonensis*, in libros *Physicorum Aristotelis*.

CODEX CDXLV. *i.* V. 20.

Chartaceus, duplici scriptus columna, folia habens 121. sæculi XV. in quo

JOHANNIS BURIDANI *quæstiones in libros Physicorum Aristotelis*.

CODEX CDXLVI. *i.* V. 21.

Chartaceus, cui folia 69. sæculi XVI. Sunt *lectiones* PICOLOMINEI *in libros Aristotelis de anima*.

CODEX CDXLVII. *i.* V. 22.

Chartaceus, constans foliis 72. sæculi XV. in quo

Logica ALBERTI DE SAXONIA *Halberstadiensis Episcopi*.

CODEX CDXLVIII. *i.* V. 23.

Chartaceus, folia habens 346. sæculi XVI. hunc in fronte gestat titulum: *Philosophiae Peripateticae tomus VI.* Continet scilicet

Fol. 1. duodecim libros de *corpore mixto*, in quibus multæ lacunæ.

Fol. autem 285. Commentaria in libros ARISTOTELIS *de Cælo*, nec non in duos libros de *generatione*, & *corruptione*, tum in libros de *anima*, præmissa singulis præfatione. Ceterum autoris nomen desideratur.

CODEX CDXLIX. *i.* V. 24.

Chartaceus, duplici scriptus columna, foliis constans 225. sæculi XV. deficiens in fine.

Continentur in eo JOHANNIS BURIDANI *Logicæ tractationes, fusiori stylo pertractatæ*.

CODEX CDL. *i.* V. 25.

Membranaceus, duplici exaratus columna, sæculi XV. ineuntis, & stemmate insignitus *Cardinalis a Ruvere*, constat foliis 110. Habentur ibi *quæstiones*, sed mutilæ fine, ANTONII ANDREÆ *Ordinis Minorum* in libros *Metaphysicorum Aristotelis*.

CODEX CDLI. *i.* V. 26.

Membranaceus, sæculi XV. perquam nitidi characteris, & duplici stemmate ornatus, priori quidem *Cardinalis a Ruvere*, altero vero *Ducis* fortasse *Clouceſtrensis*, habet folia 184. Sunt in eo decem libri PLATONIS de *optimo statu Reipublicæ*, ex nova interpretatione *Petri Candidi Decembris*.

Universum quidem opus *Humfredo Duci Clouceſtrensi* inscriptum est; nonnulli tamen peculiares libri aliis illu-

Digitized by Google

ſtribus viris inſcripti leguntur, uti quintus *Johanni Amedeo Mediolanenſi Juriſconſulto*, ſextus *Alphonſo Hiſpano Burgenſi*, decimus *Franciſco Pigolpaſſo Antiſtiti Mediolanenſi*.

Multæ autem initio præeunt epiſtolæ, quarum titulum, & initia afferre iuvat, cum lucem nondum aſpexerint, atque in Bibliothecarum pluteis una cum ipſis *de Republica* libris adhuc deliteſcant.

I. quidem *Domini* FRANCISCI PIGOLPASSI *Mediolanenſis Archipreſulis ad Illuſtriſſimum, & litteratiſſimum Principem Dominum Ducem Clouceſtrenſem in traductione noviſſima totius Platonice Politie epiſtola*.

Incipit. *Cum dudum Illuſtriſſime Princeps, & clariſſime Domine pro tui nominis & regiarum virtutum tuarum fama percelebri animus meus ad te inclinatus eſſet & deditus &c.*

Hac nimirum epiſtola rogatus a Candido Pigolpaſſus interpretationem operis *Humfredo* commendat, quintumque librum ſpeciminis gratia exhibet, enixe rogans, ut interpretem patrocinio ſuo favere pergat.

II. *P. Candidi Decembris ad Illuſtriſſimum, & litteratiſſimum Principem Dominum Ducem Clouceſtrenſem Fratrem ſereniſſimi & invictiſſimi Domini Henrici Regis Anglie & Francie ſuper nova traductione totius Politie Platonice feliciter incipit epiſtola*.

En illius initium. *Clariſſima apud Italos omnes virtutis tue fama percrebuit Princeps Illuſtriſſime ita ut ignotam facie tuam excellentiam omnes litterati apud nos viri fama noverint &c.*

III. *Illuſtriſſimi & litteratiſſimi Principis Domini Ducis Clouceſtrenſis ad P. Candidum ſuper oblata traductione epiſtola reſponſiva*.

Incipit. *Ea nobis ſemper ſententia fuit Candide noſter ſuaviſſime tota mente complecti virtuoſos illos viros qui nos appeterent &c.*

IV. *Illuſtriſſimi & litteratiſſimi Principis Domini Ducis Clouceſtrenſis ad P. Candidum de eadem traductione*

In hac nimirum epiſtola non reſpondet Dux Clouceſtrenſis Petro Candido, ut exiſtimavit autor *Bibliothecæ Scriptorum Mediolanenſium*, ſed cauſſam potius poſtulare videtur, cur peculiarem librum alii inſcripſiſſet, & ad opus celeriter perficiendum eum hortatur. Incipit autem:

Ut alias noſtris tibi ſcripſimus vir ſuaviſſime ſuper omnia gratum nobis fuit quod obtuliſti de vertenda nobis nomini noſtro Republica Platonis &c.

V. *P. Candidi Decembris ad Illuſtriſſimum & litteratiſſimum Principem Dominum Ducem Clouceſtrenſem epiſtola reſponſiva*. Incipit: *Sicuti viatori in eſtu laboranti ameniſſimarum arborum umbra jocunda eſt, & ſibilantis aure molior procella delectat vagantes & ut ſiti confectum clariſſimi fontis lapſus exhilarat &c.*

Sequuntur deinde librorum omnium argumenta, & capitum elenchus, ipſique de *Republica* decem libri, quorum ſingulis præfatio interpretis præmittitur, vel Clouceſtrenſi Duci, vel aliis, ut ſupra dicebamus, inſcripta.

Ad calcem codicis iterum binæ leguntur epiſtolæ: *Humfredi Ducis* prima in totius operis jam perfecti commendationem, ſcripta *Londini Kalend. Aprilis anno* 1439. poſterior ipſius *Candidi*, dum opus jam abſolutum ad Humfredum tranſmitteret.

Eoſdem libros MSS. ex eadem interpretatione *Petri Candidi Decembris* ſervari in *Bibliotheca Ambroſiana*, cum tradit Albertus Fabricius tom. II. pag. 50. *Bibliothecæ Mediæ, & Infimæ Latinitatis*, tum nos docet autor *Bibliothecæ Scriptorum Mediolanenſium* tom. I. pag. 300.

CODEX CDLII. *i.* V. 27.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, conſtans foliis 173. ſæculi XV. Permultas quæſtiones complectitur in libros *Phyſicorum* ARISTOTELIS, ſine auctoris nomine.

CO-

Digitized by Google

CODEX CDLIII. *i.* V. 28.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 256. ſæculi XV. in quo.

Explanatio ALBERTI MAGNI *ſuper octo libros Phyſicorum.*

CODEX CDLIV. *i.* V. 30.

Chartaceus, habens folia 157. ſæculi XVI. *Lectiones* continet in varios ARISTOTELIS libros tam Logicos, quam Phyſicos, FRANCISCI THEGII *Lectoris in Papienſi Academia.*

CODEX CDLV. *i.* V. 31.

Chartaceus, duplici exaratus columna, foliis conſtans 128. ſæculi XV. Habentur primo

Quæſtiones in libros Metaphyſicorum ARISTOTELIS, prætermiſſo autoris nomine.

Fol. deinde 85. *Auctoritates ſeu concluſiones philoſophiæ naturalis, & moralis*, ignoti pariter autoris.

CODEX CDLVI. *i.* V. 32.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 83. ſæculi XV. GUALTERII *expoſitiones* amplectitur *ſuper univerſalia, ſuper librum praedicabilium Porphyrii, ſuper librum praedicamentorum, ſuper ſex principia, & librum Perihermenias.*

Fol. 76. Ejuſdem quæſtio de *univerſalibus.*

CODEX CDLVII. *i.* V. 33.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, cui folia 195. ſæculi XV. Sunt ibi quæſtiones in octo libros *Phyſicorum*, in libros de *Cælo, & mundo*, de *generatione*, & *corruptione*, *Meteororum*, de *anima*, de *ſenſu*, & *ſenſibili*, de *ſomno*, & *vigilia*, ac de *reminiſcentia*, omiſſo autoris nomine.

CODEX CDLVIII. *i.* V. 36.

Membranaceus, conſtans foliis 65. ſæculi XIV. optimæ notæ, nitidique characteris.

Eſt SEVERINI BOETII *liber de conſolatione philoſophiæ.*

CODEX CDLIX. *i.* V. 39.

Membranaceus, duplici exaratus columna, folia habens 202. ſæculi XIV. optimæ notæ, atque lectionis, in quo

GUALTERI DE BRUGIS *Ordinis Minorum, & Pictavienſis Epiſcopi tabula*, quæ, ſi recte conjicimus, eadem omnino eſt, quæ recenſetur a Bunderio in *Indice librorum MSS. per Belgium*; nempe *tabula originalium nominum ſuper univerſam ſcripturam MS. in Bodeloenſi Cœnobio, & in Bibliotheca Toletana Fratrum Minorum*: cujus initium: *Abel eſt nomen ſignificans luctum*. Ab eodem enim *Abel* incipit etiam codex Taurinenſis. Refert præterea Oudinus tom. III. pag. 565. aliam ejuſdem autoris *tabulam Theologiæ*, cujus mentionem facit etiam Thomaſinus in catalogo *Bibliot. Patavinarum.*

CODEX CDLX. *i.* V. 40.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, cui folia 83. ſæculi XV. Continet ALBERTI MAGNI *de proprietatibus rerum* libros ſex priores, & initium libri ſeptimi.

CODEX CDLXI. *i.* V. 41.

Chartaceus, ſæculi XV. habens folia 48. optimæ lectionis, in quo

Liber de vita, & moribus philoſophorum, ut in codice *i.* IV. 23.

CODEX CDLXII. *i.* VI. 5.

Membranaceus, optimi characteris, atque ſatis concinne ornatus, ſæculi XV. conſtans foliis 152. Habentur in

Digitized by Google

co VALERII MAXIMI dictorum, factorumque memorabilium libri novem, præmisso librorum, & capitum elencho. Additæ sunt perbreves adnotationes in margine, nec non intra textum; in fine autem tabulæ sex astronomicæ.

CODEX CDLXIII. *i.* VI. 6.

Membranaceus, sæculi XV. cui folia 177. elegantissimus, aureisque literis nitens, eosdem continet VALERII libros, quibus præit amplissimus rerum index alphabeti ordine.

Ad calcem indicis hæc leguntur:

Paulus Ziliolus edidit.

Hi septem existunt quos inclyta Graecia semper
Praedicat: & laudes ipsorum ad sydera tollit,
In primis clarum Prienensem laude Biantem
Post quem Thaletem. hunc tellus Milesia gignit.
Atticus insequitur Solon: qui ut patria musas
Dum fuit imperium coluit: sic iste regebat
Mortales animas: aures & pectora saeva
Mulcebat, famaque sua Mitylenen ad astra
Pittacus eduxit. Se se Lacedaemone cretum
Laetatur Chilon, in qua Mars nempe vigebat,
Reddebat validam bellis armisque superbam:
Succedit Periander laude Corinthius istis,
Lindius extremus sit deinde Cleobulus illis.

Post hos versus habentur deinde nonnulla de variis officiis, atque dignitatibus *Romanorum*.

CODEX CDLXIV. *i.* VI. 7.

Chartaceus, constans foliis 228. sæculi XV. in quo iterum VALERII MAXIMI *memorabilia*, ut in superioribus, scripta *per Gherardum*, quemadmodum legitur in fine codicis.

Additæ sunt in margine aliquot adnotationes.

CODEX CDLXV. *i.* VI. 10.

Membranaceus, sæculi XIV. duplici columna, & nitidissimo charactere exaratus, variisque ornamentis, & aureis literis innumeris insignitus, nec non iconibus affabre pictis, quibus res subtus descriptæ quasi oculis subjici videntur, constat foliis 219. Continet autem libros XVII. priores *Historiæ Naturalis* CAII PLINII SECUNDI, nonnullis præmissis de *Plinii* vita ex *Suetonii* libro *de viris illustribus*.

Instituta comparatione cum editione anni 1723. *ad usum Delphini*, nonnullas observavimus variantes lectiones. Habe specimen ex libri II. capite 1.

In edit.
Cujus circumflexu teguntur cuncta.
In Cod.
Cujus circumflexu degunt cuncta.
In edit.
Ipse totum: finitus & infinito similis.
In Cod.
Ipse totum infinitus; & infinito similis.

Multis etiam in libris diversa est capitum sectio, adeo ut E. G. capitulum 4. citati libri II. sit in nostro codice distinctum in tria capita, I. *de quatuor Elementis*, II. *de septem planetis*, III. *de Sole*.

Fuit primum hic codex *Ducis Berritani*, ut in fine notatum legimus, postea vero EMMANUELI PHILIBERTO dono datus a Pingonio, ut patet ex epigraphe, quæ in fronte libri posita est.

Divo. Eman. Philiberto.
Allobrogico. Inalpino. Subalpinoque.
Plinii hos geminos codices
Vetustate Conspicuos
Philibertus A Pingon
Antiquitatis cultor
D. D.

CO-

Digitized by Google

CODEX CDLXVI. *i.* VI. 11.

Membranaceus, cui folia 206. duplici columna, & eadem prorſus, qua ſuperior, concinnitate deſcriptus, poſtremos complectitur XIX. *Hiſtoriæ Plinianæ* libros.

Deſunt nonnulla in fine libri XXIII. & initio XXIV. tum in fine ultimi, quæ tamen pauca ſunt.

CODEX CDLXVII. *i.* VI. 12.

Membranaceus, habens folia 526. ſæculi XV. quo non elegantior alter, ſeu membranæ candor, ſeu characteris nitor, ſeu ornamentorum lauta ſupellex conſideretur. Eoſdem exhibet *Hiſtoriæ Naturalis* CAII PLINII libros omnes una cum duabus, quæ præmittuntur, ejuſdem epiſtolis, in quibus de avunculo ſuo multa differit: his ſubjicitur vita ipſiusmet *Plinii* ex Suetonio, ut in editione Pariſienſi.

Eadem, quam ſupra notavimus, eſt hìc varia capitum ſectio. Singulorum autem librorum initio, multo circumducto auro, variiſque coloribus delineatæ conſpiciuntur figuræ ad repræſentandam libri materiam accommodatæ, adeoque concinnæ tum artificio, tum venuſtate, ut mira jucunditate intuentium oculos perfundant.

CODEX CDLXVIII. *i.* VI. 13.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, conſtans foliis 319. ſæculi XIV. finem verſus, optimæ notæ, duabus initio imagunculis, & ſtemmate gentilitio inſignitus, in quo

ALBERTI MAGNI *libri de animalibus*, ſive, ut legimus in fine, *Opus naturarum*.

Porro quum libri XXVIII. in Codice noſtro numerentur, dubium ſtatim animo occurrit, num aliquid amplius eo contineretur, quam in editis exemplaribus, in quibus libri tantum XXVI. Et quidem facta diligenti, accurataque cum editis comparatione, non aliam contigit animadvertere diſcrepantiam, quam in priorum librorum diviſione, qui quum pluribus tractatibus veluti libri ejuſdem partibus conſtent, facile librarius pro tractatu II. librum II. ſcribere potuit, atque ita librorum numerum augere.

CODEX CDLXIX. *i.* VI. 14.

Membranaceus, duplici exaratus columna, habens folia 371. ſæculi XV. literis initialibus auro, varioque colore delineatis, atque ſtemmate gentilitio ornatus, eoſdem libros ALBERTI MAGNI complectitur *de animalibus*, ſed numero XXVI. ut in editione.

CODEX CDLXX. *i.* VI. 15.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, cui folia 322. ſæculi XV. Sunt libri viginti *de rerum proprietatibus* ALBERTI MAGNI: opus ſane a ſuperiori *de animalibus* omnino diſtinctum, contra quam ſenſit Eccardus in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Præd.* tom. I. pag. 183. Recenſens enim binos MSS. codices ex *catalogo Anglicano*, quibus eſt titulus *de natura & proprietatibus rerum*, cum libris *de animalibus* eos confundit.

CODEX CDLXXI. *i.* VI. 16.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, conſtans foliis 117. ſæculi XV. *Quæſtiones* complectitur ALBERTI DE SAXONIA *ſuper libros Ariſtotelis de Cœlo & mundo*, nec non *de generatione & corruptione*.

CODEX CDLXXII. *i.* VI. 17.

Chartaceus, duplici exaratus columna, habens folia 70. ſæculi XV. in quo

BURLEI *Logica*, ſeu commentaria in libros omnes ARISTOTELIS ad Logicam ſpectantes.

CO-

Digitized by Google

CODEX CDLXXIII. *i.* VI. 18.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, conſtans foliis 98. ſæculi XV. Sunt in eo

Lectiones PAULLI VENETI *Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini ſuper libros Poſteriorum Ariſtotelis.*

CODEX CDLXXIV. *i.* VI. 19.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, cui folia 118. ſæculi XV.

Eaſdem PAULLI VENETI continet *lectiones in libros poſteriorum.*

CODEX CDLXXV. *i.* VI. 20.

Chartaceus, ſæculi XVI. conſtans foliis 281. Habentur in eo

Lectiones JACOBINI MALAFOSSII DE BARGIIS *Ordinis Minorum publici Metaphyſicæ Lectoris in Patavino gymnaſio ſuper prologum Scoti, & priores diſtinctiones ejuſdem.*

In fine vero pauca Gallico ſermone habentur de *phlebotomia.*

CODEX CDLXXVIII. *i.* VI. 23.

Chartaceus, duplici exaratus columna, foliis conſtans 284. ſæculi XV. appicto ſtemmate gentilitio, in quo BAPTISTÆ DE FABRIANO *Ordinis Prædicatorum quæſtiones ſuper Organum*, ſeu libros omnes logicos ARISTOTELIS, addita explicatione diſtinctionis *in ſenſu compoſito, & diviſo*. Memorantur ab Eccardo in *Bibliotheca Scriptorum Ord. Præd.* tom. 1. pag. 847.

CODEX CDLXXIX. *i.* VI. 24.

Chartaceus, ſæculi XVI. conſtans foliis 433. ubi *lectiones* JACOBINI MALAFOSSII *ſuper libros Metaphyſicorum*, additis nonnullis ejuſdem commentationibus in *Scotum.*

CODEX CDLXXX. *i.* VI. 25.

Chartaceus, ſæculi XVI. habens folia 483. Sunt in eo TIMOTHEI *Veronenſis Canonici expoſitiones in logicam Paulli Veneti.*

CODEX CDLXXXI. *i.* VI. 26.

Chartaceus, conſtans foliis 115. ſæculi XVI. in quo RAYMUNDI LULLI LOGICA.

CODEX CDLXXXII. *k.* II. 7.

Chartaceus, ſæculi XV. habet folia 191. in quo

SERVII GRAMMATICI *Expoſitio ſuper Buccolicis P. Virgilii Maronis*

Fol. 119. *Excerpta ex commentario* SERVII *ſuper libris Eneydos.*

In fine

Ego Dominicus Carrolus tranſcripſi.

CO-

Digitized by Google

CODEX CDLXXXIII. k. II. 8.

Chartaceus, conſtans foliis 196. ſæculi XV. continet Ovidii *Metamorphoſeon libros* XV. Sunt paſſim adnotationes cum intra textum, tum in margine.

CODEX CDLXXXIV. k. II. 9.

Chartaceus, conſtans foliis 139. ſæculi XV. in quo

Anonymi interpretis commentarius in libros *Metamorphoſeon* Ovidii, cujus initium: *Repletus quaſi flumen ſapientia &c.*

CODEX CDLXXXV. k. II. 13.

Membranaceus, habens folia 248. elegantiſſimus tum ob characterem, tum ob varios aureos ornatus, ſæculi XV. Statii Papinii *Thebaidos libros* XII. complectitur.

Fol. 1. hæc legitur inſcriptio:

Antiquitatis ergo Pingoniana in Bibliotheca Statii Papinii Thebaidos libri XII. *reſervantor.*

Inſcriptioni additur *Stemma Pingonianum*, rudi tamen fictum penicillo.

CODEX CDLXXXVI. k. II. 15.

Membranaceus, conſtans foliis 72. ſæculi XV. charactere, & ornamentis præſtantiſſimus, in quo Junii Juvenalis *Satyrarum libri* V.

CODEX CDLXXXVII. k. II. 16.

Chartaceus, cui folia 112. ſæculi XV. eſt commentarius in *libros ſatyrarum* Junii Juvenalis, ſine autoris nomine. Præmittitur Poetæ vita, quæ incipit: *Junius Juvenalis Aquinas fuit &c.*

In fine

Frater Urbanus de Aycardis de Burgo Franco Ord. Min. hunc librum aquiſivit anno Domini 1508. *die* XII. *menſis Auguſti.*

CODEX CDLXXXVIII. k. II. 20.

Chartaceus, ſæculi XV. habens folia 72. continet *Vitam* Alexandri Magni, numeris poeticis ſcriptam, autore quodam Juliano, de quo in fine poematis. Eſt ei titulus Alexandreidos. Præmittitur præfatio verſibus elegiacis colligata, cujus initium.

Incipit liber Alexandri Imperatoris.

Poſt Habrae legem qua circumciſus habetur
Quatuor in mundo Regna fuiſſe ferunt.
Egypti primum poſt id fuit Aſſiriorum
Hinc Grecum ſequitur, Roma ſit inde caput &c.

Autor poſtea aggreditur Alexandri hiſtoriam, quam in capita tribuit, & anilibus fabulis paſſim ornat. Abſoluto poemate, octo ſubiiciuntur verſus, ex quibus & *Poetæ* nomen, & ætas, qua ſcripſit, non ægre dignoſcitur.

Hiſtoriam dictam dictavit nomine quidam
Qui Julianus erat nomine dictus Hoſpes.
Poſt natum Criſtum ſunt anni mille ducenti
Terque duodeni quando ſit iſtud opus.
Et correxit opus anno durante ſecundo
Ut ſibi dictandi Muſa magiſtra dedit.
Gregorius nonus tunc Petri ſede ſedebat.
Romanus Princeps tunc Fredericus erat.

Tandem notatur annus, quo codex ſcriptus fuit, & ſcribæ nomen.

Deo gratias Amen.

Anno Domini 1475. *die* 25. *Auguſti finitum fuit hoc opus per me Stephanum de Rapaluto hora tertiarum.*

In fine nonnulla ludicra adduntur, ſed nullius momenti, partim Gallico, partim Italo ſermone exarata.

CO-

Digitized by Google

CODEX CDLXXXIX. k. II. 23.

Chartaceus, conſtans foliis 223. ſæculi XV. in quo JOANNIS MICHAELIS PINGONII *Civis Romani & Poetæ Laureati* ad PHILIBERTUM *Sabaudiæ Ducem*, hujuſce nominis ſecundum, *Panagiris*, carmine herojco exarata, cujus initium:

Arma Philiberti deſcribimus ore canoro
Clara Ducis. Quantumque parens regione Philippus
Geſſit in Auſonia. Bis victa Neapolis idem
Approbat: inſignes genitoris laudat & auſus
Parthenope. Vultumque Patris commendat Equeſtrem:
Et quantum Solymi tollunt ad ſydera campi
Illuſtres proavos: & avos: celebreſque nepotes
Laudibus innumeris: antiqua Sabaudia priſcis
Quos genuit decorata notis. Pulchriſque Triumphis
Imperio ſubjecta tuo. Quotienſque vetuſtam
Iheruſalem: Sanctoſque lares animoſa redemit
Hoſtibus inviſis. Propter quod nobilis albam
Portat terra Crucem: Dominis inſigne Serenis.
Quid referam ulterius Dux inclyte bellica veſtra
Caſtra Ducum: votis patulum celebrata per Orbem &c.

Ad calcem Poematis adjecta eſt Poetæ vita, & ejuſmodi eſt.

„ Johannes Michael Pingonius natione Sabaudus, filius fuit viri clariſſimi Petri Pingonii, Sereniſſimorum Principum, Ducumque Sabaudiæ Conſiliarii, & Giriardæ a Rovenno conjugum. Natus Camberii Patriæ Metropoli anno MCCCCLI. menſe Martio. Hic cum ultimus fratrum eſſet Sacris deditus, & aliquot Sacerdotiis auctus, poſtquam bonis litteris, (ut ea ferebant tempora) Sabaudiæ, & Lutetiæ, patris exemplo, & opera inſtitutus fuiſſet: Romam tandem petiit: adeo profecit non fortunæ ſed ingenii dotibus, ut inter eruditos locum non infimum obtineret, eoque nomine & Pontificibus Innocentio III. Alexandro VI. Pioque III. & magnis aliis viris acceptiſſimus fuerit. Poeſim inter ceteras artes feliciter amplexatus eſt. Licet primum Leoninis delectaretur, ut ejus plurima vidi in eo genere argutiſſima carmina: & illud extat in tumulo paterno Camberii inſculptum prægrandi marmore.

Hic claro eſt Petrus de Pingon ſanguine cretus.
Hoc ſaxum nati tres poſuere Patri.
Lud. Pet. Michl.

„ Ita poſtmodum tamen rithmis relictis ſe recoquendum ſub viris doctis tradidit, ut in optimum vatem evaſerit, & Poeta laureatus Romæ magna cum ſua laude declaratus fuerit, Civitateque Romana ex Senatus Decreto, donatus. Hoc unum opus quod in manus noſtras pervenire potuit, eſto ſuæ eruditionis certum teſtimonium. Iſtud in nuptias Divorum Principum Philiberti Sabaudiæ Ducis octavi, & Margaritæ Auſtriacæ compoſuerat. Quæ nuptiæ celebratæ leguntur menſe Octobri anno MDI. Tunc quinquageſimum annum attingebat. Alia plurima ſcripſit, ut ex hoc veteri ſuo codice, ſed laceris chartis conjicitur. Obiit Romæ anno MDV. menſe . . . . magna ſui ſeculi, & ſuorum jactura. Cæterum a Ludovico Johannis Michaelis Ludovicus alter prodiit, ab hoc Philibertus, Ludovicus, Petruſque, qui fratres, primis annis Poeſis ſtudio Michaelem imitari tentarunt. Non tamen, ut vix quiſque alius, ſunt conſequuti. Vincat, ſi poſſit, poſteritas. Optanda ſemper in bonis

„ li-

Digitized by Google

„ literis melior victoria. Hoc pro Pa-
„ truo Philibertus Pingonius posuit.
„ Primus Iliffiades volitare Michael in urbem
„ Edocuit musas, quæ juga nostra colunt.
„ Lissia. Parnassusque biceps. Musæque Sabaudos
„ Nonne etiam decorant? Pingon id ipse docet.
„ Ergo Sabaude voles. vectus Philibertide penna.
„ Ille tuus vates. Te tua Roma manet.

CODEX CDXC. *k* III. 22.

Membranaceus, constans foliis 229. sæculi XV. in quo JOANNIS BOCATII *liber de casibus virorum illustrium*. Præmittitur index capitum, quæ auro undequaque fulgent. Plures etiam per totum codicem cernuntur aureæ imagunculæ, præter Regium stemma DOMUS SABAUDÆ.

CODEX CDXCI. *k*. III. 24.

Membranaceus, sæculi XV. habet folia 230. Est XITI POLENTONI *de claris Grammaticis. Oratoribus. Poetis. Historicis Latinis ad Polidorum filium liber*. Præit epistola, cujus initium: *Profitetur mi Polidore suavissime fili opus hoc ad te inscriptum vitas Scriptorum illustrium Latinę linguę &c.*.

Nil elegantius hoc codice, tum ob characteris venustatem, tum ob aureas icones, quibus passim ornatus est.

Opus in libros decem & octo tribuitur, neque hactenus usque lucem vidit, teste Alberto Fabricio in *Bibliotheca Mediæ, & Infimæ Latinitatis* tom. VI. pag. 3. MS. autem exstare in variis Bibliothecis, nos docet in *Bibliotheca Bibliothecarum* Bernardus Montfauconius pag. 110. 190. 485.

CODEX CDXCII. *k*. III. 26.

Chartaceus, cui folia 39. sæculi XIV. *Vitam* continet ALEXANDRI MAGNI ab *Anonymo* scriptam, & quidem rudiori calamo. Incipit: *Sapientissimi Egiptii scientes mensuram terre undasque maris & celestium ordinem cognoscentes &c.* Commentis ubique scatet.

CODEX CDXCIII. *k*. III. 30.

Chartaceus, constans foliis 206. sæculi XV. in quo *Cosmographia* PTOLEMÆI e Græco in Latinum sermonem a JACOBO ANGELO conversa. Præmittitur interpretis epistola ad ALEXANDRUM V. *Pontificem Maximum*.

Multa habet Albertus Fabricius de hac *Jacobi Angeli* interpretatione tom. IV. parte I. *Bibliothecæ Græcæ* pag. 403. Meminit etiam Julius Negri in sua *Scriptorum Florentinorum Bibliotheca* pag. 43.

Fol. 169. *Liber de natura locorum ex latitudine & longitudine ejusdem proveniente*. Incipit: *De Natura locorum que provenit ex latitudine &c.* Desideratur nomen autoris.

CODEX CDXCIV. *k*. III. 31.

Membranaceus, constans foliis 169. sæculi XIV. in quo DOMINICI SILVESTRI DE FLORENTIA *liber de Insulis & earum proprietatibus*.

MS. adservari etiam Florentiæ in *Bibliotheca S. Spiritus Ordinis S. Augustini*, scribit Julius Negri supra laudatus pag. 155. & quidem poeticis numeris conscriptum. In Codice autem Taurinensi soluta oratione exaratus est, adjecta præfatione, cujus initium: *Cum pluries mecum revolverem quot Johannes Boccatius de Certaldo concivis noster & Poeta preclarus montes & promontoria porrigentia se in mare descripserit. quot stagna lacus & flumina sua puppe transiverit. quot quantosque sinus & maria*

Digitized by Google

maria ornato ſuo navigio ſulcaverit, non ambigo &c.

In *Inſularum* deſcriptione utitur ordine alphabeti, & ab inſula *Abacia* exordium ducit hiſce verbis: *Abacia ſive Abbaltia ſeu Baltia ut in Plinio de Hiſtoria naturali legitur immenſe magnitudinis Inſula eſt in Europa &c.*

In fine hæc leguntur.

Hunc librum emi ego Jo. de Reate a Pictaccino feneratore cum pluribus aliis libris die ſeptima menſis Junii MCCCCXXI. Florentiæ.

CODEX CDXCV. *k.* III. 32.

Chartaceus, conſtans foliis 80. ſæculi XVI. in quo multa continentur opuſcula.

Fol. 1. JOHANNIS DE SACRO BOSCO tractatus de *Sphaera*.

Fol. 11. *Introductorium* ALCABICII *ad judicia aſtrorum interpretatum* a JOHANNE YSPALENSI.

Fol. 44. *Algoriſmus translatus* a JOHANNE DE SACRO BOSCO.

Fol. 53. MAGISTRI BENE DE BUSCO *Civis Bononienſis computus*.

Fol. 70. *Ratio Lunae perpetua*, tabulis ab *Anonymo* autore illuſtrata.

CODEX CDXCVI. *k.* III. 40.

Membranaceus, conſtans foliis 129. ſæculi XV. in quo NONII MARCELLI *de ſignificatione verborum* liber.

Elegantiſſimus, & auro fulgidus codex, ſtemmate præterea *Cardinalis a Ruvere*, variis perbelle picto coloribus, ornatus.

CODEX CDXCVII. *k.* III. 42.

Membranaceus, ſæculi XV. habet folia 329. Eſt PAPIÆ *Dictionarium*.

In fine.

Explicit liber Papie inceptus die X. Decembris. & compilatus die II. Octobris. P.

CODEX CDXCVIII. *k.* III. 43.

Membranaceus, conſtans foliis 75. ſæculi XIV. SIMONIS JANUENSIS *Synonyma* complectitur.

Eſt primum epiſtola ejuſdem *Simonis* ad *Campanum*, quæ incipit: *Domino ſuo precipuo Domino Magiſtro Campano Domini Pape Capellano Canonico Pariſienſi Symon infimus Subdyaconus &c. Opuſculum a vobis jam dudum poſtulatum cum quanta potui diligentia qualitercumque ad finem uſque perductum ingenio veſtro dirigere cenſui judicandum &c.*

Poſtea *Campani* epiſtola ad *Simonem*, cujus initium ita ſe habet: *Venerabili viro Magiſtro Symoni Januenſi Domini Pape Subdyacono &c. Campanus &c. grande donum nuper a caritate veſtra recepi per Religioſum virum &c.*

Has epiſtolas ſequitur *Simonis* præfatio, quæ incipit: *Optabat Gallienus diſcere & docere poſſe res ſine nominibus &c.*

Simonis Januenſis Synonyma Alchimiæ memorat Albertus Fabricius in *Bibliotheca Mediæ, & Infimæ Latinitatis* tom. VI. pag. 534. & MSS. ſervari notat in *Bibliothecis Medicea*, & *Sancti Gatiani Turonenſis*.

In fine.

Explicit Deo gratias. Et quod complevit pro domino Bartolameo Magiſtro Regio Capelano Venerabilis Patris Domini I. de Fliſco Sancte Marie in via lata Diaconi Cardinalis. Canonico eximie Eccleſie S. Laurentii.

CODEX CDXCIX. *k.* III. 44.

Membranaceus, conſtans foliis 88. ſæculi XIV. Habentur in eo primum MUNDINI *Synonyma abbreviata*.

In fine.

Hic finit Mundinus de Forojulii Auſtria civitate dicta Aquilegia in Studio Padue. Synonima breviata cum additionibus quibuſdam Anno MCCCXXI. die XI. Auguſti.

Fol. 43. *Graduarium Medicinarum Simplicium*

Digitized by Google

plicium editum a MOYSE ISILICA *Cordubenſi.*

Fol. 81. Ejuſdem MOYSIS *Liber de Regimine Sanitatis.*

In fine.

Hoc opus non inceptum ſed finitum fuit per me Bartholomeum Buctam de Cherio de anno MCCCCLXIX.

CODEX D. *k.* III. 45.

Membranaceus, habens folia 92. ſæculi XV. in quo MARCI VARRONIS de *Lingua Latina* Liber. Codex elegantiſſimus.

CODEX DI. *k.* III. 46.

Chartaceus, habens folia 180. ſæculi XV. in quo *de verborum ſignificatione*, ordine alphabeti, & ſine autoris nomine; ſed major pars libri periit.

Fol. 25. *De honeſtis Novorum & Veterum dictis*, prætermiſſo autoris nomine.

Fol. 72. Tractatus *de diverſis actionibus Nominum & Verborum*, alphabeti pariter ordine, & ſine autoris nomine.

Fol. 138. *De differentiis verborum*, eodem prorſus modo, eodemque *anonymo* autore.

CODEX DII *k.* III. 47.

Chartaceus, inſertis paſſim membranis, conſtans foliis 333. ſæculi XIV. Continet

Fol. 1. *Grammaticas Linguæ Latinæ Inſtitutiones*, non memorato autoris nomine.

Fol. vero 112. *Vocabularium Etymologicum Latinum*, ignoti pariter autoris, & mutilum fine.

CODEX DIII. *k.* III. 48.

Chartaceus, conſtans foliis 68. ſæculi XV. Eſt GASPARINI PERGAMENSIS *Ortographia.*

In fine.

Gaſparini ortographia feliciter explicit. fuit enim oriundus a Pergamo. ſub anno Domini MCCCCLXXVI. & pridie Idus Auguſti.

CODEX DIV. *k.* III. 49.

Chartaceus, habens folia 81. ſæculi XV. in quo

Etymologicon Latinum in alphabeti ordinem ab ignoto ſcriptore redactum.

CODEX DV. *k.* IV. 1.

Chartaceus, conſtans foliis 38. ſæculi XIV. mutilus principio, & fine, Chronica *Anonymi* cujuſdam complectitur, ducto exordio ab ANTONINO VERO uſque ad FRIDERICI imperium. Multæ ſunt tabellæ temporum hiſtoriam referentes, ſed rudi pictæ penicillo.

CODEX DVI. *k.* IV. 2.

Membranaceus, ſæculi XIV. habet folia 160. Eſt *Chronicorum* FRATRIS GUILLERMI DE NANGIS *Monachi S. Dionyſii in Francia* pars prima, continens res geſtas ab exordio Mundi uſque ad annum DXXIV.

Edidit hæc *Chronica* Lucas Dacherius Tom. III. *Spicilegii* pag. 1. verum ducto exordio ab anno duntaxat MCXIII. Et ſane ab hoc anno *Guilielmus de Nangis* hiſtoriam ſuam Chronologicam inchoavit, ut ipſemet teſtatur; nam quod ad antecedentium ſæculorum memorias profitetur aperte, ſe veſtigia *Sigiberti* perſecutum fuiſſe.

CODEX DVII. *k.* IV. 3.

Membranaceus, conſtans foliis 166. ſæculi XIV. Chronicorum de NANGIS pars ſecunda ab anno DXXIV. uſque ad annum MCCCLXVIII.

CODEX DVIII. *k.* IV. 4.

Chartaceus, ſæculi XVI. habet folia 121. Eſt HERMANNI CONTRACTI *Chronicon de ſex Mundi Ætatibus.*

Fol. 63. BERTHOLDI PRESBYTERI *Conſtantienſis Chronicon* ab HERMANNI CONTRA-

Digitized by Google

TRACTI *obitu usque ad annum* MC.

Fol. 102. WIPPONIS *Vita Chunradi Salici Imperatoris ad Regem Henricum Chunradi filium*, edita anno 1603. a Johanne Pistorio *Rerum Germanicarum* Tom. III.

In fine codicis legitur hoc Hexastichon, sine ulla epigraphe, & sine autoris nomine.

Laus tua, non tua fraus, virtus, non copia rerum
Scandere te fecit hoc decus eximium.
Pauperibus tua das, nunquam stat janua clausa,
Fundere res queris, nec tua multiplicas.
Conditio tua sit stabilis, non tempore parvo,
Vivere te faciat hinc Deus Omnipotens.

CODEX DIX. *k.* IV. 11.

Membranaceus, constans foliis 227. sæculi XIV. in quo PETRI COMESTORIS *Historia Scholastica*, præmissa Epistola ad *Guilielmum Archiepiscopum Senonensem*. Sunt passim in margine adnotatiunculæ, sed a recentiore scriba adjectæ.

CODEX DX. *k.* IV. 13.

Chartaceus, constans foliis 57. sæculi XV. in quo *Liber* APPARITIONUM B. M. V. In procœmio autem inscribitur, *Liber florum Celestis doctrinæ*, & a quodam JOHANNE MONACHO compositus dicitur.

CODEX DXI. *b.* IV. 14.

Chartaceus, habens folia 128. sæculi XV. in quo FRATRIS JACOBI JANUENSIS *Legenda Sanctorum*. Præmittitur historia *Passionis D. N. J. C.* Itala lingua concinnata, de qua V. Codicem *f.* I. 14.

Adjecta est in fine *Lunationum* tabula anni MCDI.

CODEX DXII. *k.* IV. 15.

Membranaceus, constans foliis 291. sæculi XIV. Est itidem FRATRIS JACOBI JANUENSIS *Legenda Sanctorum*, ad cujus calcem adjecta est miraculi cujusdam a S. FRANCISCO patrati historia.

CODEX DXIII. *k.* IV. 16.

Membranaceus, constans foliis 48. sæculi XIII. mutilus in fine, in quo *Vita, & acta Sanctorum*, sine autoris nomine: & quidem

Fol. 1. *Vita* S. ANIANI *Episcopi Aurelianensis*. Incipit: *Tempore illo cum Unnorum exercitus a partibus Orientis ad depopulandam omnem provinciam exisset. & sceleris illorum adversus Galliam jam dira procella detonaret Sanctus ac Beatissimus Anianus &c.*

Fol. 6. *Vita* S. BRIECCII, sive BRICII *Episcopi*, cujus initium: *Igitur post excessum B. Martini Turonice Civitatis Episcopi Summi & incomparabilis Viri. de cujus virtutibus magna apud nos volumina retinentur S. Bricius ad Episcopatum succedit* &c. Eadem, quæ in Codice *e.* VI. 21. & quæ apud Mombritium Tom. I. *fol.* 75.

Fol. 9. *Passio* S. CÆCILIÆ *Virginis & Martyris*, cujus initium: *Humanas laudes & mortalium insulas videmus aut aere inciso conscriptas; aut auro radiantibus litteris ad posteritatis memoriam commendatas* &c. Eadem, quæ in Codice *e.* VI. 21. & quæ apud Mombritium Tom. I. *fol.* 278.

Fol. 23. *Vita* S. CLEMENTIS. Incipit: *Tercius Romanae Ecclesiae praefuit Episcopus Clemens &c.* Eadem, quæ in Codice *e.* VI. 21.

Fol. 30. *Vita* B. EVASII *Episcopi & Martyris*. Incipit: *In die festivitatis erat B. Evasius in Lugdunea Civitate &c.*

Fol. 35. *De Natali* S. ANDREÆ APOSTOLI, cujus initium: *Passionem S. Andreae quam oculis nostris vidimus &c.* Vide Codices *e.* VI. 21. & *k.* IV. 18.

Fol.

Digitized by Google

Fol. 40. *De Natali* S. NICOLAI *Epiſcopi*. Incipit: *Nicolaus itaque ex inluſtri Proſapia ortus &c.*

CODEX DXIV. *k.* IV. 17.

Chartaceus, conſtans foliis 12. ſæculi XVII. in quo *Miſſa* SANCTISSIMÆ SINDONIS e Latino in Illyricum ſermonem converſa a FRATRE RAPHAELE LEVACOVICHIO *Croata Ordinis Minorum*, & VICTORIO AMEDEO I. SABAUDIÆ DUCI inſcripta. Scriptor *Ordinis Minorum* ignotus Wadingo.

CODEX DXV. k. IV. 18.

Chartaceus, conſtans foliis 83. ſæculi XIV. in quo DECOROSI PRESBYTERI *Vita & acta Apoſtolorum, & Evangeliſtarum*. Cuilibet hiſtoriæ præmittitur Prologus.

Fol. 1. *Paſſio Apoſtolorum* PETRI & PAULLI, cujus initium. *Ergo cum veniſſet Paulus Romam &c.* Eandem referunt *Bollandiſtæ* die XXIX. *Junii* pag. 399.

Fol. 12. *Paſſio* B. JACOBI APOSTOLI. Incipit: *Jacobus Apoſtolus Domini Noſtri Jeſu Chriſti frater* &c. Eadem, quæ apud *Bollandiſtas* die 1. *Maii* pag. 21.

Fol. 17. *Paſſio* B. BARTHOLOMÆI APOSTOLI, cujus initium: *Bartholomeus Apoſtolus nomen ex Syra Lingua &c.*

Fol. 24. *Paſſio* B. MATTHÆI, cujus initium: *Mattheus Apoſtolus qui interpretatur Donatus &c.*

Fol. 30. *De laudibus* B. LUCÆ EVANGELISTÆ. Incipit: *Lucas hebraice: Latine conſurgens: ſive elevans &c.*

Fol. 35. *Paſſio* SS. SIMEONIS & JUDÆ, cujus initium: *Judas qui interpretatur Confeſſor &c.*

Fol. 43. *Paſſio* B. ANDREÆ APOSTOLI, cujus initium: *Paſſionem S. Andreæ Apoſtoli quam oculis noſtris vidimus &c.*

Fol. 48. *Paſſio* B. THOMÆ APOSTOLI, cujus initium: *Thomas hebraice. Latine Abiſſus &c.*

Fol. 65. *Sermo de laude* B. MATTHIÆ APOSTOLI, cujus initium: *Inclitam & glorioſam feſtivitatem &c.*

Fol. 62. *Sermo de* B. BARNABA APOSTOLO. Incipit: *Redemptor & Salvator noſter &c.*

Fol. 79. *Paſſio* B. MARCI EVANGELISTÆ. Incipit: *Tempore quo diſperſi erant Apoſtoli &c.* Exſtat apud *Bollandiſtas* die XXV. *Aprilis* pag. 347.

Fol. 80. *Paſſio* B. PHILIPPI APOSTOLI, cujus initium: *Cum in ipſius initiis abſque ullo obſtaculo &c.*

Fol. 80. *Paſſio* B. JACOBI APOSTOLI FRATRIS DOMINI, cujus initium: *Igitur Judei poſtquam Paulus &c.*

CODEX DXVI. *k.* IV. 19.

Membranaceus, conſtans foliis 251. ſæculi XIII. in quo primum *Vitæ SS. Patrum in Heremo viventium.*

Fol. 121. *Incipit Publica* THEOPHILI *Penitentia & ſatisfacio qui* CHRISTUM *denegavit. & veniam* B. MARIE *interventu promeruit.*

Fol. 212. *Incipiunt adhortationes Sanctorum Patrum ad perfectionem perfectionis Monachorum.* Deficiunt poſtrema folia.

CODEX DXVII. *k.* IV. 20.

Membranaceus, conſtans foliis 329. ſæculi XIV. in quo FRATRIS JACOBI DE VORAGINE *Legenda Sanctorum*. Additus eſt in fine elenchus *Sanctorum*, quorum acta celebrantur.

CODEX DXVIII. *k.* IV. 21.

Membranaceus, habens folia 106. ſæculi XV. in quo *Hiſtoria Vitæ, & Doctrinæ* CHRISTI DOMINI ex quatuor Evangeliſtarum dictis contexta.

In fine hæc leguntur.

*Explicit hiſtoria de Vita & doctrina Chriſti ex dictis quatuor Evangeliſtarum contexta per Reverendiſſimum in Chriſto Patrem Dominum * Antonium miſeratione Divina Sancte Marie in Via Lata Romane Eccleſie Diaconum Cardinalem tunc nuncupatum. Completa Piſis Concilio Generali*

Digitized by Google

rali ibi exeunte anno Domini MCCCCVIII. quo anno electus eſt Alexander Papa V.

* *Antonius Cardinalis* ortum ſuum duxit ex inclyta familia *De Chalant*, & ultimus Concilio Piſano ſubſcripſit. V. Ciaconium Tomo II. pag. 740.

Initio Codicis cernitur ſtemma *Cardinalis*, quod cum relato a Ciaconio optime convenit.

Legitur præterea monumentum authentico ſigno inſtructum, ex quo dignoſcitur, hunc codicem olim dono datum fuiſſe *Conventui S. Franciſci Pinarolenſi* a Fratribus CATELANO, & ANTONIETO DE PETITIS.

„ Milleſimo CCCCLIIII. die vero „ XVII. Aprilis Nobiles ac generoſi „ viri Catelanus & Anthonietus fra„ tres de Petitis de Villa Francha il„ lud Auguſtini verbum commemo„ rantes. Quod ſerimus metimus quod „ damus accipimus. denique devocio„ nis fervore commoti hunc librum „ de vita & doctrina Chriſti nuncupa„ tum tam pro animabus eorum quam „ ſuorum predeceſſorum Conventui S. „ Franciſci de Pinerolio dederunt & „ tradiderunt: ut altiſſimus Deus eos „ faciat de bono in melius proſperari. „ demumque illis vitam eternam ſua „ clementia conferre dignetur. Exo„ rantes preterea dicti fratres & ſuper „ humeros venerabilis fratris Marchi „ de Lendenaria S. Antonii dicti Con„ ventus Sachellarii digniſſimi precipue „ imponentes ut ipſe Liber in Biblio„ theca prefati Conventus debeat af„ figi & incatenari ad rei memoriam „ perpetuam perhabendam ut ſtuden„ tes & predicantes in illo poſſint com„ mode ſtudere.

Subſcriptus legitur FORNERY.

Ceterum CARDINALIS ANTONII DE CHALANT nulla fit mentio a Roſſotto in Syllabo *Scriptorum Pedemontanorum*.

CODEX DXIX. *k.* IV. 23.

Membranaceus, cui folia 145. ſæculi XIV. Continet primo loco variorum opuſcula de *Vita* CHRISTI DOMINI, quorum nomina patent ex titulo in fronte codicis poſito.

Sequitur prima Rubrica *libri ſequentis. & eſt ſciendum quod Dominus* BONAVENTURA *fecit primum opus de vita Chriſti. & durat circa duas manus papiri. Secundo quidam Cartuſienſis addidit multa. Et ſic fecit ſecundum opus de vita Chriſti. & durat circa octo manus papiri. Tercio venit* UBERTINUS *& addidit quatuor manus. Et ſic ſunt duodecim manus. Quarto venit quidam Celeſtinus Ordinis Celeſtinorum Monaſterii Pariſienſis. qui meliora & flores totius operis & compoſuit quartum librum ſive quartum opus quod ſequitur. & eſt obtimum pro perſonis devotis & maxime pro illis qui volunt facere ſermones. & iſtud durat circa duas manus papiri. & eſt opus noviter factum prout patet in ſequentibus &c.*

HUBERTINI meminit Albertus Fabricius *in Bibliotheca Mediæ, & Infimæ Latinitatis* tom. VI. pag. 792. ejusque opuſculum de *Vita Chriſti* tradit MS. ſervari in *Bibliotheca Laurentiana Medicea*. Adde nunc *& Taurinenſi*.

Fol. 128. Eſt *Tractatus de implorando ſuffragio Sanctorum & de aliquali gloria eorum in brevi.*

Fol. 129. pag. 2. *De perrogativis* BEATE VIRGINIS GENITRICIS CHRISTI, *& oracionibus ad ipſam.*

Fol. 131. *pag.* 2. *De Angelorum ordinibus & ſuffragiis ipſorum & oracionibus ad eos in ſpeciali.*

Fol. 135. *De Sanctis qui fuerunt ante adventum Chriſti & oracionibus ad eos.*

Fol. eodem *pag.* 2. *De ſancto Johanne Baptiſta & privilegiis ejus & oracionibus ad eum.*

Fol. 136. *De Apoſtolis & excellentia ipſorum & oracionibus ad eos in generali & de aliquibus in ſpeciali & de ſciſmate & lamentatione Eccleſie & oracionibus pro ipſa.*

Fol. 138. *De Evangeliſtis deque Chriſti diſcipulis & oracionibus ad ipſos.*

Fol. 139. *De Martiribus pro veritate fidei Chriſtiane & oracionibus ad eos.*

Fol. 140. *De Confeſſoribus, & oracionibus ad ipſos & ad aliquos in ſpeciali.*

Fol. 142. *De Virginibus & ſanctis mulieribus & aliquibus earum in ſpeciali & oracionibus ad ipſas.* Fol.

Digitized by Google

Fol. eodem *pag.* 2. *De oracione brevi ad omnes ſanctos & de oracione ſanctorum pro peccatore ad Deum & oracione peccatoris ad Deum & de gratiarum actione ad Deum & ad Sanctos.*

Fol. 144. *De gloria Sanctorum in patria & de regno Dei & de finali hujus libri oracione.*

Hæc omnia *Anonymi* Scriptoris ſunt; & adnotatiunculis in margine illuſtrata.

In fine autem legimus.

Qui ſcripſit ſcribat, ſemper cum Domino vivat, amen.

Petrus Merles vocatur. Qui ſcripſit benedicatur. Deo gratias.

Adduntur in ultima pag. *dicta* EPHREM MONACHI *in quadam homilia contra aliquos hereticos ponentes concluſiones erroneas circa Chriſti Deitatem vel humanitatem.*

Si Chriſtus non erat Deus, Gabriel quem nunciabat.

Si non erat homo Maria quem concipiebat &c.

CODEX DXX. *k.* IV. 29.

Chartaceus, conſtans foliis 223. ſæculi XV. in quo ARNALDI DE VILLANOVA tractatus de *morbis humani corporis*, ſcriptus anno MCCCCLII. die VI. *Martii*, ut eſt in fine.

Fol. 169. SEPTIMII PHILONII tractatus de *febribus*.

In fine:

Explicit liber Philonii Septimii in Monte Peſſulano anno Domini 1450. *& die XVIII. menſis Aprilis. quae erat Martis Sancta per me Stephanum Boyſſonade in Medicina ſtudentem.*

CODEX DXXI. *k.* IV. 31.

Chartaceus, conſtans foliis 175. ſæculi XV. in quo PETRI DE BAYRO tractatus inſcriptus *Veni mecum*. Codex eſt autographus. De hoc *Pedemontano Scriptore* fuſius alias agemus.

CODEX DXXII. *k.* IV. 32.

Chartaceus, habens folia 122. ſæculi XV. in quo primum JOANNIS BAPTISTÆ RAVIZONI *Receptae Medicinales*.

Fol. 39. *Remedia adverſus peſtem*, Italo ſermone exarata ab *Anonymo* autore.

Fol. 62. Series capitum *Libri magni* RAXIS.

Fol. 94. Liber XXVIII. *magni* RAXIS *de praeparatione medicinarum Simplicium*. Dicitur ſcriptus a JOANNE BAPTISTA DE RAVIZONO die X. *Novembris* anno MCCCCLXXXXVI.

Fol. 95. *Conſultatio medica de Regimine Vitae*, autore MAGISTRO FRACINO.

Fol. 96. Liber de *Ponderibus & menſuris*, ſine autoris nomine.

Fol. 97. De virtutibus *roris marini*, tacito pariter autoris nomine.

Fol. 98. Index Alphabeticus *Simplicium*.

Fol. 108. Tractatus Arithmeticus, Italice ſcriptus, abſque autoris nomine.

Fol. 114. Tabula *Paſchalis* uſque ad annum MCCCCXLIV. ſine autoris nomine.

CODEX DXXIII. *k.* IV. 33.

Chartaceus, ſæculi XV. habet folia 78. Eſt in eo tractatus medicus incerti autoris, qui incipit: *Summo cum ſtudio decet emergentes morborum inſidias deprimi &c.* Ad ejus calcem legitur: 1465. *Indictione XIII. die X. Auguſti in Placentia.*

Fol. 69. Tractatus de *Phiſionomia hominis*, abſque autoris nomine. Incipit: *diverſe membrorum diſpoſitiones &c.*

CODEX DXXIV. *k.* IV. 34.

Chartaceus, habens folia 68. ſæculi XV. in quo tractatus *Medico-Practicus*, omiſſo autoris nomine, cujus initium: *Ad tria omnium egritudinum genera triplex modus curationis occurrit &c.*

CO-

Digitized by Google

CODEX DXXV. *k.* IV. 36.

Chartaceus, habens folia 96. ſæculi XV. in quo SYMPHORIANI GRIGNANI *Mantuani farrago medica*. Sunt multæ adnotationes in margine, rubro colore diſtinctæ.

Fol. autem 68. pagina 2. hæc leguntur.

Oro autem & injungo, ut hanc farraginem nemini oſtendas. Quia cum ſit Originale intendo rehabere ut eam poſſim limare &c. Liber igitur eſt autographus.

Fol. 69. SEBASTIANI *Aquilenſis medicinam ordinariam Ferrarie publice profitentis queſtio utrum ſecundum Galeni ſententiam detur unum membrum principaliſſimum.*

Fol. 81. *De cauſſis periodicationis humorum ſecundum Galenum ſententia D. Sebaſtiani ab Aquila Papie determinata.*

Fol. 83. *Queſtio Domini Sebaſtiani ab Aquila tempore ſuo primam Cathedram Medicine in Italia obtinentis Scolaribus ſuis tributa*, ſcilicet *de putreſcente ſanguine.*

Fol. 90. JOHANNIS FALCONIS *queſtio Medicinalis utrum ſomnia conferant in morborum curationem.*

Hanc quæſtionem, legimus in fine, agitatam fuiſſe *in Monte Peſſulano in templo D. Firmini in Doctoratu M. Bartholomei Fageti* 17. *Martii* 1406.

CODEX DXXVI. *k.* V. 1.

Chartaceus, conſtans foliis 305. ſæculi XVI. Continet HIERONYMI MERCURIALIS *prælectiones* habitas in Gymnaſio Patavino *de morborum particularium curatione.*

CODEX DXXVII. *k.* V. 2.

Chartaceus, conſtans foliis 270. ſæculi XVI. in quo ejuſdem MERCURIALIS tractatus de *compoſitione Medicamentorum.*

CODEX DXXVIII. *k.* V. 3.

Chartaceus, habens folia 285. ſæculi XIV. in quo *Theſaurus Pauperum*, ſive variorum pro ſanitate humani corporis tuenda medicamentorum apparatus, ab *Anonymo* autore congeſtus.

Fol. 179. *Tractatus Botanicus*, ſive variarum herbarum indoles, atque uſus, poetico numero deſcriptus.

Fol. 201. *Rubrice de Theſauro Pauperum.*

Fol. 253. THADEI DE FLORENTIA *Libellus ſanitatis conſervandae.*

Fol. 260. Tractatus de *Remediis contra morbum Peſtilentialem.*

In fine.

Expletus eſt hic tractatus ſeu libellus de preſervatione morborum peſtilentialium nunc apparentium a me Magiſtro Bononio de Bernardis die III. Junii anno 1373.

Fol. 277. Ratio inveniendi *Diem Paſchatis*, ſine autoris nomine.

CODEX DXXIX. *k.* V. 5.

Chartaceus, conſtans foliis 102. ſæculi XV. Eſt iterum *Theſaurus Pauperum.*

In fine.

Scriptoris titulus ſuccedit Bartholomeus Clavis Grammaticus Zugnonus Sanguine dictus.

Germen Zugnonum Germania protulit alta.

Ego Bartholomeus de Zugnis de Clavis Spetiarius in Travayado ſcripſit hoc opus. Qui vocatur Theſaurus Pauperum anno currente 1464. *die* XIV. *menſis Decembris ora ſexta nocte.*

Orate pro Scriptore.

Fol. 41. *Liber Urinarum ſecundum* AVICENNAM.

Fol. 60. *Liber de Experimentis ſecundum* ALMANSOREM.

Fol. 77. *Practica Magiſtri* JOHANNIS DE PARMA.

In fine hæc habentur. *Ego Bartolomeus de Zugnis Apothecarius die XXVII. Januarii* 1464.

Ad-

Digitized by Google

Adduntur poſtea quamplurima ſecreta medica partim Latino, partim Italo idiomate ſcripta.

CODEX DXXX. k. V. 6.

Chartaceus, habens folia 296. ſæculi XV. in quo *Magiſtri* SILANI DE NIGRIS *Papienſis Practica ſuper* X. ALMANSORIS.

Fol. 161. MAGISTRI MARSILII DE SANCTA SOPHIA *Recepte medicinales ex* MESUA.

Fol. 271. PETRI DE EBANO *Tractatus de venenis*.

Fol. 274. NICOLAI POGATI *Practica Medica*.

Fol. 287. NICOLAI DE RIDO *Recepte ſuper XIII. Fen. III.* AVICENNÆ

CODEX DXXXI. k. V. 7.

Chartaceus, conſtans foliis 243. ſæculi XV. in quo MAGISTRI SILANI DE NIGRIS *Papienſis liber ſalutis*.

In fine

Explicit liber ſalutis compilatus per magiſtrum Silanum de Nigris de Papia ſuper 9. Almanſoris Raſis. 1440 die X. Novembris.

Fol. 144. ejuſdem *Expoſitio ſuper* X. ALMANSORIS RASIS.

Fol. 184. ejuſdem *Antidotarium*.

Fol. 199. ejuſdem *expoſitio ſuper ſecunda parte principali decimi libri* ALMANSORIS.

Fol. 236. ARNALDI DE VILLANOVA *liber de Regimine ſanitatis ad Regem Aragonie*.

CODEX DXXXII. k. V. 8.

Chartaceus, habens folia 196. ſæculi XIV. in quo PETRI DE TUSSIGNANO *Recepte medicinales*.

In fine.

Expliciunt Recepte Petri de Tuſſigniano ſuper nono Almanſoris. ſcripte per me Nicolaum Gillefelt de Almania artium ſtudentem.

Fol. 42. ejuſdem *practica medicinalis*.

Fol. 84. ejuſdem *Tractatus de febribus*.

Fol. 148. JOHANNIS DE S. AMANDO *liber de conferentibus ac nocentibus*.

Fol. 151. *Conſilium* MARCI MARSILII DE SANCTA SOPHIA *Paduani pro egregio viro Bonromeo Florentino*.

Fol. 169. *Tractatus de potentiis anime*.

In fine.

Explicit Tractatus de potentiis anime datus a magiſtro de Burley anno Domini 1305.

CODEX DXXXIII. k. V. 10.

Chartaceus, conſtans foliis 141. ſæculi XV. in quo MARSILII DE SANCTA SOPHIA *Receptæ ſuper* I. IV. AVICENNÆ *de febribus*.

In fine.

Expliciunt Recepte magiſtri Marſilii de Sancta Sophia. Scriptum per Antonium de Longis de Leucho anno Domini 1442.

Fol. 71. *liber de Urinis*, opus PAULI DE CALOIS DE MUTINA, *ſcriptum die* 26. *Aprilis* 1449. quemadmodum in calce libri legimus.

Fol. 76. ANTONII GUAYNERII *Papienſis de Balneis Aquenſibus in Ducatu Montisferrati*.

Fol. 78. ejuſdem *Tractatus de mulierum ægritudinibus*.

Fol. 100. GIRARDI DE BERNERIIS DE ALEXANDRIA, *Conſultationes medicæ*.

In fine.

Expliciunt conſilia edita per magiſtrum Girardum de Berneriis ſcripta de menſe marcii 1451. *per me Antonium de Longis*.

Fol. 111. PETRI DE EBENO *Tractatus de venenis, eorumque medela*.

Fol. 116. GENTILIS *Tractatus de proportione medicinarum*.

Fol. 120. GUAYNERII *Tractatus de fluxibus*, qui in fine dicitur ſcriptus *per Antonium de Arigonibus die* 21. *Novembris* 1449.

Digitized by Google

CODEX DXXXIV. k. V. 11.

Chartaceus, conſtans foliis 202. ſæculi XV. in quo ARNALDI DE VILLANOVA *Tractatus de ſingulis ægritudinibus*, quæ humanum corpus afficere poſſunt.

Fol. 183. *Receptæ variæ medicinales*, quæ ex gemmis, herbis, &c. parari poſſunt, abſque autoris nomine.

CODEX DXXXV. k. V. 15.

Membranaceus, habens folia 160. ſæculi XIV. iconibus identidem ornatus, in quo *liber Canonis primus, quem Princeps* ABO-HALI AVISCENI *edidit, translatus a* MAGISTRO GERARDO *Cremonenſi de Arabico in Latinum*. Sunt paſſim adnotationes in margine, ſed recentius ſcriptæ.

CODEX DXXXVI. k. V. 16.

Chartaceus, ſæculi XV. conſtat foliis 195. Habetur in eo FOROJULIENSIS *commentarius in artem medicam* GALENI.

CODEX DXXXVII. k. V. 17.

Chartaceus, conſtans foliis 283. ſæculi XV. in quo JOHANNIS AVEYLANI *commentarius in* IX. RASIS *ad Regem Almanſorem*.

CODEX DXXXVIII. k. V. 18.

Membranaceus, ſæculi XIV. mira ſcriptus elegantia, habet folia 505. Idem omnino opus, quod in antecedenti codice *k.* V. 16. ſcilicet *commentarius* FOROJULIENSIS *in artem medicam Galeni*.

In fine ſcriptus dicitur *a Johanne Ferrario pro magiſtro Petro de Seriaco*.

CODEX DXXXIX. k. V. 19.

Membranaceus, conſtans foliis 467. ſæculi XV. figuris auro pictis, & ſtemmate *Ruveriano* elegantiſſimus, in quo HELCHAVY, *ſive liber medicine. Pars prima* XII. *priores libros continens*. Horum analyſis initio traditur.

CODEX DXL. k. V. 20.

Membranaceus, ſæculi XV. venuſtiſſimo exaratus charactere, aureiſque imaginibus præſtantiſſimus, conſtat foliis 535. Eſt pars ſecunda HELCHAVY; XIII. *poſteriores libros continens*.

In fine hæc leguntur:

Explicit translatio libri Elchavy in medicina compilati per Mahumed Bin Zacharia Elvazi facta de mandato excellentiſſimi Regis Karoli glorioſe Gentis Chriſtiane Corone filiorum Baptiſmatis, & luminis peritorum per manus magiſtri Feragii Judei filii magiſtri Salez de Aggregento decreti interpretis ejus. Die Lune XIII. *Februarii. Septime Indictionis apud Neapolim.*

Editum fuit integrum opus Venetiis anno 1506. V. Mangetum in *Biblioth. Script. Medic.* tom. II. part. I.

CODEX DXLI. k. V. 20.

Chartaceus, habens folia 66. ſæculi XV. in quo HEBEN MESUE *liber de ſimplicibus medicinis*.

Fol. 64. Praxis medica, ſine autoris nomine.

CODEX DXLII. k. V. 22.

Chartaceus, conſtans foliis 109. ſæculi XV. eſt FOROJULIENSIS *commentarius in Aphoriſmos* HIPPOCRATIS.

In fine,

1444. *die* 9. *Octobris finivi in ſcribendo*.

CODEX DXLIII. k. V. 23.

Chartaceus, conſtans foliis 159. ſæculi XV. in quo SILANI DE NIGRIS *Papienſis expoſitio ſuper* IX. *&* X. ALMANSORIS.

In

Digitized by Google

In fine.
Explicit expoſitio ſuper X. *Almanſoris de febribus edita per Cl. artium & medicine doctorem magiſtrum Silanum de Nigris.* 1464. *die* 12. *Octobris. hora* 23.

Fol. 113. JOHANNIS DE VITODUNO *Tractatus de Corporibus.*

Fol. 115. *Receptæ variæ medicinales* incerti autoris.

Fol. 120. Tractatus *Aſtrologicus*, cujus autor deſideratur, adiecta in fine *Lunationum* tabula.

Fol. 126. JOHANNIS DE EUDESDEN *Tractatus de febribus.*

CODEX DXLIV. *k.* V. 24.

Chartaceus, conſtans foliis 102. ſæculi XV. in quo commentarius in AVICENNAM *de febribus*, abſque autoris nomine.

Fol. 60. *Simplicium floſculi ex* MATTHÆO SYLVATICO excerpti.

Fol. 81. Tractatus *de doloribus Arthreticis*, & de eorum curatione, ſine autoris nomine.

In fine

En igitur ſumme omnium conditor
Accipe jocunda & placida mente hoc
Opuſculum Salutare quod ego fidiſſimo, & conſtanti Athlete erecta, & placida caritate compoſui Domino in Chriſto Patri Venerando Fratri Bernardino de Religione S. Franciſci unico fere in etate noſtra Sancte Religionis honeſtatis & devocionis ſpeculo ampliſſimo.
Ad laudem Dei. Amen. MCCCCXLIII:

Fol. 83. Incerti ſcriptoris *Conſultationes Medicæ.*

Fol. 87. Incerti autoris Tractatus *de Balneis.*

Fol. 93. aliæ ſequuntur *conſultationes Medicæ*, tacito pariter autoris nomine.

Fol. 99. *Incipit conſilium clariſſimi Artium & Medicine Doctoris Domini Magiſtri Stephani de Oſna Mediolanenſis ſuper paſſione renum.*

CODEX DXLV. *k.* V. 25.

Chartaceus, conſtans foliis 88. ſæculi XV. continet primo loco eundem commentarium in AVICENNAM *de febribus*, qui fuit in codice præcedenti, ad cujus finem hæc leguntur.

Ego Michael de Clara de Roſaſſetho hoc opus finivi die XIII. *Julii hora* XVII. *cum dimidia currente anno* 1467. *& tunc temporis illuſtriſſimus Princeps Dux Galeaz litem habebat cum Bartholomeo Coglione.*

Fol. 87. Eſt *Tractatus de Sanitati conferentibus, expletus per* JOHANNEM A RIPIS DE SPILIMBERGO 1471. *die* 7. *Septembris*, uti in fol. 87. pag. 2. ſcriptum legimus.

Fol. 88. ALBERTI *Tractatus de Cautelis medicorum.*

CODEX DXLVI. *k.* V. 26.

Chartaceus, habens folia 297. ſæculi XVI. FRANCISCI BONAFIDII complectitur opera medica, ad quorum calcem binæ exſtant epiſtolæ, ſed alio ſcriptæ charactere, una ejuſdem *Bonafidii ad præcellentem, & illuſtrem medicum Franciſcum Frigimelium*; altera *ad Lectores* PETRI PHALERII *Feltrenſis*. Has ſequuntur nonnulla carmina *Hippolyti Fanſoſii Delphici Peruſini Minoritæ* in laudem *Bonafidii*, ejuſque operum.

In primo codicis folio notatu digna occurrit MUSSONII & FIDELII interlocutio, numeris poeticis ſcripta, qua SASSONII ſodalis ſui immaturum obitum lugent. En prima carmina.

Hei mihi mortifera Muſſoni moeſtus in umbra
Arboris illius decumbis? qua cypariſſum
Mutatam. referunt. quae nuncia funeris extat.
Pallida cur tantum facies &c.

CODEX DXLVII. *k.* V. 27.

Chartaceus, conſtat foliis 70. recentiſſime compactus, in quo *Hortus herbarum* papyro glutine adhæreſcentium,

Digitized by Google

tium, præmiſſo earum indice, & appoſito ſingulis nomine.

CODEX DXLVIII. *k.* V. 30.

Chartaceus, conſtans foliis 119. ſæculi XIV. Eſt LANFRANCI *Chirurgia*, cujus initio exſtat præter capitum indicem præfatio Gallico idiomate ſcripta.

CODEX DXLIX. *k.* V. 31.

Chartaceus, habens folia 149. ſæculi XIV. in quo MAGISTRI GULIERMI *Chirurgia*.

Fol. 105. MAGISTRI ROGERII *Chirurgia*.

Fol. 144. Tractatus *Anatomicus*, ſine autoris nomine.

CODEX DL. *k.* V. 32.

Chartaceus, conſtans foliis 190. ſæculi XIV. in quo Tractatus *Anatomicus*, & *Chirurgicus*, omiſſo autoris nomine.

CODEX DLI. *k.* V. 33.

Chartaceus, conſtans foliis 275. ſæculi XIV. Continet *Inventarium ſeu Collectorium in parte Chirurgicali medicine compilatum per* GUIDONEM DE CAULIACO *Cirurgicum magiſtrum iu medicina in preclaro ſtudio Montiſpelienſi anno Domini* 1363.

Fol. 160. RODOLINI *Tractatum Aſtrologiæ*.

Fol. 162. RAYNAUDI *Tractatum de herbis utilibus*.

CODEX DLII. *k.* V. 35.

Chartaceus, habens folia 363. ſæculi XIV. in quo PETRI DE LARGERATA DE BONONIA *artium & Medicine Doctoris Cirurgia*.

CODEX DLIII. *k.* V. 36.

Chartaceus, conſtans foliis 57. ſæculi XV. in quo MAGISTRI RUGERII *Chirurgia*.

Fol. 31. *Liber Servitoris* ALBUCHASINI BEN CHELF BEN ABES AGARVI *ex interpretatione* ABRAHAMI JUDÆI TORTUOSI.

Fol. 51. GORDONII Tractatus de *Urinis*.

CODEX DLIV. *k.* V. 40.

Chartaceus, conſtans foliis 60. ſæculi XIV. in quo AVICENNÆ *Fen tercia* de *Apoſtematibus & Puſtulis*.

CODEX DLV. *k.* VI. 3.

Membranaceus, conſtans foliis 30. ſæculi XV. præſefert hunc titulum, *Faſciculus temporum*, prætermiſſo autoris nomine. Omnia miro artificio, ſummaque elegantia ſcripta ſunt, & diſpoſita; quæ, ut clarius etiam legentibus pateant, iiſdem declarabimus verbis, quibus Autor in *præfatione* operis ſui rationem reddit.

Colligere diſpoſuimus juvante Domino, ex libris pluribus, faſciculum quendam temporum, a mundi creatione uſque ad preſens. in quo tam ſacrarum Scripturarum, quam diverſarum aliarum hiſtoriarum facta, tanquam in memoriali quodam, compendioſe religabimus. Nec mihi conſcius ſum, aliquid poſuiſſe: quod non in fide dignis hiſtoriis habeatur; aut in libris Eccleſiaſticorum doctorum: ſive quod non ex eorum dictis aperte ſequatur. Ubi autem dubium fuerit: an ſic vel aliter: hoc ipſum etiam ita ut repperi modo annotavi... & ut ſciatur, quo ordine eos ſecuti ſimus: primo totum tempus Veteris Teſtamenti 5199. *annorum in quinque ętates diſtinctum repperimus in quodam libello, qui Iſidoro aſcribitur. ubi multum artificialiter procedit: deducendo annos Mundi uſque ad tempora ſua, ſcilicet Eraclii: qui cępit regnare circa annos Domini* 612. *Sed ſupputatio-*

Digitized by Google

putationem ſuam non ordinat ſecundum eram Chriſti; ſicut nec Oroſius: & hunc ſequitur in primis duabus aetatibus. Similiter & in duabus ſequentibus: exceptis paucis. quia textus ſecundum Hebraicam veritatem, a nativitate Abrahae uſque ad captivitatem Babylonicam apud nos magis eſt correctus, & diligentius exploratus: & ideo ſequimur eum. parum tamen refert. In quinta ętate laborem majorem habuimus: propter nimiam diverſitatem hiſtoriarum. Et veniam precor: quia nunc unum, nunc alium pro ut melius potui, & putavi, ſum ſecutus. An autem debite ſingulos annos ſupputavi: lectori judicium committo. Lineam autem Aſſyriorum, & Romanorum, & aliorum, ex diverſis hiſtoriis laborioſe coaptavi rogans: ut ſi cui tranſcribere placuerit: diligenter obſervet temporum ſpacia. & numerum correſpondentem: ne longius aut ſtrictius ponat quam exemplar habet. alioquin & labor peribit: & fructum non reportabit eritque opus eo mendoſius quo compendioſius: niſi hoc diligenter ſtudeat obſervare. Si autem debite, quod facile arbitramur, hęc incorporaverit: non modicam ei prębebit illuminationem, ad intelligendum ſacram Scripturam, & libros Auguſtini, & Hieronymi, & Oroſii, ac aliorum &c. ſi vera ſunt, quæ in pluribus libellis repperimus. Porro in ſexta ętate ſequimur Cronicam Martini, & Vincentii: qui compendioſe procedunt uſque ad tempora ſua. Poſt annos fere ducentos poſt eos ſequor notabilem librum quendam cujus autorem neſcio: qui pene ad tempora noſtra oſtenditur. Quae autem depoſt acta ſunt memorię digna: ſicut audivimus, & vidimus fideliter prioribus ſuppoſuimus. Quę omnia in ſequentibus ſumma brevitate patebunt. Modus autem procedendi planiſſimus eſt, & groſſitudini ruſticanæ adeo amicus: ut in pariete quidem depingi poſſit: eoque illico ſine omni difficultate intuentibus ſe offerat. Depinxi igitur in medio folii circulos cum nominibus perſonarum debitis pro quolibet tempore. & infra, & ſupra lineas duas. Quarum ſuperior cum ſuo numero deſcendit ab Adam uſque ad Chriſtum juxta ſeriem prædictorum: ſignificans, ut quidquid ex adverſo illius numeri ſcriptum eſt: ſive ſuperius, ſive inferius: etiam circa illa tempora factum veriſimiliter credatur. Secunda linea, ideſt inferior retrorſum aſcendit a Chriſti nativitate uſque ad Mundi creationem: ut eadem facilitate, uno numero conſpecto, ſciatur, quot annis hoc aut illud factum ſit ante Chriſti nativitatem. Quod ſic ordinavimus: quia hæc era magis ſollemnis apud nos: & citius ſolet inquiri. Poſt Chriſtum ſimiliter ambę deſcendunt, uſque ad tempora noſtra paulatim creſcendo: ita ut ſuperior ſemper oſtendat aetatem Mundi, & inferior aetatem Chriſti. Quod placuit, planiſſime patebit locis ſuis. Poſui etiam numerum duplicem, ſcilicet vulgarem: qui ſcribitur per literas Alphabeti: & algoriſticum: qui ſcribitur per figuras ſive cifras: ut qui forte unum neſcit, alium habeat. Et quia ex multis libris mendoſe ſcriptis modum hunc, non levi labore ad lineam veritatis correximus: obſecramus pro Chriſto lectorem ne inciviliter manum ad corrigendum hanc annorum ſupputationem apponat: niſi prius toto opere perſpecto. Quod non ideo dicimus quaſi nullibi erraverimus: ſed ad aviſandum de nimia diverſitate doctorum in hac materia; & frequenter poſitio unius eſt involutio alterius. Ubi autem errorem invenerit, clementer ignoſcat, & corrigat ex libris praedictis, quos ſequimur. Facile enim in numeris erratur: & ſępe negligenter deſcribuntur, & negligentius emendantur. ut dicit Auguſt. XV. libro de Ci. Dei.

Hæc habet Auctor *Anonymus* de cura, & ſtudio, quibus hunc *temporum Faſciculum* colligavit; ex quibus nos colligimus, codicem eſſe autographum.

Series autem Chronologica deducitur ab *Adami* creatione uſque ad Pontificatum Sixi IV. ſive ad annum *Chriſti* MCCCCLXXIV.

CODEX DLVI. k. VI. 7.

Membranaceus, habens folia 305. ſæculi XIV. in quo Josephi Judæi *Judaicae Antiquitatis libri* XX. quibus capi-

Digitized by Google

capitum index præfigitur. Initium præfationis habeto: *Hiſtoriam conſcribere diſponentibus non unam nec eandem video ſtudii cauſam. Sed multas exiſtere & ab alterutra plurimum differentes &c.*

Fol. 218. Ejuſdem de *Bello Judaico hiſtoriae libri VII.* Incipit: *Quoniam Bellum quod cum Romano Populo geſſere Judei omnium maximum &c.*

In fine.

Explicit liber ſeptimus hiſtoriarum Joſephi: Tricies centena milia in Hieruſalem ſunt obſeſſa.

CODEX DLVII. *k.* VI. 15.

Membranaceus, conſtans foliis 140. ſæculi XV. characteris nitidiſſimi, in quo pariter, Josephi Judæi de *Bello Judaico libri VII.* Cernitur initio *Joſephi* effigies hiſtoriam ſcribentis elegantiſſime picta, & literæ initiales auro obductæ.

In fine

Joſippi Judei hiſtoriarum: Liber ſeptimus explicit: Tricies centena milia: Judeorum: In Hieroſolimis: obſeſſa:

Sequuntur carmina non inconcinna prorſus.

Audacter poteris codex dixiſſe roganti
Sit quicumque velit major an ille minor.
Me propriis domina manibus paciencia pinxit.
Sub diro virtus tempore nata ſolo.
Agricolae ſtudium ſemen cum crederet arvis
Incidit in ſterili ſemen inane loco.
Pro fructu lolium & amaris intiba fibris
Naſcitur: & fungus putris acerba lues.
Sic deſudati ſpes eſt fruſtrata coloni.
Jejunus longa paſcitur ille fame.
Qui laetos fructus affert paciencia dixit
Decipitur. voluit dicere littus arat.

CODEX DLVIII. *k.* VI. 16.

Membranaceus, conſtans foliis 193. ſæculi XV. in quo *Hiſtoria Judaicæ Antiquitatis per* Flavium Josephum. Præmittitur cuique libro capitum ſeries.

Codex eſt elegantiſſimus, & paſſim auro, varioque colore depictus. Interpretatio autem eadem prorſus, quæ in codice ſuperiori.

In fine.

Flavii Joſephi Hiſtoriographi Antiquitatum XX. & ultimus explicit liber fauſte, feliciterque. Flavii Joſephi Hiſtoriographi nempe clariſſimi laborioſum opus immenſumque jam tandem ſatis egregie ut arbitror ſcripture mandatum eſt per me Johannem Baptiſtam ex Marchionibus Palavicinis genere patriaque Cremonenſem. ſed tum agentibus fatis extorrem. & in Fariano moram trahentem. apud illuſtrem avunculum ſuum Dominum Johannem Galeazium Marchionem Salutiarum digniſſimum. Non ex premio neve ullo optato commodo. ſed ſui ſola grata contemplatione perſcriptum anno a Nativitate Domini noſtri Jheſu Chriſti MCCCCXXXV. Februarii luce ſuprema.

A tergo legitur.

Preſens opus miniavit frater Ludovicus de Prioribus de Nicia Provincie Ordinis S. Benedicti MCCCCXXXVII. die XV. Novembris.

CODEX DLIX. *k.* VI. 17.

Membranaceus, conſtans foliis 205. ſæculi XI. in quo Eusebii Pamphili *Cæſarienſis Epiſcopi Eccleſiaſticæ hiſtoriæ liber* IX. Ruffino Aquilejensi interprete.

Contulimus cum recens editis ab eruditiſſimo Petro Thoma Cacciari, & cum variantibus, quas profert ex *Vaticana Bibliotheca*, lectionibus, atque perpetuo codicis Taurinenſis lectionem conſentire obſervavimus. Cuique libro etiam in noſtro codice præmittitur Elenchus *capitum*.

Fol. 33. Ejuſdem *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ liber* X. interprete eodem Ruffino Aquilejensi.

Fol.

Digitized by Google

Fol. 114. Ejuſdem *Hiſtoriæ*, interprete eodem RUFFINO, *liber* XI. Præit utrique *capitum* index.

Fol. 124. *Hiſtoria Eccleſiaſtica tripartita ab* EPIPHANIO SCHOLASTICO *in latinum translata & per* CASSIODORUM SENATOREM *jam Domino præſtante converſum in epitomen redacta*. Præit *Caſſiodori Senatoris ſervi Domini prefatio*, cujus initium; *utiliter nimis in capite libri prefatio ponitur ubi futuri operis qualitas indicatur &c.*

Singulis præterea libris præmittitur capitum Elenchus.

Diſcrepat autem multis in locis ab editione *Johannis Garetii Benedictini*, cum qua codicem contulimus. E. G.

In edit. initio *libri primi*.
Ajunt, antiquis Principibus diligentiam ſtudiumque fuiſſe.
In Cod.
Ajunt antiquis Principibus diligentiæ ſtudium fuiſſe &c.
In edit. ex eodem lib.
Præſentabant enim ſinguli.
In Cod.
Praeſtabant enim ſinguli.
In edit. ex eod. lib.
Alter tincturam purpuream, clariora plurimi poemata.
In Cod.
Alter tincturam purpuræ clariorem. Plurimi poemata.
In edit. ex lib. II. cap. I.
Coronam de victoria inimicorum, & hoſtium Deo docibilem dedicavit.
In Cod.
Coronam de victoria inimicorum, & hoſtium Domino decibilem dedicavit.
In edit. ex lib. III. cap. I.
Ut aſſolet Sanctis illis colloquerentur viris.
In Cod.
Ut aſſolet Sanctis illic colloquerentur viris.
In edit. ex eodem libro cap. II.
Eorumque Regem erroribus ſervientem diverſa eis inferre pericula.
In Cod.
Eorumque Regem erroribus ſaevientem diverſa &c.
In edit. ex eodem libro cap. XII.
Regnavit autem XXX. & uno: defunctus eſt Conſulatu Feliciani, & Taciani viceſima ſecunda die menſis Maii.
In Cod.
Regnavit autem XXX. defunctuſque eſt Conſulatu Feliciani, & Taxiani vigeſima ſecunda menſis Maii.
In edit. ex lib. V. cap. I.
His incitantibus Conſtantius motus.
In Cod.
His Recitationibus Conſtantius motus.

Perierunt neſcio quo caſu folia, quibus ultima duo capita *libri ſexti* continebantur.

Fol. 204. Sermo de NATIVITATE S. JOHANNIS BAPTISTÆ, ſine autoris nomine, cujus initium: *Multa dilectiſſimi novimus in Laudem B. Johannis &c.*

CODEX DLX. *k.* VI. 18.

Membranaceus, habens folia 367. ſæculi XV. elegantiſſime ſcriptus, & iconibus auro, minio, varioque colore pictis præſtantiſſimus, eandem continet EUSEBII PAMPHILI hiſtoriam Eccleſiaſticam, ex ejuſdem *Ruffini Aquilejenſis* interpretatione, adjectis in margine adnotatiunculis.

In fine
Explicit Hiſtorie Eccleſiaſtice liber duodecimus feliciter.

Scripſit Caſſius Parmenſis pro Angelo Faſſiolo Epiſcopo Feltrenſi Commiſſario Generali tempore Divi Pauli Veneti II. Pont. Max. anno Sexto. 1470. *die III. Julii.*

CODEX DLXI. *k.* VI. 19.

Membranaceus, conſtans foliis 468. ſæculi XIV. ad finem. Habentur in eo *Vitæ, & Acta Sanctorum*. In margine autem pictæ ſunt imagunculæ, hiſtoriam, & martyrium uniuscujuſque non inconcinne exprimentes.

Fol. 1. *Paſſio* S. ANDREÆ APOSTOLI, cum prologo, qui incipit: *Tanta ac talis eſt Scripture Divine ſublimitas ut non ſolum*

Digitized by Google

ſolum verba, que a Sanctis vel ab ipſo Domino dicta referuntur ſed etiam circumſtantia rerum, que ſimpliciter poſita videtur ſpiritualibus ſit plena miſteriis &c.

Fol. 9. *Paſſio* S. Barbaræ *Virginis, & Martyris*, cujus initium: *Temporibus Imperatoris Maximiani erat quidam Satrapas &c.* Exſtat apud *Mombritium* tom I. fol. 69.

Fol. 11. Vita S. Nicolai, cujus initium: *Sicut omnis materies ſi ab imperito artifice &c.* Eadem, quæ in codice *e.* VI. 21. & quæ apud *Mombritium* tom. II. fol. 162.

Fol. 26. *Paſſio* S. Luciæ *Virginis, & Martyris*. Incipit: *Cum per univerſam Sicilie Provinciam &c.* Eadem, quæ in cod. *e.* VI. 21. & apud *Mombritium* tom. cit. fol. 58.

Fol. 30. *Paſſio* S. Thomæ Apostoli, cujus initium: *Cum Apoſtolus Thomas &c.* Eadem, quæ in cod. *e.* VI. 21. & apud *Mombritium* tom. cit. fol. 333.

Fol. 39. *Paſſio* S. Anastasiæ, & S. Grisogoni *Martyris*. Incipit: *Omnia quæ a Sanctis geſta ſunt. &c.* Apud *Mombritium* tom. I. fol. 200.

Fol. 43. Vita S. Silvestri, cujus initium: *Silveſter igitur Urbis Rome Epiſcopus &c.* Eadem, quæ in cod. *e.* VI. 21. & quæ apud *Mombritium* tom. II. fol. 279.

Fol. 69. Vita S. Basilii *Archiepiſcopi Ceſaree Capadocie*. Incipit: *Poſtquam Lucifer ille pertinax de celeſti gloria demiſſus eſt &c.* Tanquam apocrypha rejicitur a *PP. Bollandiſtis* die XIV. *Junii* pag. 937.

Fol. 91. Vita S. Eufrosinæ *Virginis*. Incipit: *fuit quidam habitans in Alexandria nomine Panupcius &c.* Vulgavit laudatus *Mombritius* tomo I. fol. 253.

Fol. 98. Vita S. Severi *Ravennæ Epiſcopi*, cujus initium. *Poſt exceſſum Apollinaris Beatus Severus tercius decimus Ravennalem Cathedram ſuſcepit &c.*

Fol. 100. Vita S. Paulli *primi heremitae*. Incipit: *Inter multos ſepe dubitandum eſt &c.* Edidere ex D. Hieronymo *Bollandiſtæ* die X. *Januarii*. pag. 604.

Fol. 105. Vita S. Mauri *Abbatis*. Incipit: *Beatiſſimus igitur Maurus Clariſſimo Senatorio genere Patre Euticio &c.*

Fol. 123. Vita S. Paulæ, cujus initium: *Alii alcius repetant, & ab incunabulis ejus &c.*

Fol. 140. *Paſſio* S. Severi, cujus initium: *Temporibus Maximiani Imperatoris orta eſt ſeva perſecutio &c.*

Fol. 141. *Paſſio* S. Blasii *Epiſcopi & Martyris*. Incipit: *In Sebaſtia Cappadocie tradidit quidam ad correptionem &c.* In quibuſdam Codicibus MSS. legitur *tradidit Deus &c.* uti adnotarunt *PP. Bollandiſtæ* die III. *Februarii* pag. 336.

Fol. 145. *Paſſio* S. Agatæ *Virginis & Martyris*. Incipit: *Paſſionem B. Virginis & Martyris Agathe que paſſa eſt in Provincia Sicilie &c.* Edidere *PP. Bollandiſtæ die V. Februarii* pag. 615.

Fol. 149. *Paſſio* S. Dorotheæ. Incipit: *In Provincia Cappadocie apud Ceſaream Civitatem erat quedam puella nomine Dorothea &c.* Ibidem die VI. *Februarii* pag. 773.

Fol. 152. *De* Sancto Theophilo. Incipit: *Igitur Theophilus Advocatus Preſidis cum permiſſione S. Dorotheæ &c.* Acta *Martyrii* S. Theophili addenda *Bollandiſtis*.

Fol. 154. *Paſſio* S. Valentini *Epiſcopi & Martyris*, cujus initium: *Propheta loquitur ad Deum &c.* Ex quinque MSS. Codicibus, & ex auctore antiquo *Anonymo* retulere *Bollandiſtæ* die XIV. *Februarii*. Exſtat etiam apud *Mombritium* tomo II. pag. 345.

Fol. 157. *Paſſio* Sanctorum Faustini & Jovitæ, cujus initium: *Beatiſſimi Viri Fauſtinus, & Jovita &c.* Vulgarunt laudati *PP. Bollandiſtæ* die XV. *Februarii* pag. 809.

Fol. 163. Vita S. Leonsi Cathaniensis Episcopi, cujus initium: *Igitur Leo Vir virtutis eximie &c.*

Triplicem *S. Leonis Cathanienſis* hiſtoriam retulerunt *Bollandiſtæ* die XX. *Februarii*, ex Codice Græco, ex Menæis,

Digitized by Google

næis, & ex Anthologio Græco *Arcudii* pag. 224. 25. & 26. Nunc addi poterit quarta ex codice MS. *Taurinenſi*.

Fol. 189. *Depoſitio* S. Gregorii Papæ, cujus initium: *Gregorius genere Romanus arte Philoſophus &c.*

Fol. 195. Vita S. Benedicti Abbatis. Incipit: *Fuit vir Vite venerabilis gratia Benedictus & nomine &c.* Exſtat apud *Bollandiſtas*, deſumta ex *S. Gregorio Magno* die XXI. *Martii* pag. 277. & apud Mombritium Tom. I. *fol.* 85.

Fol. 217. Vita B. Johannis *heremitae*. Incipit: *primum tamquam vere fundamentum mei operis ad exemplum bonorum omnium &c.* Alia prorſus ab ea, quam deſcripſerunt *Bollandiſtæ* ex Hiſtoria Lauſiaca Palladii die XXVII. *Martii* pag. 793.

Fol. 227. Vita S. Mariæ Ægyptiacæ, cujus initium; *fuit quidam ſenex in Paleſtine Monaſteriis vir &c.* Eadem prorſus, quæ apud *Bollandiſtas* die II. *Aprilis* ex MS. Regio *Pariſienſi*, & ex altero *Ducis Bavariæ*.

Fol. 238. Vita S. Ambrosii, præmiſſo prologo. Incipit: *Hortaris venerabilis Pater Auguſtine &c.* Vulgavit *Mombritius* Tom. I. *fol.* 25.

Fol. 251. Vita S. Zenonis *Epiſcopi*, cujus initium: *In diebus illis in Provincia Italie in Civitate Verona &c.* Contulimus cum editis a *Bollandiſtis*, & a *Mombritio*, & ſimiliorem Mombritianæ reperimus.

Fol. 253. *Paſſio* S. Eleutherii *Martyris*. Incipit: *Eleutherii nobiliſſimi viri nos delectat &c.* Apud *Mombritium* Tom. I. *fol.* 233.

Fol. 257. *Paſſio* S. Georgii *Martyris*. Incipit: *Imperante igitur impio Daciano &c.* Tanquam apocrypha ſuggillatur a *Bollandiſtis* die XXIII. *Aprilis* pag. 101.

Fol. 262. *Paſſio* S. Marci Evangelistæ. Incipit: *Per idem tempus quo diſperſi erant Apoſtoli &c.* Exſtat apud *Bollandiſtas* die XXV. *Aprilis* pag. 347.

Fol. 264. *Paſſio* S. Jacobi *Apoſtoli*; cujus initium: *Jacobus qui dicebatur Domini frater &c.* De hujuſce *paſſionis* hiſtoria V. *Bollandiſtas* die I. *Maii* pag. 21.

Fol. 266. *Sermo in* Inventione S. Crucis. Incipit: *Anno ab Incarnatione Domini N. J. C. ducenteſimo ac fere trigeſimo tercio &c.* Exſtat apud *Mombritium* Tom. I. *fol.* 196.

Fol. 272. Vita Pachomii Abbatis. Incipit: *Quoniam deſiderium eſt bonum deſiderare &c.* Inter apocryphas recenſetur a *Bollandiſtis* die XIV. *Maii* pag. 359.

Fol. 279. *Paſſio* S. Torpetis Martyris. Incipit: *In illo tempore Nero Imperator &c.* Eſt apud *Bollandiſtas* die XVII. *Maii* pag. 7.

Fol. 273. *Paſſio SS. Martyrum* Juriani, Faustini, & Martelliani, cujus initium: *Temporibus Decii Ceſaris ſub Valentiniano prefecto maxima perſecutio orta eſt Chriſtianis &c.*

Fol. 287. *Paſſio* S. Bonifacii Martyris. Incipit: *Temporibus Diocletiani & Maximiani &c.* Apud *Bollandiſtas* die XIV. *Maii* pag. 281.

Fol. 290. Vita S. Alexii Confessoris. Incipit: *Fuit Rome vir magnus &c.* Edita a *Mombritio* Tom. I. pag. 23.

Fol. 294. *Paſſio B. Martyrum* Cyriti & Julite *matris ejus*, cujus initium: *Sanctorum Martirum chriſtiana & pia certamina &c.* Apud *Bollandiſtas* die XVI. *Junii* pag. 19. cap. 2. qui ab Hucbaldo ſcriptam aſſerunt.

Sequitur eorundem martyrum Translationis hiſtoria, quæ incipit: *Quoniam S. Cyrici & Julite matris ejus veneranda Paſſio &c.* Eadem legitur in Codice MS. *Barberino*, teſtibus *Bollandiſtis* die eodem XVI. *Maii* pag. 20.

Fol. 300. Vita Sanctæ Marinæ *Virginis*. Incipit: *Erat quidam vir ſecularis habens unicam filiam nomine Marinam &c.*

Fol. 302. *Depoſitio* S. Paulini *Epiſcopi*, cujus initium: *Qum vicinis Valie*

Digitized by Google

patribus intento &c. Apud *Bollandiſtas* die XXII. *Junii* in appendice de eodem S. PAULINO pag. 250.

Fol. 304. *Paſſio* SS. JOHANNIS & PAULI, cujus initium: *Sub Conſtantino Auguſto Gallicano Duce &c.* Edidit *Mombritius* Tom. I. pag. 317.

Fol. 308. *Paſſio* SS. APOSTOLORUM PETRI & PAULI, cujus initium: *Cum veniſſet Paulus Romam &c.* Vide, quæ differunt *Bollandiſtæ* de hac *Paſſione* die XXIX. *Junii* pag. 399.

Fol. 325. *Paſſio* S. PANCRACII *Martiris*. Incipit: *Beatus igitur Pancracius advocans me Evagrium diſcipulum facienſque orationem &c.* Abeſt & a *Bollandiſtis*, & a *Mombritio*.

Fol. 332. *Paſſio* SS. MARTYRUM SEPTEM FRATRUM. Incipit: *Temporibus Antonini Imperatoris orta eſt ſeditio &c.* Protulit in lucem *Ruinartius* in *Actis Martyrum* pag. 22. & Mombritius Tom. I. *fol.* 306.

Fol. 334. *Converſio vel tranſitus* S. MARIÆ MAGDALENÆ, cujus initium: *Joſephus narrat de Maria Magdalena quod poſt aſcenſionem Domini virum amplius videre non voluit; ſed illuſtrata gratia Spiritus Sancti in heremi ſolitudinem perrexit &c.*

Fol. 335. *Paſſio* S. CHRISTINÆ *Virginis*. Incipit: *Erat quedam Virgo Sacra & Sancta Puella de Thyro nomine Chriſtina &c.*

Fol. 343. *Paſſio* S. CHRISTOPHORI *Martyris*. Incipit: *Tempore illo quo Dagnus in Civitate Samon Regnum tenebat &c.* Exſtat apud *Mombritium* Tom. I. *fol.* 205.

Fol. 346. *Paſſio* SS. SEPTEM DORMIENTIUM, cujus initium. *In tempore illo Regnante Imperatore Decio &c.* Itidem apud *Mombritium* Tom. I. *fol.* 269.

Fol. 356. *Paſſio* S. FELICITATIS, & SEPTEM FILIORUM *ejus*. Incipit: *Sciendum eſt dilectiſſimi fratres &c.* Inter acta ſpuria enumeratur a *Bollandiſtis* die X. *Julii* pag. 14.

Fol. 363. *Sermo S. Effrem* in TRANSFIGURATIONE DOMINI, cujus initium: *De Regionibus meſſis gaudii de Vinea fructus ſuavitatis &c.*

Fol. 367. *Paſſio* S. DONATI, cujus initium; *erat quidam puer in Civitate Romana &c.* Eadem, quæ apud *Mombritium* Tomo I. pag. 217.

Fol. 371. *Sermo* S. HIERONYMI *ad Paulam & Euſtochium*. Incipit: *Cogitis me Paula & Euſtochium &c.*

Fol. 386. *Paſſio* S. GENESII, cujus initium: *Imperante Diocletiano erat per annos quatuor inſecutio Eccleſiarum; & maxime omnes Epiſcopi, & Sacerdotes perſecutionem patiebantur &c.* Apud *Mombritium* Tom. I. *fol.* 341.

Fol. 388. *Actus & vita vel obitus* B. AUGUSTINI, cujus initium: *B. igitur Auguſtinus ex Provincia Africa &c.* Item apud *Mombritium* Tom. I. *fol.* 53.

Fol. 389. Vita S. ÆGIDII CONFESSORIS. Incipit: *Beatiſſimus igitur Egidius Athenienſi Civitate exortus eſt. cujus pater Theodorus materque Pelagia vocabatur &c.*

Fol. 403. EXALTATIO S. CRUCIS. Incipit: *Tempore illo propter quod Conſtantino Auguſto &c.* Apud *Mombritium* Tom. I. *fol.* 197.

Fol. 407. S. MAURITII & SOCIORUM EJUS. Incipit: *Paſſionem Sanctorum Martyrum &c.* Edidit *Mombritius* Tom. II. *fol.* 153.

Fol. 410. Vita S. HIERONYMI PRESBYTERI, cujus initium: *Pleroſque nimirum illuſtrium Viros &c.* Item apud *Mombritium* Tomo II. *fol.* 167.

Fol. 417. Vita B. LEONARDI *Confeſſoris*. Incipit: *B. igitur Leonardus temporibus Anaſtaſii &c.*

Fol. 423. Vita, & obitus S. MARTINI, cujus initium: *Igitur Martinus Sabbatie Pannoniorum &c.* Exſtat apud *Mombritium* Tom. II. *fol.* 107.

Fol. 433. *Paſſio* S. CLEMENTIS PAPÆ. Incipit: *Tercius Romane Eccleſie prefuit Epiſcopus Clemens &c.* Edidit *Mombritius* Tom. I. *fol.* 177.

Fol. 439. *Paſſio* S. KATHERINÆ *Virginis*

Digitized by Google

ginis. Incipit: *Regnante igitur Maxentio Ceſare &c.* Apud *Mombritium* Tom. I. *fol.* 144.

Fol. 443. Vita S. ONOFRII CONFESSORIS. Incipit: *Pahfnufius humilis ſervus &c.* Apud PP. *Bollandiſtas* die XII. *Junii* pag. 520.

Fol. 459. Vita S. ANTONII ABBATIS. Incipit: *Igitur Antonius &c.* Apud *Mombritium* Tom. I. *fol.* 38.

CODEX DLXII. *l.* I. 64.

Chartaceus, conſtans paginis 107. ſæculi XVI. cui titulus: SERENISSIMORUM SABAUDIÆ PRINCIPUM DUCUMQUE *effigies Heroica Epigrammata Cognationes, & anni Philiberto Pingonio Authore. Addita nunc. & olim poſſeſſa Dominia.*

Eſt primum Autoris epiſtola ad CAROLUM EMMANUELEM, Gallico ſermone ſcripta: poſtea ſtemmata Principum, Ducumque Saxoniæ. Deinde effigies DUCUM SABAUDIÆ, & fit initium *pag.* 12. ab effigie BEROLDI, in cujus peripheria hæc leguntur verba: BEROLDUS. A. SAXONIA. HUG. SAX. DUCIS FIL. ALLOBROGUM. PRINC. VIC. IMPER.

Subtus autem effigiem ſequentia carmina:

Saxo. Beroldus. Othone. Jubente. Favere Boſoni
Arelatum Properat Regi. Lygureſque Repellit.
Allobrogas Recipit Domitos. Marianaque Firmat
Sceptra Suis. Ferro Seguſinus Fuſus ad Alpeis.
Ardunnum Latio Exturbans. Henrice Triumphas.

E regione *pag.* 13. deſcribitur pauciſſimis verbis, & quidem Gallico ſermone, BEROLDI ortus, matrimonium, præcipua geſta, & obitus. Eodem ordine proſequitur autor uſque ad CAROLUM EMMANUELEM Filium EMMANUELIS PHILIBERTI pag. 68.

Pag. autem 72. incipit enumerare *Dominia*, quæ id temporis, ideſt anno 1576. poſſidebant *Principes, & Duces Sabaudiæ*, & pag. 96. quæ retroactis ſæculis iiſdem Principibus parebant, addito cujuſque Regni, & Provinciæ ſtemmate.

His omnibus ſubjicitur ſeries Chronologica DUCUM SABAUDIÆ a BEROLDO uſque ad CAROLUM EMMANUELEM.

CODEX DLXIII. *l.* I. 73.

Chartaceus, ſæculi XV. habet folia 87. eſt ANTONII ASTESANI *Primi Ducalis Aſtenſium Secretarii de ejus vita, & varietate fortune liber*; mutilus principio, & fine.

Integrum edidit Cl. Muratorius in tomo XIV. *Scriptorum Rerum Italicarum*. Sed & ipſe ſuſpicatus eſt, in Codice, quem adhibuit, aliquid deeſſe. Et merito quidem: nam in Taurinenſi Codice lib. II. cap. 2. poſt eos verſus

Quid credas melius fore quam juvenilibus annis
Virtutem & mores tradere poſſe bonos.

hi duo adduntur

Tantis ergo viris quod commendabile viſum
Officium fuerit. cur tibi turpe putes.

Et in fine capitis VIII. hæc ſubjiciuntur de ALAXIA COMITISSA:

At quam mille anni cum ſeptuaginta meaſſent
Poſtquam Chriſtus homo factus in orbe fuit
Femina ſeva comes accepit Alaxia terram
Aſtenſem. Dextre ſuppoſuitque ſue.
Quam poſt incendit viginti aut circiter annos
Atque urbem totam pene crematvit eam.
Quo memorata comes deceſſit Alaxia in anno
Et penam tanti criminis illa luit.

Tum lib. IV. cap. 4. duo alii leguntur verſus.

Ergo colla jugo ſubdunt: & federa pacis
Cum populo Aſtenſi conciliare volunt.

Digitized by Google

Et lib. VI. cap. I. duo alii.

Hic Rex Robertus paulo poſt venit in urbem
Albam. Rex alti nominis atque potens.

Qui omnino deſiderantur in editione Muratoriana.

Denique completo capite XIII. lib. VI. ſequitur titulus capitis XIV.

Quod Regimen Civitatis Aſtenſis anno Domini MCCCXLI. per nobiles de Caſtello ablatum fuit; ſed folia ab iniqua manu abraſa fuerunt.

CODEX DLXIV. *l.* I. 81.

Partim membranaceus, partim carthaceus, conſtans foliis 264. ſæculi XV. mutilus principio & fine. Explicantur Alphabeti ordine Latina vocabula, eorumque origines traduntur, ut vulgo a *Lexicographis* fieri ſolet, additis etiam hominum, urbium, fluviorum &c. nominibus.

Autoris nomen non indicatur.

CODEX DLXV. *l.* II. 1.

Chartaceus, conſtans foliis 262. ſæculi XV. continet XII. *Cæſarum vitas* a SUETONIO deſcriptas.

CODEX DLXVI. *l.* II. 2.

Membranaceus, habens folia 301. ſæculi XV. in quo eædem *Cæſarum vitæ*, elegantiſſimo ſcriptæ charactere, aureiſque literis initio capitum exornatæ.

CODEX DLXVII. *l.* II. 3.

Membranaceus, ſæculi pariter XV. habet folia 139. Eædem prorſus habentur XII. *Cæſarum vitæ*, eadem characteris venuſtate, eademque ornamentorum elegantia exaratæ.

CODEX DLXVIII. *l.* II. 5.

Membranaceus, conſtans foliis 14. ſæculi XIV. nitidiſſimi characteris, variiſque picturis conſpicuus: in quo SALUSTIUS *de Bello Catilinario*.

CODEX DLXIX. *l.* II. 15.

Chartaceus, conſtans foliis 148. ſæculi XV. in quo GUIDONIS COLUMNÆ *Rerum Troicarum hiſtoria* libris XXXIV. comprehenſa, ex *Dicte Cretenſi*, aliiſque autoribus concinnata.

Multa de GUIDONE COLUMNA MESSANENSI habet Antoninus Mongitor *Biblioth. Siculæ* Tom. I. pag. 265. plurimaque hujus operis MSS. exemplaria recenſet, quibus nunc addi poſſunt *Taurinenſia*.

Italice etiam prodiit hæc Hiſtoria, autore CHRISTOPHORO CEFFIO *Florentino*, ut poſt *Diarium eruditorum Italiæ* Tomo XIII. notavit Albertus Fabritius in *Bibliotheca Mediæ*, & *Infimæ Latinitatis* Tom. III. *pag.* 383.

CODEX DLXX. *l.* II. 16.

Chartaceus, ſæculi XV. habet folia 127. Eſt eadem *rerum Troicarum hiſtoria*, autore GUIDONE COLUMNA.

CODEX DLXXI. *l.* II. 17.

Chartaceus, ſæculi pariter XV. conſtat foliis 171. Idem tertio opus GUIDONIS COLUMNÆ.

CODEX DLXXII. *l.* II. 18.

Membranaceus, conſtans foliis 96. ſæculi XIII. Eadem quarto GUIDONIS COLUMNÆ hiſtoria.

In fine hæc habentur.

Factum eſt autem preſens opus anno Dominice Incarnationis milleſimo ducenteſimo.

CO-

Digitized by Google

CODEX DLXXIII. *l.* II. 19.

Chartaceus, ſæculi XV. conſtat foliis 186. Eadem quinto *rerum Troicarum hiſtoria*, autore GUIDONE COLUMNA.

CODEX DLXXIV. *l.* II. 20.

Membranaceus, habens folia 128. ſæculi XII. Continet *Hiſtoriam* HEGESIPPI *de excidio Hieroſolymitano*.

Præfatio ſic incipit: *Quatuor libros regnorum quos Scriptura complexa eſt ſacra etiam ipſe ſtilo perſequutus uſque ad captivitatem Judeorum murique excidium & Babylonis triumphos hiſtorię in morem compoſui &c.*

De hac HEGESIPPI hiſtoria videre eſt Albertum Fabritium *Bibliothecæ Græcæ* Tom. IV. part. I. pag. 231.

CODEX DLXXV. *l.* II. 21.

Membranaceus, ſæculi XV. elegantiſſime ſcriptus a *Chriſtophoro Bergomenſi*, ut dicitur in fine, conſtat foliis 143. Sunt in eo *libri* XI. *Hiſtoriæ* EUSEBII, interprete RUFFINO.

CODEX DLXXVI. *l.* II. 22.

Chartaceus, conſtans foliis 99. ſæculi XV. *hiſtoriam* complectitur PAULLI OROSII.

CODEX DLXXVII. *l.* II. 23.

Membranaceus, habens folia 112. ſæculi XIV. in quo PETRI TRECENSIS hiſtoria, quæ in multis aliis codicibus.

CODEX DLXXVIII. *l.* II. 24.

Membranaceus, conſtans foliis 383. ſæculi XIV. Eſt pars ſecunda *Speculi hiſtorialis* VINCENTII BELLOVACENSIS.

CODEX DLXXIX. *l.* II. 30.

Chartaceus, conſtans foliis 209. ſæculi XVII. *Inſtrumenta* continet *authentica translationum ſanctorum corporum, & ſacrarum reliquiarum a veteri in novam Principis Apoſtolorum Baſilicam*, additis Pontificum ſuper hac re decretis. Laudata vero *Inſtrumenta* rerum geſtarum memoriam complectuntur ab anno 1605. uſque ad annum 1618.

Fol. 159. Hæc adnotantur. *Ego Jacobus Grimaldus publicus Apoſtolica auctoritate Notarius in archivio Romanæ Curiæ deſcriptus de præmiſſis rogatus in fidem manu propria ſcripſi ſubſcripſi, & ſignum meum ſolitum & conſuetum appoſui*: quod quidem ſingulis inſtrumentis appictum eſt. Codex itaque eſt autographus.

Fol. 171. Series hiſtorica habetur monumentorum Romanorum, Græcorumque, quæ ab anno 1610. uſque ad annum 1618. *Romæ* in dies eruta ſunt. Picti cernuntur lapides, & nummi, ſed ab indocta manu.

CODEX DLXXX. *l.* II. 33.

Chartaceus, habens folia 269. ſæculi XIV. Eſt primo loco *Hiſtoriæ Trojanæ compendium* a GERARDO CLERICO ſub anno 1373. ſcriptum, ut dicitur in præfatione.

Fol. deinde 62. *Epiſtola* S. BERNARDI *ad Dominum Raymundum de Caſtro Ambroſii militem de gubernatione cujuslibet ſtatus hominis*.

Hæc epiſtola eſt veluti diſtributa in quædam breviſſima capita, de *Regula vivendi*, de *Negligentia*, de *Animalibus*, de *Nuptiis*, de *Guloſo*, de *Burſa*, de *Avaritia*, de *Blado*, de *Feminis*, de *Veſtibus*, de *Amicis*, de *Formulis*, de *Ædificatione*, de *Venditione*, de *Uſura*, de *Emptione*, de *Vino*, de *Teſtamento*, de *Filiis*, de *Matre &c.* Et hæc capita rubro diſtincta ſunt colore.

In fine

Explicit epiſtola S. Bernardi ad Dominum Raymundum de Caſtro Ambroſii militem Deo gratias. Fal-

Digitized by Google

Falso Librarius tribuit hanc epistolam *S. Bernardo* Abbati Claravallensi, viro excultissimo. Ejus enim autor est *Bernardus* cognomento *Sylvester*, sive *Carnotensis*. Hoc in errore fuerunt autores omnium editionum *S. Bernardi* a *Parisiensi* anni 1586. usque ad Horstianam 1641. ut notat Albertus Fabritius *Bibliothecæ Mediæ, & Infimæ Latinitatis* Tom. I. pag. 637. Et quidem in codice *e.* IV. 1. ubi hæc eadem epistola habetur, non *S. Bernardo*, sed *Bernardo* sine ullo adjuncto tribuitur. Hinc utrumque codicem invicem conferentes, multas lectionis discrepantias observavimus, ut ex initio utriusque, quod subjicimus, clare patebit, prætermissa nunc capitum sectione, quæ in priore nulla est.

In Cod. *e.* IV. 1. ita incipit:

Ratiosso militi & Felici Raymundo Domino Castri Ambrosii Bernardus in servum deductus salutem. Doceri petis a nobis de cura & modo rei familiaris utilius gubernandę, & qualiter patres familias debeant se habere.

Ad quod respondemus quod licet rerum omnium mundanarum status & exitus negotiorum sub fortuna laborent non tamen hoc timore vivendi est tibi regula obmittenda. Audi ergo & attende quod in domo tua sumptus & redditus sint equales. Casus inopinatus poterit destruere statum tuum. Status hominis negligentis domus ejus est ruinosa &c.

In Cod. autem *l.* II. 33.

Incipit epistola S. Bernardi ad Dominum Raymundum de Castro Ambrosii militem de gubernatione cujuslibet status hominis.

Bernardus in servum deductus salutem. edoceri petisti a nobis de cura, & modo rei familiaris utilius gubernande. & qualiter pater familias se debeat habere. Ad quod tibi respondemus. quod licet omnium rerum mundanarum status & exitus negotiorum sub fortuna laborent tamen non est vivendi regula submittenda. De Regula Vivendi. *Audi ergo & attende quod si sumtus & redditus sint equales casus inopinatus poterit destruere statum ejus. Status negligentis hominis domus est ruinosa.* De Negligentia *&c.*

Fol. 65. *Vita* Alexandri Magni, de qua V. Codicem *k.* II. 20.

Fol. 137. Johannis de Mandeville *Itinerarium*: ad cujus calcem hæc leguntur: *Explicit Itinerarium a terra Anglie in partes Jerosolymitanas editum primo in lingua Gallica a Domino Johanne de Mandeville milite suo auctore anno* 1355. *in Civitate Leodiensi. & paulo post in eadem Civitate translatum in formam Latinam.*

Itala etiam lingua pluries editum fuit. V. Albertum Fabritium Tom. IV. pag. 289. *Bibliothecæ Mediæ, & Infimæ Latinitatis.*

Fol. 214. *Fratris* Jacobi de Cessolis *Ordinis Prædicatorum* liber de Ludo Scachorum.

CODEX DLXXXI. *l.* II. 38.

Chartaceus, constans foliis 211. sæculi XVI. in quo Alphonsi del Bene de *Regno Burgundiæ Transjuranæ libri tres.*

Fol. 185. ejusdem de *Origine Familiæ Cisterciensis, & Altacombæ S. Sulpicii Cœnobiorum*, quæ in *Sabaudia* sita sunt; epistola ad *Edmundum a Cruce Abbatem Cistercii.*

Fol. 202. ejusdem epistola *de insignibus* Familiæ Sabaudicæ ad *Johannem Franciscum Berriletum* Sabaudiæ Ducis *Consiliarium.*

Picta sunt in fine Sigilla vetusta Principum Sabaudiæ, relata etiam a Guichenonio in Tomo I. *historiæ Regiæ Sabaudæ Domus.*

CODEX DLXXXII. *l.* III. 42.

Chartaceus, constans foliis 137. sæculi XV. Est *memoriale* Guilielmi Ventura *Civis Astensis de gestis Civium Astensium, & plurium aliorum.*

Hoc *Memoriale* in multas veluti partes disectum est, nullo tamen apposito numero; & quidem aliter, quam apud Ludo-

Digitized by Google

Ludovicum Antonium Muratorium in Tom. XI. *Scriptorum Rerum Italicarum* pag. 153. & quam in aliis duobus Codicibus MSS. quorum exemplar nuper nobis dono dedit, vir de literis omnibus optime meritus, *Annonæ Præfectus*, & *Studiorum Moderator* ampliſſimus, COMES S. MARTINI CÆSAR JUSTINIANUS ALFERIUS, ut ex ſectionum, ſeu capitum titulis, quos exſcribere nobis viſum fuit, apertiſſime conſtabit.

Incipit memoriale Guilielmi Ventura Civis Aſtenſis de geſtis Civium Aſtenſium & plurium aliorum.

Apud Murator. *& plurium illorum.*
Pag. 1. *De Azelino de Romano viro crudeliſſimo.*

Apud Murator. & in Codice Alferiano *l.* II. 44. *de Eccelino.*
Pag. 3. *De diſcordia Solariorum & Societatis Berchincin.*

Apud Murator. *& ſocietatis Benchincinerem*: & in Cod. Alfer. *l.* II. 44. *Becincinam*: in altero autem Codice deſunt ea verba.
Pag. eadem. *De Stella Cometa.*

In Cod. Alfer. *l.* II. 43. *de Stella Comata.*
Pag. 4. *De Carolo comite Provincie qui factus fuit Rex Sicilie Apulie & Calabrie.*

In Cod. Alfer. *l.* II. 43. deſunt ea verba, qui *factus fuit Rex Siciliæ &c.*
Pag. 5. *De paſſagio Loyſii Regis Francie, & Odoardi Regis Anglie contra Saracenos.*

In Cod. Alfer. *l.* II. 44. *de paſſagio Regum Francie, & Anglie contra Saracenos.* In altero vero deeſt *contra Saracenos.*
Pag. 6. *De Johanono de Beccharia Papienſi.*

In Cod. Alfer. *l.* II. 43. *de Johano*, & deeſt vox *Papienſi.*
Pag. 11. *Expulſio Regis Caroli de Sicilia.*

Apud Murator. & in Cod. Alferiano *l.* II. 43. *de Carolo Rege Siciliæ.*
Pag. 17. *De Marchione Pellavicino.*

In Cod. Alfer. *l.* II. 44. & in adnotationibus Muratorianis *Pallavicino*.
Pag. 18. *De diviſione Lombardiae & multa mala in multis Civitatibus.*

Apud Murator. *& de multis malis in Civitatibus ejus.*

In Cod. autem Alfer. *l.* II. 43. hæc deſiderantur.
Pag. 23. *De Civitate Ferrarię, & Placentię.*

In Cod. Alfer. *l.* II. 43. deeſt *& Placentię.*
Pag. 24. *Diſcordia Regis Francię, & Regis Anglię.*

In Cod. Alfer. *l.* II. 44. *diſcordia Regum Francię, & Anglię.*
Pag. 26. *Manuel Comes de Blandrate Dominus Montis Acuti.*

Apud Murator. deſideratur *Comes*, ſicut & in Cod Alfer. *l.* II. 44.
Pag. 29. *Antiqui actus Lombardorum.*

Hoc caput in Cod. Alfer. *l.* II. 43. inſertum eſt antecedenti.
Pag. 30. *Indulgentia Romę facta ſub Bonifacio.*

Murator. addit *Papa.*

Cod. autem Alfer. *l.* II. 44. addit VIII.
Pag. 41. *Albertonus de Spectinis Placentinus.*

In Cod. Alfer. *l.* II. 43. *de Spectenis.*
Pag. 44. *Mornellus Tſembardus Papienſis Poteſtas Aſt.*

Apud Murator. *Manuellus*: deſideratur autem *Papienſis.*
Pag. 45. *Raynaldus de Lecco venit in Lombardiam.*

Apud Murator. & in utroque Cod. Alfer. *de Læto.*
Pag. 47. *De Muſtiola.*

Apud Murator. & in utroque Cod. Alfer. *De Muſteola.*
Pag. 48. *Cavalterium captum fuit.*

In Cod. Alfer. L. II. 43. hoc caput inſertum eſt præcedenti.
Pag. 52. *Comes Philippus captus fuit.*

In Cod. Alfer. L. II. 43. *Comes Philipponus.*
Pag. 55. *Obitus illorum de Caſtello.*

In

Digitized by Google

In Cod. Alfer. L. II. 43. hoc caput inſerum eſt antecedenti.

Apud Murator. & in Cod. Alfer. L. II. 43. duo adduntur capita; ſcil. XLIX. *Primus ſermo* : & L. *epiſtola miſſa Julio Gardino a Philippo ejus filio*, ſive, ut in eodem Cod. Alfer. *ejus ſocio*.

Pag. 60. *Ruina Aſtenſium facta apud Quatridas*.

In edit. Murator. *Quatordas*.

In Cod. Alfer. L. II. 43. *Quatordeis*.

Pag. 64. *Paſtroni expulſi fuerunt de Vignali*.

In Cod. Alfer. L. II. 44. *Paſtuni*.

Pag. eadem. *De fame valida, & epidimia multarum Provinciarum*.

In Cod. Alfer. L. II. 43. hæc inſerta ſunt capiti antecedenti.

In edit. autem Murator. & in citato Cod. Alfer. L. II. 43. ſequitur caput LVII. *Præcepta data filiis meis pro meo Teſtamento*.

Pag. 67. *Quando Imperator receſſit ex Aſt & ivit Vercellas & ad alia loca*.

Murator. addit *Caſale*.

In Cod. autem Alfer. L. II. 44. *adventus Henrici Imperatoris Romanorum &c.*

Pag. 69. *Quando venit Januam*.

Murator. addit *Henricus*, æque, ac Codex Alfer. L. II. 44.

Pag. 70. *Quando ivit Piſas*.

Murator. & Cod. Alfer. L. II. 44. addunt *Henricus*.

Pag. 71. *Imperator venit in*

Murator. addit *Tuſciam*. & Cod. Alfer. L. II. 44. *in Tuſcanam*.

Pag. 72. *Piſani elegerunt Vicarium Uguçionem de Faxola*.

Apud Murator. *de Fagiola*.

Pag. 73. *De captione Comitis de Salaburga & de captione Monicii*.

Apud Murator. *de captione Comitis de Salabruga, & de captione Morutii*.

In Cod. Alfer. L. II. 43. *de captione Comitis de Salabruga, & Morotii captura*.

In altero vero L. II. 44. deeſt *de captione Morutii*.

Pag. 74. *De obſidione Draconerii*.

In Cod. Alfer. L. II. 43. *Draconerii*.

Pag. eadem. *De adventu Dalphini in Italiam*.

Apud Murator. *Delphini*.

Pag. 77. *Conflictus Comitis Guarnerii & Ugonis de Baucio Seneſcalchi juxta Quatridas*.

Apud Murator. *juxta Quatordas*.

In Cod. Alfer. L. II. 43. *juxta villam Quatordearum*.

Pag. 81. *Conflictus Ugonis de Baucio a ſtipendiariis Mediolanenſibus*.

In Cod. Alfer. L. II. 44. *Ugo de Baucio afflictus a Mediolanenſibus*.

Pag. eadem. *Alexandrinorum prodigioſa mutatio*.

In Cod. Alfer. L. II. 43. *proditioſa mutatio*.

Pag. 82. *Quod Rizardus Gambaliſta & Ugo de Baucio ceperunt multas Villas Alexandrinis*.

Apud Murator. *Rizardus Gambateſa*.

In Cod. Alfer. L. II. 44. *Gambateiſa*.

Pag. eadem. *De Victuariis Aſtenſium, & Forenſium Alexandrinorum*.

Apud Murator. *de Victoriis*.

Pag. 83. *De Treuga Aſtenſium cum Forenſibus ſuis & Principe ac Marchione Salutiarum MCCCXVI. die X. Aprilis*.

In edit. Murator. hæc Tregua pacta fuiſſe dicitur *die primo Aprilis*.

In Cod. autem Alfer. L. II. 44. ſimpliciter habetur *menſe Aprili*.

Pag. 84. *De vaſtis datis per Principem & Forenſes Aſtenſes uſque prope Aſt*.

Apud Murator. de *guaſtis*.

Pag. eadem. *De geſtis Banelerii Cavallerii Forenſis de Cuneo & Ugonis de Baucio ac Rizardi Gambaliſtæ Seneſcalchi*.

Apud Murator. *De guaſtis* (*alibi de geſtis*) *Gaucherii Cavallerii Forenſis de Cuneo, & Ugonis de Baucio, ac Rizardi Gambateſæ Seneſcalchi*.

In Cod. autem Alfer. L. II. 44. *Geſta per Pancherium Cavallerii, & Seneſcalcum*.

Pag. 85. *De morte Opecini Spinolæ*.

In

Digitized by Google

In Cod. Alfer. L. II. 43. a pag. 82. uſque ad *mortem Opecini Spinolæ* nulla eſt capitum diviſio.

Pag. eadem. *Rizaldus Gambateſia Seneſcalcus Regius.*

Apud Murator. *Rizardus Gambateſa.*

In Cod. Alfer. *l.* II. 43. quæ ſequuntur, omnia continua oratione, ſine ulla capitum diviſione ſcripta ſunt.

Pag. 87. *De Janne de Oſſa Epiſcopo Avenionenſi, de diviſione Cardinalium poſt mortem Papę Clementis & electione Papę Johannis.*

Apud Murator. de *Johanne* de *Oſſa.*

In Cod. Alfer. *l.* II. 44. *de Johanne de Oſſa electo Pontifice.*

Pag. 89. *De diſcordia Januenſium.*

Addit Murator. *& de ſubſequentibus actibus eorum*: tum caput centeſimum *de morte Hugonis de Baucio*, quod in noſtris codicibus inſertum eſt capiti *de Diſcordia Januenſium.*

Pag. 93. *De Bertramo Cardinali Legato Apoſtolico contra Mapheum Veſcontum.*

Apud Murator. *de Beltramo.*

Pag. 98. *De obſidione Burgi per Gibellinos Veſcontos.*

Apud Murator. *de obſidione Burgi, & de Gibellinis Veſcontis.*

In Cod. autem Alfer. *l.* II. 44. *per Gibellinos, & Vicecomites.*

Pag. eadem. *De liberatione Placentię a Galeacio Veſconto.*

Apud Murator. *& de Galeacio Viſconto.*

Pag. 99. *De Guilelmo Puſtela Mediolanenſi & de expulſione Galeacii Vicecomitis & reverſione Mediolanenſium.*

Apud Murator. hæc inſerta ſunt capiti antecedenti *de liberatione Placentiæ.*

Pag. 100. *De Raymondo de Cardona & quod Forenſes ceperunt Albiganam.*

Murator. addit *Januenſes.*

Pag. 102. *Extracta de Cronica Aſtenſium per Ogerium Alpherium.*

Apud Murator. *Chronicon Aſtenſe extractum ex Chronicis Aſtenſibus editis per Ogerium Alferium.*

Primum caput in eadem editione Muratoriana eſt, *ubi condita fuerit civitas Aſtenſis.* Hoc autem deſideratur in noſtro Codice. Habetur vero in Cod. Alfer. *l.* II. 44.

Pag. eadem. *De amplificatione civitatis Aſtenſis per Brennium.*

Codex Malaſpinæus, quo uſus eſt Muratorius, clauditur his verbis, *& multas alias Civitates in Italia.*

In noſtro autem Codice hæc præterea adduntur: *iſte vero Brennius fuit de Ultramontanis partibus de terra Saxonia ſeu Senonenſi & fuit primus alienigena qui introduxit exercitum & guerram in Italia.*

Habentur etiam in Codice Alfer. *l.* II. 44.

Pag. 103. *Quando Lombardi venerunt in Italiam.*

Apud Murator. hoc caput præcedit, æque ac in Cod. Alfer. *l.* II. 44.

Pag. eadem. *Quando fuit ab ea ſuccenſa.*

Apud Murator. & in Cod. Alfer. *l.* II. 44. hæc inſerta ſunt capiti antecedenti.

Pag. 104. *Quando Civitas Aſtenſis deſtructa fuit incendio per Nazarium Epiſcopum Aſtenſem & Eccleſiam Aſtenſem.*

Apud Murator. & in Cod. Alfer. *l.* II. 44. hæc inſerta ſunt capiti antecedenti.

Pag. eadem. *Quando Civitas Aſtenſis deſtructa fuit per Federicum Barbarufam.*

Apud Murator. *Barbaroſſam.*

Pag. 105. *De bello Aſtenſium & Alexandrinorum, & de rupta apud Quatridas.*

In edit. Murator. *apud Quatordas.*

Pag. eadem. *De rupta Aſtenſium per Alexandrinos apud Calamandram.*

Hæc apud Murator. inſerta ſunt capiti antecedenti.

Pag. 106. *De guerra inter Thomam Comitem Sabaudię & Civitatem Aſt.*

Apud Murator. *per Comitem Thomam Sabaudiæ & Commune Aſtenſe.*

Pag. eadem. *De rupta data Aſtenſibus per gentes dicti Caroli.*

Hæc apud Murator. inſerta ſunt capiti antecedenti.

Digitized by Google

Pag. 107. *De guerra Aſtenſium, & Marchionis Montisferrati.*

Apud Murator. quæ ſequuntur uſque ad caput *de primo poteſtate Civitatis Aſtenſis*, inſerta ſunt huic capiti.

Pag. 111. *De Poſſe veteri Civitatis Aſtenſis.*

Hæc apud Murator. & in Cod. Alfer. L. II. 44. inſerta ſunt capiti antecedenti. Percurrentibus autem caput, nobis occurrerunt in noſtris codicibus poſt verba illa *Rippæ Ruptæ &c.* ſequentia; quæ omnino abſunt ab editione Murator. *Villa Vallis Manerię & Poſſe poſita eſt in Poſſe veteri Civitatis Aſtenſis, ſive in Burgis coherentibus Civitati & homines qui ibi habitant ſolvunt fodrum in Aſt.*

Pag. eadem. *Quod Civitas Aſtenſis a malis ſemper ſe defendit.*

Apud Murator. hæc inſerta ſunt capiti antecedenti.

Pag. 112. *De religionibus Civitatis Aſtenſis.*

Apud Murator. inſerta ſunt capiti antecedenti.

Hæc notaſſe ſufficiat: multæ enim aliæ ſunt lectionis diſcrepantiæ; quas omnes commemorare neque hujus eſt loci, neque muneris, quod explendum ſuſcepimus.

Pag. 113. *Memoriale* SECUNDINI VENTURA *de rebus Aſtenſibus*. Hoc quoque typis vulgavit in citato Tomo XI. *Scriptorum Rerum Italicarum* Vir doctiſſimus Muratorius; collatiſque ad invicem codicibus, multum pariter diſcriminis intereſſe cognovimus, præcipue vero ſub finem, ubi in noſtro Codice, eodem omnino charactere ſcripta, continuaque orationis ſerie, leguntur ſequentia, nihil ceteroquin ad res *Aſtenſium* ſpectantia.

„ Anno DLXXXIIII. mirabilia „ quedam circa hec tempora contigiſ„ ſe narrantur. Cometa apparuit. „ Puer quadrupes, alter duos natices „ habens nati ſunt Biſantii. Sangui„ neę haſtę & lux clariſſima per to„ tam noctem videbantur. Puer ſine „ oculis & manibus qui a lumbis in„ fra erat ſicut piſcis in Nilo apud „ Egyptum. & duo animalia appa„ ruerunt humana forma. Vir & mu„ lier horribili aſpectu. quaſi per „ VIIII. dies Sol a mane uſque ad „ meridiem minoratus eſt de tertia „ parte, que omnia aliquid novi ſo„ lent ſignificare. Quidam putant quod „ prefiguravit beſtialem monſtruoſam „ Sectam Sarracenorum quę quaſi ter„ tiam partem Chriſtianitatis in brevi „ corrupit & non longe poſt hec tem„ pora ſurrexit.

„ Anno DCCCCXVIIII. monſtrum „ habens caput Caninum & cetera „ membra ſicut homo preſentatur Lu„ dovico, & bene potuit monſtruo„ ſum ſtatum ſignificare hujus tempo„ ris ubi homines ſine capite quaſi „ canes latrando.... vacillabant.

„ Anno MCCCCLIIII. Conſtanti„ nopolis Civitas Imperialis capitur „ ab infidelibus Turcis tradita per „ quemdam Januenſem qui per tri„ duum conſtituitur a Turcho Rex „ juxta permiſſum & die quarto de„ colatur & fit planctus in tota Chri„ ſtianitate & timor grandis. Multi „ Chriſtiani trucidati ſunt & innume„ rabiles Veneti. Imperatoris corpus „ jam mortuum decapitatum fuit ex „ livore Turci & periit pene totaliter „ fides in Graecia.

„ Fridericus Dux Auſtriæ electus „ fuit in Regem Allamaniae & diu „ diſtulit coronari a Papa propter Sciſ„ ma. tandem facta unione a Nicolao „ cum magna gloria Imperiali diade„ mate extitit in urbe coronatus, vir „ utique pacificus & quietus & pa„ tientia ſingularis nec odiens Deum „ filiamque Regis Portugaliae ſumpſit „ in uxorem. MCCCCLXXI. ma„ gnam fecit convocationem Princi„ pum in Ratisbona propter incurſio„ nem Turcarum proponens eis quod „ jam infra XX. annos Chriſtianitas „ diminuta eſſet ad centum leucas... „ quaſi monet ut ad reſiſtendum ſe pa„ rarent.

„ Maxi-

Digitized by Google

„ Maximilianus Archidux Auſtriae
„ & Dux Burgundiae filius fuit Fri-
„ derici Imperatoris tertii predicti,
„ quem ob virtutum ſuarum laudem
„ Archiprincipes Sacri Imperii Electo-
„ res in Regem Romanum unanimi
„ corde patre ſuo preſenti in Franc-
„ fridia MCCCCLXXXVI. elege-
„ runt. & paulo poſt in Aquiſgrana
„ Imperiali Civitate coronaverunt &
„ more facto verum futurum Impera-
„ torem unxerunt.

Pag. 125. Additur *Oratio a Legatis Civium Aſtenſium habita ad Philippum Mariam Mediolani Ducem.* Abeſt & hæc ab editione Muratoriana, & autographa nobis videtur.

„ Tibi Principum feliciſſimo invi-
„ ctiſſimoque dum tua Haſtenſis Ci-
„ vitas nuper aquiſita ſalutem optat &
„ dicit. & ut ad Neſtoris annos do-
„ mineris. Nos qui in ejus Legatos &
„ Procuratores ad tuam Excellentiam
„ deſtinavit debitum fidelitatis jura-
„ mentum eidem preſtituros. Ne ta-
„ men quanti fuerit & ſit ipſa aquiſita
„ Civitas Ill.ma Dominatio tua per om-
„ nia ignoret aliqua de ea paucis ex-
„ plicabo. Antiqua eſt Urbs quam
„ Brenus Mediolani & plurium Civi-
„ tatum Lombardie reformator &
„ fundator anno ab Urbe condita
„ CCCLXXII. ampliorem fecit. De-
„ mum fuit Colonia Romanorum.
„ Haſtaque Pompea dicta. eo quod
„ Haſtis ſeu veteranis Pompeii magni
„ militibus colenda tradita fuiſſet.
„ cum prius Tanagrella vocaretur.
„ Poſt hec cum Celſitudini Imperiali
„ immediate ſubeſſet ob immenſa ejus
„ erga Imperium collata beneficia mul-
„ tiplicataque ſervitia dominium ſuper
„ multa oppida & caſtra multaſque
„ villas cum plena & Imperiali pote-
„ ſtate obtinuit. & ne ulli hominum
„ Principumve ſubjici poſſet. ſed que
„ per proprios cives gubernaretur. Qua
„ ſic dominante Marchionatum Ceve
„ M. aureorum pretio comparavit.
„ Tandem cognoſcens (ut & ait Phi-
„ loſophus) Reſpublicas melius per
„ unum Principem gubernari ex plu-
„ ribus competitoribus ſibi in Domi-
„ num elegit illum Ill.um ac integerri-
„ mum Principem D. Jo. Galeaz Vi-
„ cecomitem Dominum Mediolani Im-
„ perialemque Vicarium tue Excellen-
„ tie predeceſſorem dictum Comitem
„ virtutum nomenque rei conſequens
„ habentem. Cui circiter annos octo
„ quiete paruit. Quouſque ipſe D. Co-
„ mes in Ill.am Dominam Valentinam
„ ejus filiam ſuoſque Succeſſores Civi-
„ tatem noſtram dotali titulo tranſtu-
„ lit: quibus omnibus Principibus ſuis
„ Haſta noſtra fuit ſemper pro viri-
„ bus officioſa. & ſuper omnia fidelis
„ adeo ut ſinguli Principum privile-
„ gia immunitates & alia eidem con-
„ tulerint. Et fuit in ſe ipſa vera Ci-
„ vitas: hoc eſt bona Civium uni-
„ verſitas.

„ Nunc vero ſic diſponentibus fa-
„ tis ad Te Principem ſapientiſſimum
„ ipſius Dominum virtutum Comitem
„ re & nomine Succeſſorem cujus
„ prudentia proprios annos excedit
„ ipſa Haſta merito reverſa eſt.

„ Sub cujus potenti & ſapientiſſimo
„ regimine ſperamus peroptime & in
„ omni tranquillitate gubernari. Tibi
„ libentiſſime parebimus debitaque ſer-
„ vitia & debitos honores preſtabi-
„ mus. quos hactenus propter civium
„ abſentiam impendere non valuimus.
„ & non minus ac ceteris ſuperioribus
„ noſtris erimus tue Excellentie fide-
„ les a qua majora quam a ceteris
„ Principibus noſtris expectamus. eter-
„ naque in fine ſermonis exprimen-
„ da. Tum quia Celſitudo tua ſolet
„ ſuos predeceſſores in liberalitate &
„ munificentiis non tantum imitari
„ quam verum etiam excedere. Tum
„ quia ut ipſa novit ſuperioribus pro-
„ ximis diebus captivitates predas rui-
„ nas & depopulationes paſſi fuimus.
„ & intra annum bis patrie fines bis
„ dulcia liquimus arva. bis patriam
„ fugimus. & fas ac pium eſt ut tua

Digitized by Google

„ illuſtriſſima Dominatio non ignara
„ mali miſeris ſuccurrere diſcat.
„ Ceterum tue Celſitudini gratias
„ agimus ob nobis datum Preſidem
„ magnificum Dominum Jo. Bapt. Co-
„ mitem Claraſci nobiliſſime..... fa-
„ millie decus Ceſareum Senatorem &
„ millitem, ac tue Excellentie Con-
„ ſiliarium benemeritum virumque lit-
„ teratiſſimum & conſumatiſſimum ju-
„ ſtitieque zelatorem. & totum Patrie
„ Haſtenſi gratiſſimum. quem ob
„ ejus virtutes ſingularemque benigni-
„ tatem a Nobilibus Plebeis & etiam
„ ab ipſis parvulis..... adamatum.
„ & pro ut decet obſervatum. quem ut
„ diu nobis preſit tue Excellentie ſuppli-
„ camus.

Pag. 126. Huic codici attexta ſunt in fine, & quidem in *Octavo*, alia Chronica rerum geſtarum ab Aſtenſibus, aliiſque populis, ſed mutila principio, & ſine autoris nomine, nec mendis carentia, ad temporum ordinem præſertim quod ſpectat. Quæ ſuperſunt, ab expugnatione incipiunt Inſulæ Rhodi per milites Hieroſolymitanos, & progrediuntur uſque ad annum MCCCCLXXI. quo Aſtam receptum fuit corpus S. Martyris Secundi.

Ut ſunt, ea damus, non injucunda certe iis futura; qui colligendis, evulgandiſque rerum Italicarum monumentis operam ſuam impendunt.

.....Capti fuerunt & bona
„ eorum confiſcata & a dicto Regno
„ perpetualiter banniti & expulſi. Eo-
„ dem anno Hoſpitalerii Sancti Johan-
„ nis ſeu milites Hieroſolimitani cum
„ exercitu Chriſtianorum expugnare
„ ceperunt Inſulam Rodi. & circum-
„ ſtantes Inſule quinque ſteterunt in
„ pugna & conflictu pariter obſeſſe
„ per annos quatuor. & finaliter Teu-
„ cros qui illas proſſidebant expule-
„ runt.
„ Anno MCCCIII. expulſi fuerunt
„ a Civitate Aſtenſi illi de Solario
„ per Gutuarios. & anno ſequenti
„ MCCCIV. reverſi fuerunt in Civi-
„ tate. & expulſi Gutuarii.
„ Anno MCCCV. reverſi fuerunt
„ Gutuarii in Aſt cum eorum amicis
„ per Imperatorem.... cum concor-
„ dia.
„ Anno MCCCVI. Illuſtriſſimus D.
„ Theodorus filius Imperatoris Con-
„ ſtantinopolitani Grecus accepit Do-
„ minium Montisferrati, & fidelitatem
„ totius dicte Provincie.
„ Anno MCCCVII. quarto idus
„ Octobris capti fuerunt ubique in Re-
„ gno Francie Templarii inopinate. &
„ in Pariſio combuſti fuerunt Magiſter
„ eorum cum quadraginta tribus. &
„ totaliter deſtructa & anichilata ipſa
„ Religio.
„ Eodem anno Dulcinus Novarien-
„ ſis cum uxore ſua, & cum hominibus peſſimi heretici fuerunt per Inquiſitiones condemnati. & peſſima
„ morte defuncti cum aliis de dicta ſe-
„ cta uſque MCCCC. mortui fuerunt.
„ Anno MCCCXI. Iterum ex Aſt
„ expulſi fuerunt Gutuarii cum eorum
„ amicis.
„ Anno MCCCXIII. data fuit Ci-
„ vitas Aſtenſis per illos de Solario
„ Regi Roberto Neapolitano.
„ Anno MCCCXXXII. Reverſi fue-
„ runt Gutuarii cum eorum amicis in
„ Civitate Aſtenſi per ſupradictum Re-
„ gem cum concordia.
„ Anno MCCCXXXIV. receſſe-
„ runt dicti Gutuarii Aſt propter per-
„ ſecutionem factam per illos de Sola-
„ rio in perſonam Olinerii Gutuarii.
„ Anno MCCCXXXIX. de menſe
„ Aprilis in vigilia Sancti Georgii fuit
„ facta rupta gentium Regine Johan-
„ ne neptis Regis Roberti, & natura-
„ lis ipſius Regis per Gebelinos Aſten-
„ ſes. quia paulo ante deceſſerat Rex
„ Robertus predictus cui ſuccedere vo-
„ lebat ipſa Regina Johanna.
„ Anno MCCCXXXIX. die XXII.
„ Septembris expulſi fuerunt illi de So-
„ lario de Civitate Aſtenſi per Gu-
„ tuarios. & factus fuit illis D. Mar-
„ chio

Digitized by Google

„ chio Montisferrati Johannes Capita-
„ neus Aſtenſium. qui via ipſorum
„ de Solario intraverat dictam Civita-
„ tem expulſo Rege Roberto Neapo-
„ litano. cujus Regis temporibus D.
„ Hugo de Bautio fecerat certa pacta
„ inoneſta cum comuni Aſtenſi. ex
„ quibus fuerunt multi nobiles, & bo-
„ ni cives circa, & qui auxilium dede-
„ runt dicto Marchioni ad capiendum
„ dictam civitatem cum dictis de Sola-
„ rio. & ipſe Marchio gravi prelio ſu-
„ peravit & occidit Dominum Refor-
„ tiatum Seneſcalcum Regis Roberti
„ ſupraſcripti. & fregit ejus gentem
„ apud Gamelarium locum juriſdictio-
„ nis Cherii. in quo prelio deceſſe-
„ runt XXX. millia & ultra. Quo fa-
„ cto idem Illuſtriſſimus Dominus
„ Marchio Johannes factus fuit capi-
„ taneus Aſtenſium ut ſupra. & in
„ memoria dicte victorie habite per
„ Aſtenſes fecit ipſe Dominus Marchio
„ edificare Eccleſiam Sancti Georgii
„ extra muros Civitatis Aſtenſis pro-
„ pe monaſterium Sancti Spiritus. &
„ exules poſtea facti ut ſupra illi de
„ Solario cum eorum ſequacibus a Ci-
„ vitate Aſtenſi, & privatus Marchio
„ ſupraſcriptus

„ Anno MCCCXLI. data fuit Ci-
„ vitas Aſtenſis per Gutuarios D. Lu-
„ chino Vicecomiti Domino Mediola-
„ ni tamquam protectori, & deffen-
„ ſori dicte Civitatis

„ Anno MCCCXLVII. fuit magna
„ mortalitas gentium in patria Lom-
„ bardie. Supra ſcriptus Dominus Lu-
„ chinus Vicecomes retinens civitatem
„ Aſtenſem nomine Sacri Imperii fecit
„ edificare caſtrum vetus in loco ubi
„ antea erat locus Epiſcopalis.

„ Anno MCCCXLVIII. obiit pre-
„ dictus Dominus Luchinus Vicecо-
„ mes cui ſucceſſit in dominio Me-
„ diolani & Aſtenſi Reverendus Do-
„ minus Johannes ejus frater Archie-
„ piſcopus Mediolani qui fuit poten-
„ tiſſimus. ut patet ex epitaphio vul-
„ gatiſſimo quod incipit: Quam fa-
„ ctus * que pompa levis que Gloria
„ mundi.

* *Faſtus* Legitur in Cod. *l.* IV. 21. ubi integrum Epitaphium tetulimus.

„ Anno MCCCLIII. die Octobris
„ dictus Reverendus Dominus Johan-
„ nes Archiepiſcopus mortuus eſt re-
„ lictis pro heredibus duobus ſuis ne-
„ potibus Galeacio, & Bernabove qui
„ erant filii condam Stephani ejus fra-
„ tris. Sed Galeacius habuit regimen
„ Aſtenſe. Sed quia res ipſa non fue-
„ rat praticata cum illis de Caſtello
„ qui tunc erant potentes non potuit
„ obtinere intentum ſuum prohibenti-
„ bus illis de Caſtello. Qua ex cauſa
„ indignatus ipſe Dominus Galeacius
„ ſecrete incepit tractare quod illi de
„ Solario domi redirent, & per
„ ipſos de Solario capi fecit Caſtrum
„ Tegliorarum quod tenebant illi de
„ Caſtello. ex qua cauſa indignati illi
„ de Caſtello iterum introduxerunt Il-
„ luſtriſſimum Dominum Johannem
„ Marchionem Montisferrati in regi-
„ men, & gubernium Aſtenſium, &
„ privaverunt dictum Dominum Ga-
„ leacium.

„ Anno MCCCLVI. die XXII. Ja-
„ nuarii dictus Dominus Johannes
„ Marchio intravit ad regimen, &
„ gubernium Aſtenſium, contra quem
„ predictus Dominus Galeacius geſſit
„ lungum bellum.

„ Anno MCCCLVII. facta fuit pax
„ inter dictos Dominum Galeacium,
„ & Marchionem Johannem; & facta
„ fuit reſtitucio Albe, & Novarie.

„ Anno MCCCLIX. iterum incepta
„ fuit guerra inter dictos Dominos. &
„ in dicto anno habuit dictus Domi-
„ nus Galeacius Civitatem Papie.

„ Anno MCCCLXIII. facta fuit
„ pax inter predictos Dominos. & eo
„ anno habuit ipſe Marchio filium
„ unum nominatum Teodorum, qui
„ obiit poſtea de anno MCCCCXVIII.

„ Anno MCCCLXVII. factum fuit
„ matrimonium inter filium Regis An-
„ glie, & filiam Domini Galeaci, &
„ ſibi

Digitized by Google

„ ſibi dedit Civitatem Albe qui deceſſit
„ dicto anno, & fuit ſepultus in Papia.
„ Anno MCCCLXIX. iterum fuit
„ guerra inter dictos Dominos Galeacium, & Marchionem.
„ Anno MCCCLXXII. dictus Dominus Johannes Marchio deceſſit
„ poſt ſe relictis filiis quatuor: videlicet Secondo Othone primogenito Johanne Teodoro & Guliermo. Sed
„ quia Secondus Otho erat fatuus regebatur ab Illuſtriſſimo Domino
„ Othone Duce Bruslinch, cujus prudentia cum reſiſteret ne Dominus
„ Galeacius qui ſucceſſerat Patri ſuo
„ ſupraſcripto Domino Galeacio habere poſſet Civitatem Aſtenſem ut cupiebat dicto Domino Secondo Otthoni cui ſororem ſuam in uxorem
„ dederat ut facilius optatum ſuum haberet ipſe Dominus Johannes Galeacius tractavit quod dictus D. Dux
„ Bruslinch acciperet in uxorem Johannam Reginam Neapolis. & ivit
„ Neapolim, duxitque ſecum Johannem fratrem Secondi Othonis.
„ Anno MCCCLXXII. fuit combuſta una Baſtita ex duabus facta
„ contra Dominum Marchionem tunc habentem regimen Aſtenſium. & anno ſequenti fuit combuſta alia.
„ Anno MCCCLXXV. fuit facta
„ pax inter ipſos Dominos, & fecerunt Domino Marchioni reſtitucionem de locis Sancti Damiani, & Inſule, ac certis aliis parvis locis de
„ deſtrictu Aſt. & de ipſo anno & ſequenti fuit maxima penuria in Lombardia, que duravit per duos annos
„ continuos ita quod ſachum grani menſure Aſtenſis valebat ducatos decem & plus, & alio anno ſequenti
„ non valuit quam ducatos duos pro
„ quolibet ſacco.
„ Anno MCCCLXXIII. Dominus
„ Marchio Secondus Otho Montisferrati ſtultus filius condam Domini
„ Johannis & frater dicti Domini Teodori fuit ad ſtipendium Domini Galeaci & fuit interfectus ab uno
„ Teutonico prope Alexandriam. & de dicto venit Dux Otho de Bruſlinch de Neapoli in Montisferrato
„ ad gubernium ipſius Patrie.
„ Anno MCCCLXXXIV. Dominus Dux Angio & Comes Amedeus
„ de Sabaudia cum aliis multis illuſtribus nobilibus de Francia in numero
„ circa XXX. equitaverunt & de dicto anno ambo deceſſerunt, ſeu
„ mortui remanſerunt.
„ Anno MCCCLXXXVIII. dictus
„ Dominus Galeacius dedit Civitatem
„ Aſtenſem cum tota provincia pro
„ dote Domine Valentine que nupſit
„ Domino Ludovico Duci Turonie
„ fratri Regis Francorum qui poſtea
„ fuit Dux Aurelianenſis, & eo anno
„ fuit tranſducta ad maritum cum ſupradicto Domino Duce. & poſtea
„ habuit plures filios & filias, & inter alios habuit de anno 1399. die
„ 24. Novembris hora 4. noctis Dominum Karolum Ducem.
, Anno MCCCLXXXVIII. Dominus Galeacius Dominum Berna-
„ bovem patruum & ſocerum ſuum
„ omni dominio privavit, perpetuoque
„ carceri intruxit, omnem dominationem Mediolani ſolus obtinuit. Do-
„ minum Ludovicum & Dominum
„ Redulfum ejus filios legitimos, &
„ tres alios baſtardos cepit: baſtardos
„ exponi fecit in furno. mori legitimos in carcere fecit in caſtro Trexii
„ in una turri. & eo anno habuit omnes Civitates & loca que tenebat
„ Dominus Bernabo excepta citadela,
„ & caſtro Brexie ubi erat unus ex filiis dicti Domini Bernabovis qui ſe
„ tenuerunt uſque in diem primum Julii anni 1400. & reliquerunt totum
„ & iverunt in Alemaniam captivati
„ predicti D. Bernabos & filii. Eodem anno incepta fuit guerra Flandrie contra Dominum Flandrie Co-
„ mitem eorum Dominum, & contra
„ Regem Francie, & habuerunt illi
„ Filiandrenſes in campo homines
„ centum milia, & Rex Francorum

Cl.m

Digitized by Google

„ Cl.m & quarum partium guerra con-
„ ſiſtit in verſum : inſurgunt catuli
„ & cupiunt ſpoliare Leonem.
„ Anno MCCCLXXXXIV. Rex
„ Francie effectus fuit Dominus Jo-
„ hanne & de anno 1400. fuit expul-
„ ſus per Illuſtriſſimum Dominum
„ Marchionem Montisferrati Teodo-
„ rum & Comitem Facinum Canem.
„ Anno MCCCCV. Illuſtriſſimus
„ Dominus Galeacius fuit factus Dux
„ Mediolani die X. Decembris in Ec-
„ cleſia Sancti Ambroſii, in qua ſo-
„ lemniter ſermonem egit Reverendus
„ frater Petrus de Candia Ordinis Fra-
„ trum Minorum Epiſcopus Novarien-
„ ſis, qui poſtea fuit Papa Alexander.
„ Anno MCCCCII. Deceſſit Do-
„ minus Galeacius Dux Mediolani in
„ caſtro Marignani.
„ Anno MCCCCIV. Illuſtriſſimus
„ Dominus Teodorus Marchio Mon-
„ tisferrati fecit pacem cum Illuſtriſ-
„ ſimo Domino Principe Achaje in
„ Aſt. accepit in uxorem Domi-
„ nam Margaritam filiam Illuſtriſſimi
„ Amedei Principis Achaje. eodem
„ anno deceſſit Dominus Princeps
„ Achaje.
„ Anno MCCCVII. in feſto S.
„ Clementis de nocte circa horas qua-
„ tuor noctis Illuſtriſſimus Dominus
„ Ludovicus Dux Aurelianenſis frater
„ Regis Francorum in Pariſio fuit in-
„ terfectus proditorie a gente & fami-
„ lia Domini Johannis Ducis Burgun-
„ die precepto ac commiſſione ipſius
„ Ducis Burgundie.
„ Anno MCCCCVIII. de menſe
„ Decembris factum fuit bellum per
„ Ducem Burgundie & Ducem Olan-
„ de contra illos de Lege & in dicto
„ bello ſolum de Legenſibus mortui
„ ſunt plus de XXX. milia, & po-
„ ſtea in anno 1458. de menſe Octo-
„ bris Dux Burgundie totaliter de-
„ ſtruxit dictam Comunitatem Legis,
„ videlicet Eccleſiam & omnia alia
„ edificia. itaque non dimiſſit lapidem
„ ſuper lapidem.

„ Anno MCCCCXII. Dominus Fa-
„ cinus Canis deceſſit. eodem anno Il-
„ luſtriſſimus Dominus Joannes Maria
„ filius Domini Ducis Mediolani Joan-
„ nis Galeacii a quibuſdam nobilibus
„ & civibus Mediolani fuit proditorie
„ interfectus & eidem ſucceſſit Domi-
„ nus Philippus Maria ejus frater qui
„ die XVI. Junii de eodem anno in-
„ travit & obtinuit Dominium Medio-
„ lani.
„ Anno MCCCCXIII. Illuſtriſſimus
„ Dominus Marchio Salutiarum fuit
„ factus ſubditus Dominationi Sa-
„ baudie.
„ Anno MCCCCXIV. die XIV.
„ Aprilis Sereniſſimus Dominus D. Si-
„ giſmondus Romanorum Rex venit
„ Aſt, & deceſſit de anno 1409.
„ Anno MCCCCXV. factus fuit
„ Amedeus Dux Sabaudie qui ante
„ erat Comes per prefatum D. D. Si-
„ giſmondum Regem Romanorum in
„ Chiamberiacho.
„ Eodem anno D. Illuſtriſſimus Do-
„ minus Dux Karolus Aurelianenſis de
„ menſe Octobris in feſto Sancti Chriſ-
„ pini cum multis Illuſtriſſimis de pro-
„ genie & ſtirpe Francie per Anglicos
„ fuerunt captivati & in Anglia ducti.
„ Anno vero 1440. de menſe Octobris
„ prefatus Dominus Dux Aurelianen-
„ ſis fuit liberatus mediante magna
„ ſumma auri.
„ Anno MCCCCXVIII. deceſſit
„ Dominus Teodorus Marchio Mon-
„ tisferrati.
„ Anno MCCCCXVIIII. deceſſit
„ Illuſtriſſimus Dominus Ludovicus
„ Princeps Achaje frater ſupradicti
„ Domini Amedei.
„ Anno MCCCCXXII. Illuſtriſſi-
„ mus Dominus Philippus Maria Dux
„ Mediolani accepit in gubernium ci-
„ vitatem & Patriam Aſtenſem. & de
„ anno precedenti ſubierat Dominum
„ Johannem & de anno 1436. illum
„ amiſſit.
„ Anno MCCCCXXXIII. Illuſtriſ-
„ ſimus Dominus Marchio Montisfer-
„ rati

Digitized by Google

„ rati venit ſub Dominio Ducis Sa-
„ baudie.
„ Anno MCCCCXXX.... Illuſtriſ-
„ ſimus Dominus Philippus Maria Dux
„ Mediolani navali bello apud Gare-
„ tam magno cum triumfo in poteſta-
„ te ſua redegit Regem Navarre & D.
„ Henricum Magnum Sancti Jacobi
„ fratrem dictorum Regum nec non
„ Principem Taranti Ducem Sueffe
„ cum filio ſuo & innumeros alios ma-
„ gnos & Illuſtriſſimos viros ac Vice
„ regem & Comitem Fundorum cum
„ filio ſuo. itaque apud veteres hiſto-
„ ricos nunquam legitur ab uno Duce
„ uno ſolum tot tantoſque Principes
„ captos fuiſſe. quos quidem omnes
„ in Mediolano adduci fecit ad ſe &
„ per aliquod tempus pro ſua gloria il-
„ los tenuit manifeſtando magnanimi-
„ tatem maximam & liberalitatem ma-
„ gnis muneribus donatos libertate in
„ patriam eorum quiſque redire per-
„ miſſit.
„ Anno MCCCCXXXVIII. ſupra-
„ ſcriptus D. Philippus Maria Dux Me-
„ diolani in uxore duxit Mariam fi-
„ liam Illuſtriſſimi Ducis Amadei pri-
„ mi Ducis Sabaudie.
„ Anno MCCCCXLVII. die XII.
„ menſis Auguſti ad horas duas no-
„ ctis in die Dominica veniente tunc
„ Illuſtriſſimus Dominus Philippus Ma-
„ rias Dux Mediolani deceſſit in ca-
„ ſtro porte Jovis quod caſtrum pau-
„ lo poſt Populus Mediolani diruit.
„ Civitas vero Mediolani habebat ma-
„ gnam guerram cum Venetiis & ac-
„ ceperunt pro eorum Capitaneo gene-
„ rali Dominum Comitem Franciſcum
„ Sfortiam qui Comes Franciſcus cum
„ reliquis armigeris Mediolani delevit
„ ac proſtravit nomine ipſorum Medio-
„ lanenſium & conflixit cum maxima
„ victoria apud opidum Aravani totum
„ exercitum Venetorum que Victoria
„ fuit die XV. Decembris in die Do-
„ minico anni MCCCCXLVIII.
„ Anno MCCCCXLVIII. die
„ XVIII. Octobris immediate poſt di-
„ ctam Victoriam prefatus Dominus
„ Comes Franciſcus ſe rebellavit con-
„ tra Mediolanenſes faciens continue
„ contra eos magnam guerram.
„ Anno MCCCCXLV. die XII.
„ Martii Illuſtriſſimus Dominus Johan-
„ nes Jacobus Marchio Montisferrati
„ obiit.
„ Anno MCCCCXLVI. Illuſtriſſi-
„ mus Dominus Comes Franciſcus
„ Sforza cum ſuis armigeris & pediti-
„ bus per multos dies aſſediavit Pla-
„ centiam ac illam ſepe expugnavit ta-
„ liter quod eam devicit in qua erant
„ innumerabiles gentes Venetorum.
„ Tandem predictus Comes maxime
„ preliando illam ingreſſus die 16. No-
„ vembris anni predicti illam ſachegia-
„ vit uſque ad Eccleſias nec pepercit
„ mulieribus in tantum quod fuit res
„ inaudita datio dicti Sachi.
„ Anno MCCCCL. ſupraſcriptus
„ Dominus Comes Franciſcus perſona-
„ liter intravit in urbem Mediolani &
„ ibi in Eccleſia majori dicta il Do-
„ mo receptus eſt in Dominum & Du-
„ cem Mediolani & tunc illic ad pau-
„ cos dies prefatus Dominus Comes &
„ Dux Franciſcus redificare fecit ca-
„ ſtrum porte Jovis de novo.
„ Annc MCCCCLIII. die XXVIII.
„ Maii Civitas Conſtantinopolis ho-
„ ſtiliter fuit a Teucris dimicata &
„ capta.
„ Anno MCCCCLV. die XXV.
„ Januarii fuit facta liga & pax per-
„ petua inter Sereniſſimum Regem
„ Aragonie & Illuſtriſſimum Domi-
„ num Ducem Mediolani ac Illuſtriſ-
„ ſimam Dominationem Venetorum &
„ magnificam Communitatem Florentie.
„ Anno MCCCCLVIII. de menſe
„ Decembris in feſto Sancte Crucis
„ Illuſtriſſima Domina Margarita de
„ Sabaudia nupta fuit Illuſtriſſimo Do-
„ mino Johanni Marchioni Montisfer-
„ rati qui fecit nuptias triumfales in
„ Caſale S. Evaxii ubi viſi fuerunt
„ duorum fratrum predicte Domine
„ Margarite 46. Tubicine pares qui

pul-

Digitized by Google

„ pulſabant cum magno gaudio.

„ Anno MCCCCLVIIII. Rex Fran-
„ cie fuit Dominus Janue & Dominus
„ Johannes Dux Calabrie fulcivit Ca-
„ ſtellum & palatium Curie nomine
„ predicti Regis die VIIII. menſis
„ Maii & inde remanſit locum tenens
„ dictus Johannes Dux in Janua pro
„ prefato Rege Francorum.

„ Anno predicto die XXVIII. Ju-
„ nii Rex Aragonum, & Cicilie no-
„ mine Alfonſus deceſſit in Neapoli
„ & eodem anno ſimiliter deceſſit
„ Papa Caliſtus.

„ Anno MCCCCLXII. die Sabati
„ XIX. Auguſti fuit electus Rome
„ in Papam Pius Secondus. antea vo-
„ cabatur Eneas natione Tuſcie vide-
„ licet de Civitate Sienarum qui po-
„ ſtea in anno 1464. die 4. Auguſti
„ deceſſit.

„ Anno MCCCCLXIV. die XVII.
„ Januarii deceſſit illuſtriſſimus Domi-
„ nus Johannes Marchio Montisferrati
„ qui fuit ſepultus in dicto feſto San-
„ cti Sebaſtiani XXIX. dicti menſis.

„ Eodem anno Illuſtriſſimus Domi-
„ nus Franciſcus Sforzia Dux Medio-
„ lani de menſe Februarii habuit domi-
„ nium Janue & de menſe Maii Amba-
„ ſciatores Januenſes aplicaverunt in-
„ Mediolano videlicet numero XXIV.
„ videlicet XII. nobiles & XII. de
„ Populo, & cum ipſis oratoribus
„ erant equites CCCC. quia cum ipſis
„ iverant multi alii Genuenſes ut
„ triumfis adeſſent qui in Mediolano
„ fiebant. qui Oratores fidelitatem fe-
„ cerunt prefato Illuſtriſſimo Domino
„ Duci nomine Januenſium & ſuorum
„ filiorum & eidem Domino Duci
„ unum pulchrum dederunt Stendar-
„ dum valde mirabile & unam bar-
„ chetam auream valde pulcram & duas
„ claves magnas aureas & magnum Si-
„ gillum Janue & illamet die Caſtel-
„ letus ſe dedit officialibus prefati Il-
„ luſtriſſimi D. Ducis qui gubernavit
„ Genue que antea tenebat per Fer-
„ goſos.

„ Anno MCCCCLXV. Aquilegia
„ Civitas fuit deſtructa ab Attillo Re-
„ ge Ungarie. & ipſo tempore multi
„ viri divites & nobiles de partibus
„ Lombardie fugientes propter Attil-
„ lum edificarunt in certis lagunis &
„ inſulis ſeu ſcopulis iuxta Realtum ubi
„ eſt Venetia & maxime confidentes
„ barbaris non eſſe navigia & illi ſu-
„ per fundamenta lignorum Civitatem
„ firmarunt parvulam in principio
„ quoniam tota Provincia Venetiarum
„ vel quaſi venimus ad ſtandum hic
„ & poſtmodum dicta eſt Venetia &
„ facta eſt maxima Civitas & pulcra.

„ Eodem anno die 4. Januarii Il-
„ luſtriſſimus Dominus Karolus Dux
„ Aurelianenſis deceſſit in quadam Vil-
„ la Aboila, que eſt prope Blex.

„ Anno MCCCCLXVI. Illuſtriſſi-
„ mus Dominus Franciſcus Sforza Me-
„ diolani deceſſit in Mediolano qui
„ fuit vir magnanimus velut alter
„ Ceſar.

„ Anno predicto die XX. Martii
„ ſupraſcriptus Dominus Galeacius ejus
„ filius factus fuit Dux & confirmatus
„ in Ducem Mediolani in Eccleſia
„ majori del Domo. qui venerat in
„ frequentia de Francia & multum
„ ſubtili ingenio quique tranſivit mon-
„ tes cum equis tribus vel circa ubi
„ pro juvando Regem per menſes
„ octo dimittendo ſuas gentes retro
„ que poſtea poſt ipſum venerunt ut
„ potuerunt ſed ipſum oportuit recede-
„ re in frequentia propter mortem ſui
„ patris.

„ Anno MCCCCLXVIII. die
„ XXVI. Junii Illuſtriſſima Domina
„ Bona de Sabaudia per Regem Fran-
„ cie fuit nupta in Illuſtriſſimum Do-
„ minum Galeacium Ducem Mediolani
„ veniendo de Francia & dicta die
„ aplicuit in Savoya & die XXVIII.
„ ejuſdem menſis prefata Duciſſa in
„ Janua aplicuit & ibi factum fuit
„ maximum Triumfum. die vero ſe-
„ quenti receſſit pro Mediolano & pre-
„ fatus Dominus Rex cognatus Ducis

Digitized by Google

„ Sabaudie & ipſius Domine Duciſſe
„ voluit facere dictum matrimonium
„ inviti Ducis Sabaudie & aliis tribus
„ Domine Duciſſe que anno ſequenti
„ 1464. filium unum peperit in Bia-
„ graſſo prope Mediolanum.
„ Anno MCCCCLXX. die XII.
„ Julii Civitas Negroponti fuit capta
„ a Teucris per eorum magnum Ca-
„ nem.
„ Anno MCCCCLXXI. die XXX.
„ Auguſti fuit receptum in Civitate
„ Aſt in Eccleſia Sancti Secondi cor-
„ pus ipſius glorioſiſſimi Sancti Patroni
„ ejuſdem Civitatis.
„ Oroxius ſcribens ad Beatum Au-
„ guſtinum a mondi conſtitucione
„ uſque ad Urbem conditam anni
„ 1484. fluxerunt. ab Urbe condita
„ uſque ad Nativitatem Domini noſtri
„ Jeſu Chriſti 715. & ita ab origine
„ Mondi uſque ad Adventum Chriſti
„ fuerunt 6m. CLXXXXIX.
„ Anno VIXVIII. Sancta Crux per
„ Regem Perſarum Corſre fuit portata
„ in Regno ſuo Perſarum. ſed anno ſe-
„ quenti per Imperatorem Chriſtianiſ-
„ ſimum Erachium honorifice cum
„ gaudio reportata fuit in Civitatem
„ Sanctam Hieruſalem &
„ Anno MCLXXXVII. miſerabi-
„ liter capta & perdita, nec reperitur
„ ubi ſit colocata quia non eſt forte
„ cum debita reverentia & diligentia
„ amplius queſita ſeu requiſita.

Hæc tria poſtrema Chronicorum capita ab autoris inſtituto prorſus aliena videntur : eodem tamen ſcripta ſunt charactere, eandemque, ac cetera, redolent antiquitatem.

Pone ſequitur Sacrorum Italiæ Antiſtitum Elenchus, ſed pagellæ, in qua ſcriptus erat, dimidia pars periit, ob quam rem quid ſibi Chroniſta voluerit, vix intelligi poteſt : uti in Codice exſtat, nos damus

„ In Italia ſunt infra . . . . elati
„ Beneficiati videlicet
„ Primo Sanctiſſimus Papa . . . .
„ Cardinales quinque qui d . . . .
„ Epiſcopi Cardinales VII. . . . .
„ Diacones Cardinales . . . .
„ Archiepiſcopi X. . . . .
„ Epiſcopi CCXXXXVII. . . . .
„ Summa Summarii . . . .
„ In Dominio Regis . . . .
„ XV. & Epiſcopi . . . .

CODEX DLXXXIII. *l.* II. 43.

Chartaceus, conſtans foliis 178. ſæculi XVI. exemplar exhibet *memorialis* GUILLELMI VENTURÆ, ex dono, ut ſupra diximus, Comitis S. Martini Alferii; cui ſubjicitur

Fol. 155. exemplar *memorialis* SECUNDINI VENTURÆ.

Fol. autem 175. eſt *Privilegium conceſſionis magnę indulgentię a Bonifacio VIII. quovis centeſimo indultę, & conceſſę*; quod tum in editione *Muratoriana*, tum in aliis duobus noſtris Codicibus deſideratur, & de quo Cl. Muratorius pag. 191. Tom. XI. *Scriptorum rerum Italicarum* hæc ſcribit in ſuis adnotationibus: *hoc ab authore latum in patriam magnæ prænarratæ Indulgentiæ exemplar, & hac ſua in hiſtoria poſteris datum, dediſſem & ego, ſi quæ teneo, duo mihi M. ſcripta dediſſent.* Nos igitur ex hoc Codice Alferiano damus.

„ Bonifacius Epiſcopus Servus Ser-
„ vorum Dei ad certitudinem præ-
„ ſentium, & memoriam futurorum.
„ Antiquorum habet fida relatio, quod
„ accedentibus ad honorabilem Baſili-
„ cam Principis Apoſtolorum de Ur-
„ be conceſſæ ſunt remiſſiones magnae,
„ & indulgentiae peccatorum. Nos
„ ergo qui juxta officii noſtri debitum
„ ſalutem appetimus & procuramus li-
„ bentius ſingulorum, has remiſſiones,
„ & indulgentias ratas habentes & gra-
„ tas authoritate Apoſtolorum confir-
„ mamus approbamus & etiam inno-
„ vamus & preſentis ſcripti patrocinio
„ communimus. Ut tamen Beatiſſimi
„ Petrus & Paulus Apoſtoli eo am-
„ plius honorentur quo devotius eo-
„ rumdem Baſilicae fuerint a Fidelibus
„ fre-

Digitized by Google

„ frequentatae, & Fideles ipſi ſpiri-
„ tualium largitione munerum ex hu-
„ jus frequentatione magis ſenſerint ſe
„ refectos, nos de omnipotentis Dei
„ & Beatorum Petri & Pauli Apo-
„ ſtolorum ejus autoritate de Fratrum
„ noſtrorum conſilio & Apoſtolica ple-
„ nitudine poteſtatis omnibus in pre-
„ ſenti anno MCCC. a Feſto Natalis
„ Domini preterito proxime inchoato
„ & in quovis anno centeſimo ſecuturo
„ ad Baſilicas ipſas accedentibus reve-
„ renter vere penitentibus & confeſſis
„ vel qui vere penitebunt & confite-
„ buntur in hoc preſenti & in quovis
„ centeſimo ſecuturo annis non ſolum
„ plenam & largiorem, immo pleniſ-
„ ſimam omnium ſuorum concedimus
„ veniam peccatorum. Statuentes qui
„ hujuſmodi indulgentiae ut predi-
„ citur a nobis conceſſae fore parti-
„ cipes eſſe voluerint, ſi fuerint Ro-
„ mani ad minus XXX. diebus con-
„ tinuis vel interpellatis, & ſaltem ſe-
„ mel in die, ſi vero Peregrini fue-
„ rint, vel Forenſes modo ſimili die-
„ bus XV. ad eaſdem Baſilicas acce-
„ dant. Unuſquiſque tamen plus me-
„ rebitur & indulgentiam efficacius
„ conſequetur, qui Baſilicas ipſas am-
„ plius & devotius frequentabit. Nulli
„ ergo omnino hominum liceat hanc
„ paginam noſtræ confirmationis ap-
„ probationis innovationis conceſſio-
„ nis, & conſtitutionis infringere vel
„ ei auſu temerario contraire. Si quis
„ autem hoc attentare preſumpſerit
„ indignationem omnipotentis Dei, &
„ Beatorum Petri & Pauli Apoſtolo-
„ rum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum VIII. Cal. Martii. Pontificatus noſtri anno ſexto.

„ Hæ ſunt Indulgentiæ
„ Eccleſiarum Romæ.

„ Ad Sanctum Johannem de Late-
„ rano octo anni.

„ Ad Sanctam Crucem de Jeruſa-
„ lem triginta duo anni.

„ Ad Sanctum Laurentium quinqua-
„ ginta anni.

„ Ad Sanctam Agnetem XIIII. an-
„ ni.

„ Ad Sanctam Mariam Majorem
„ XIII. anni.

„ Ad Sanctum Antonium ſeptem
„ anni.

„ Ad Sanctam Praxedem II. anni.

„ Ad Sanctam Mariam Rotundam
„ X. anni.

„ Ad Sanctum Petrum ultra C. an-
„ ni.

„ Ad Sanctum Spiritum VII. anni.

„ Ad Sanctum Paulum ultra indul-
„ gentiam C. anni.

„ Ad Sanctam Sabinam VII. anni.

„ Ad Sanctum Jacobum VII. anni.

„ Ad Sanctum Egidium VII. anni.

„ Ad Sanctos Fabianum & Seba-
„ ſtianum VII. anni.

„ Ad Domine quo vadis VII. anni.

„ Ad Sanctam Mariam de Angelo
„ tres anni.

„ Ad Sanctam Mariam Magdale-
„ nam XII. anni: & in qualibet Ec-
„ cleſia tot ſunt XL. quot ſunt anni.

„ Summa predictorum annorum ſunt
„ IIm. & pro quolibet anno ſunt dies
„ CL.

„ Quæſivimus de diminutione die-
„ rum, ad quod reſponſum fuit quod
„ nullo modo minui poſſunt, cum
„ dicat PP. Romani XXX. diebus,
„ Peregrini & Forenſes ſimili modo.
„ XV.

„ Quæſivimus pro pauperibus debili-
„ bus in remotis partibus qui venire non
„ poſſunt utrum poſſunt habere iſtam
„ indulgentiam, ſi velint dare aut man-
„ dare oblationes ſuas ſecundum fa-
„ cultatem ſuam. Reſponſum fuit
„ quod non, cum dicat Dominus Pa-
„ pa ad Baſilicas ipſas accedentibus re-
„ verenter.

„ Quæſivimus pro illis, qui ſunt in
„ Purgatorio. Reſponſum fuit, quod
„ non, cum dicat Dominus Papa vere
„ penitentibus & confeſſis. Illi non
„ poſſunt penitere nec cõfiteri. er-
„ go nec indulgentiam conſequi.

„ Quæſivimus utrum ſit a pena, &

Digitized by Google

„ a culpa. Reſponſum fuit quod ſic: „ & ſic Mater Eccleſia tenet docet & „ predicat & confirmat, cum dicat „ Dominus Papa non ſolum plenam „ & largiorem, imo pleniſſimam veniam ſuorum concedimus peccatorum.

CODEX DLXXXIV. *l.* II. 43.

Chartaceus, ſæculi XVI. conſtans foliis 41. in quo ex dono pariter Comitis S. Martini Alferii

Fol. 1. Exemplar *Chronicæ Aſtenſis extractæ ab* OGERIO ALFERIO.

Fol. 5. Exemplar iterum *Memorialis* GUILIELMI VENTURÆ *Civis Aſtenſis de geſtis civium Aſtenſium, & plurium aliorum.*

Fol. 37. Exemplar iterum *Memorialis* SECUNDINI VENTURÆ *de rebus Aſtenſium.*

CODEX DLXXXV. *l.* III. 1.

Chartaceus, conſtans foliis 153. ſæculi XV. continet primo *Cronicam* FRATRIS MARTINI *Penitentiarii Domini Pape & Capellani.*

Fol. 121. *Geſta Francorum* a B. GREGORIO TURONENSI deſcripta.

In fine.

Explicit liber qui vulgariter vocatus eſt Summa Martiniana. Quem ego Petrus Pingon Ducalis Sabaudie conſiliarius meis ſumptibus ſcribi feci pro mei conſolatione de anno Domini MCCCCXLIIII.

De hac hiſtorica Regum Francorum epitome Andreas Ducheſne Tom. I. *Hiſtoricorum Franciæ veterum* pag. 252. plura differit, & notat geſta *Regum Francorum*, quæ in MSS. Codicibus GREGORII nomen præſeferunt, partim ex ipſo GREGORIO deſumta fuiſſe, partim vero ab incerto autore uſque ad REGEM THEODORICUM II. perducta.

CODEX DLXXXVI. *l.* III. 2.

Chartaceus, cui folia 77. ſæculi XIV. eandem continet MARTINIANAM SUMMAM, adjecto indice rerum, & adnotationibus in margine.

CODEX DLXXXVII. *l.* III. 3.

Chartaceus, ſæculi XV. habet folia 39. Eadem iterum ſunt CHRONICA MARTINIANA, manu *Martini Nicolai Amſtelodamenſis anno MCCCCXLVIII.* ſcripta.

CODEX DLXXXVIII. *l.* III. 4.

Chartaceus, conſtans foliis 52. ſæculi XVI. in quo BENVENUTI a S. GEORGIO *Blandratae Comitis Equitis Hieroſolymitani de Origine & geſtis Marchionum Montisferrati: Opus Bonifacio Marchioni inſcriptum anno* MDXVIII.

Fol. ultimo eſt ſeries *Monaſteriorum*, quæ a MARCHIONIBUS MONTISFERRATI largiſſimis ſumtibus vel condita, vel aucta fuere. Hujus autem additionis autorem eſſe eundem BENVENUTUM, colligi poſſe videtur ex ejus initio, quod hujuſmodi eſt: *Monaſteria & pia loca per Marchiones prefatos edificata & divino cultui dicata in hoc ſequenti ordine recenſere conſtitui.*

Quoniam vero hæc Monaſteriorum ſeries omiſſa fuit tum in editione *Benvenuti de S. Georgio*, quæ facta eſt in oppido *Tridini* anno MDXXI. tum in editione Muratoriana *Rerum Italicarum*, ſtatuimus typis noſtris conſignatam evulgare.

„ Primum fuit Monaſterium ſive „ Abbacia apud Secuſiam olim Civi„ tatem non procul ab Alpibus in ho„ norem D. Juſti Ordinis S. Benedi„ cti habens in proventibus ad duo „ aureorum millia cum juriſdictione „ & dominio duorum oppidorum.

„ Monaſterium ſive Prepoſitura in „ Delphinatu apud Alpes ſub titulo „ D. Laurentii Ordini Regularium S. „ Auguſtini dicatum, cui tria caſtella „ cum prediis ruſticis ad Fratrum ſu„ ſtentationem collata ſunt, ex qui-

„ bus

Digitized by Google

„ bus annis ſingulis ducati duo millia
„ percipiebantur.
„ Monaſterium aliud non longe ab
„ Auguſta Pretoria ſub titulo S. Urſi
„ Regularium D. Auguſtini tamtum-
„ dem in proventibus habens ducatos
„ circiter duo millia.
„ Monaſterium apud Eporediam ſub
„ titulo S Petri Ordini S. Benedicti
„ dicatum habens in proventu ſeu red-
„ ditu quotannis ducatones mille quin-
„ que centum.
„ Monaſterium preterea S. Michae-
„ lis de la Stella apud Aviliane oppi-
„ dum non longe ab alpibus miro
„ ſumptu fabricatum habens in pro-
„ ventu ſingulis annis ducatos ſex
„ millia.
„ Monaſterium ſub titulo S. Beni-
„ gni dicatum Ordini S. Benedicti in
„ Canapicio habens in proventibus ſin-
„ gulis annis ducatos duo millia.
„ Prepoſitura Verrerii non procul
„ ab alpibus habens ex proventibus
„ quotannis Ducatos ſexcentum.
„ Monaſterium in Monteferrato in
„ Sancti Januarii loco ſub ejuſdem S.
„ Martiris titulo Ordini S. Benedicti
„ dicatum habens ex proventibus du-
„ catos mille quingentum annuatim.
„ Monaſterium in Monteferrato ſub
„ titulo SS. Victoris & Corone Ordi-
„ ni S. Benedicti dicatum habens ſin-
„ gulis annis ex proventibus ducatos
„ mille.
„ Monaſterium in Monteferrato ſub
„ titulo S. Marie de Locedio Ordini
„ Ciſtercienſi dicatum apud Ampurii
„ aquas in Diœceſi tunc Vercellenſi.
„ quod Bonifacius Secundus ejus no-
„ minis Montisferrati Marchio amplif-
„ ſimis redditibus dotavit ditavitque
„ qui noſtra etate ſummam aureorum
„ nummorum addito augmento duca-
„ torum quattuor millium Guilielmi
„ Marchionis qui Joanni fratri in Mar-
„ chionatu ſucceſſit opera & impenſa
„ ob aquarum decurſus quibus prata
„ irrigantur & plura artificia deſuper
„ conſtructa que non modico ſunt in
„ fructu conſtrui curavit, ex redditu an-
„ nuo ducatorum ſex millia percipiun-
„ tur.
„ Monaſterium in Monteferrato ſi-
„ ve Prepoſitura in Vezolano ſub ti-
„ tulo S. Marie Ordini Canonicorum
„ Regularium S. Auguſtini dicatum
„ habens ex proventibus ducatos ſex-
„ centos.
„ Monaſterium in oppido Bremi-
„ de ſub titulo S. Petri dicatum Or-
„ dini S. Benedicti habens ex pro-
„ ventibus ſingulo anno ducatos mille.
„ Monaſterium Ottilieti juxta Cre-
„ molinum Ordinis Ciſtercienſis magni
„ proventus ſi ſua poſſideret quod licet
„ pluribus annis retro fluxis eſſet in
„ fructu ſingulis annis florenorum quat-
„ tuor centum parve monete, nunc ta-
„ men opera impenſa & favoribus pre-
„ fati illuſtriſſimi Guilielmi Marchio-
„ nis inſtaurati ſunt uſque ad Ducatos
„ mille vel circa ſingulo anno.
„ Eccleſia ſive Monaſterium S. Pe-
„ tri in Civitate Aquenſi ſive Aquarum
„ Statiellarum Ordini S. Benedicti di-
„ catum habens ſingulis annis in pro-
„ ventibus ducatos quingentos.
„ Monaſterium S. Gaudentii Ordini
„ S. Benedicti in oppido S. Stephani
„ Vallis Belbi dicatum habens quot
„ annis in proventibus ducatos ſex
„ centos.
„ Monaſterium S. Frontamani Ordi-
„ nis S. Benedicti apud Civitatem Al-
„ benſem habens ſingulo anno in pro-
„ ventibus ducatos trecentos.
„ Monaſterium S. Petri in Oppido
„ Nicie Palearum habens ſingulis an-
„ nis ex proventibus ducatos trecentos.
„ Monaſterium S. Quintini apud
„ Spinum ſeu Spignium in Liguribus
„ Ordinis S. Benedicti habens ex pro-
„ ventibus ſingulo anno ducatos mille.
„ in cujus Eccleſia tumulatum eſt cor-
„ pus Margarite Alviſii Sabaudie Du-
„ cis filie & uxoris Theodori Mar-
„ chionis Montisferrati que plurimum
„ redditus ipſius Monaſterii auxit.
„ Monaſterium S. Marie de Creta

„ in

Digitized by Google

„ in Monteferrato Ordini Canonicorum
„ Regularium S. Auguſtini dicatum
„ cujus Eccleſiam & conventum antea
„ relatus Illuſtriſſimus D. Gulielmus
„ Marchio Montisferrati magno ſum-
„ tu inſtauravit & fructus auxit. ita
„ quod ex proventibus ſingulis annis
„ habet ducatos quinque centum. ex
„ quo proventu quam plurimi Regula-
„ res Canonici ad divina officia devo-
„ te celebranda ibidem conſtituti al-
„ luntur.

„ In Civitate Caſalis Hoſpitale per-
„ magnificum cujus fructus opera &
„ impenſa prefati Marchionis & ſuc-
„ ceſſorum aucti ſunt permaxime.
„ ita quod peregrini egrotanteſque. ac
„ vulgo ex incertis parentibus concep-
„ ti ex eis alluntur & nutricuntur.

„ Templum & Monaſterium per-
„ magnificum in eadem Civitate Caſa-
„ lenſi ſub titulo S. Dominici & Ordi-
„ ni Predicatorum dicatum opera &
„ ex pecunia prefati Marchionis Gu-
„ lielmi. nec non Bonifacii fratris
„ ſucceſſoris ejuſdem. qui in ipſius
„ monaſterii & totius conventus fabri-
„ ca in hanc uſque diem florenos circa
„ quadrigenta millia impenderunt.

„ Eccleſiam & Conventum S. Cru-
„ cis Ordinis Heremitarum D. Auguſti-
„ ni Gulielmus & Bonifacius fratres
„ inſtaurarunt.

„ Eccleſiam preterea & Conventum
„ pulcherrimum extra muros dicte Ca-
„ ſalium Civitatis ſub titulo S. Marie
„ de Angelis Ordini Fratrum Minorum
„ Calopediatorum dicatum ere proprio
„ prefatorum Marchionum fratrum ex-
„ tructum.

„ Eccleſiam & Conventum ſub ti-
„ tulo S. Mauritii prefatis Fratribus
„ Calopediatis ad tertium a dicta Ci-
„ vitate diſtantem Joannes Jacobus
„ tunc Marchio & genitor Joannis Gu-
„ lielmi. & Bonifatii. & Theodori
„ erexit. Quam quidem Eccleſiam
„ ſuccedente tempore dicti Fratres in
„ eo cole in quo nunc ſita eſt relicta
„ priore Eccleſia & monaſterio . . . .
„ qua cauſa tranſtulerunt.

„ In agro Aſtenſi Montisferrati Prin-
„ cipes capellam majorem in Eccleſia
„ D. Secundi erexere & extra Civita-
„ tis muros juxta monaſterium S. Spi-
„ ritus pulchram Eccleſiam ob partum
„ de inimicis triumphum ſub titulo S.
„ Georgii edificarunt.

„ In Civitate Ravenatenſi Eccleſiam
„ S. Marie. quam accole S. Mariam
„ de Monteferrato appellant Gulielmus
„ Marchio intra palatium ſuum
„ extruxit eo tempore quo Imperator
„ eidem Marchie & Romandiole regi-
„ men commiſerat.

„ Juxta Anchonam preterea mo-
„ naſterium edificavit ad decem mil-
„ liaria Ordini Ciſtercienſi dicatum.
„ Quod monaſterium Clare vallis de
„ Caſtignolia appellabatur.

CODEX DLXXXIX. *l.* III. 5.

Chartaceus, conſtans foliis 129. ſæculi XIV. in quo *ſecunda pars Cronice libri Ymaginis mundi quam compilavit* Frater Jacobus de Aquis *Ordinis Fratrum Predicatorum ad Honorem* Jesu Christi Filii Dei Omnipotentis *& Ordinis ſui. & nobilis Civitatis Aquis Lombardie unde oriundus fuit.*

Diligentiam Eccardi fugit nomen, & Chronica Fratris Jacobi de Aquis, qui floruit anno MCCCXXVIII. uti patet ex ſequenti adnotatione, quæ *fol.* 17. legitur: *Philippus dictus de Valoe Rex Francorum qui regnat in Regno Francie anno* 1328. *& non ponitur de aliis Regibus Francorum hic: eo quod tempore quo facta fuit haec Cronica regnabat dictus Philippus.*

Præmittitur uberrimus rerum index, poſtea eſt procœmium, cujus initium: *Proceſſus clarus & perfectus Veteris Teſtamenti divina mediante ſapientia continetur in prima parte ipſius operis &c.*

In fine hæc leguntur.

Iſte liber qui intitulatur Cronica Ymaginis Mundi edita a Fratre Jacobo de Aquis Ord. Predicatorum. erat de bonis Fratris

The-

Digitized by Google

Thebaldi de Dyano Conventus Albenſis. Quam dedit Reverendo Magiſtro Ludovico de Luza Provinciali Lombardie. & Conventus Monaſterii Revelli una cum Conventu Albenſi qui propriam volunt eſſe & dederunt Conventui Salutiarum gratis & ſponte eo modo & ſub tali conditione ut reponatur in communi libraria ipſius Conventus Salutiarum. Qui liber eſt Quaternorum ſex. Et hec de mandato predicti Reverendi Provincialis ſcripſi. Frater Jacobus de Jenoveſis Conventus Salutiarum.

Fol. 92. *Conſpectus, ſive mirabilia Urbis Romae.*

Fol. 94. Poema ludicrum & amatorium *Provinciali* vulgari lingua ab *Anonymo* Poeta Scriptum, cujus initium:

Au nom de Dieu commenzerai
Un bel dictat. & retrayrai
D amors & de Cavalaria
Ed una francha Compagnia &c.

Fol. 102. MAGISTRI JACOBI (*de Vitriaco*) EPISCOPI (*Acconenſis*) *Hiſtoria Hieroſolymitana*. Præmittitur Prologus, qui incipit: *Poſtquam Divine propiciationis munificentia &c.* Vide Codicem *l.* III. 28.

Ad calcem adjecta eſt *ſeries Regum Hieroſolymitanorum* uſque ad BALDUINUM *Fulconis Andegavenſis Comitis filium*.

CODEX DXC. *l.* III. 14.

Chartaceus, ſæculi XV. habet folia 181. Continet autem hiſtoriam *ſolemnis ritus ſervati a Summo Pontifice* GREGORIO PAPA XIII. *in aperienda Porta Sancta anno Jubilei MDLXXV.* omiſſo hiſtorici nomine.

Fol. 180. Legitur ordo a CLEMENTE VIII. ſervatus, cum Baptiſmum conferret *Salluſtio Viterbo Hebraeo Romano* die XXV. *Februarii*. anno MDCI.

Fol. eodem *pag.* 21. *Memoria Vexili Regii Tripolitani in Vaticana Baſilica ſuſpenſi ex voto Captivorum Chriſtianorum die* XXX. *Julii anno* MDCI.

CODEX DXCI. *l.* III. 20.

Chartaceus, conſtans foliis 81. ſæculi XVII. Habentur in eo undecim Scriptores veteres hiſtoriæ *Francorum*: videlicet, GLABER, HELGAUDUS, SAGERIUS, RIGORDUS, BRITO, GUILIELMUS DE NANGIS, & quatuor alii, quorum nomina non indicantur. Editi ſunt omnes ex *Bibliotheca Franciſci Pithoei*.

In fine.

Franciſcus Verris Alexandrinus ſcribebat Mediolani in Bibliotheca Ambroſiana anno 1612.

CODEX DXCII. *l.* III. 25.

Membranaceus, ſæculi XIV. conſtat foliis 184. in quo PETRI TRECENSIS *Hiſtoriae Veteris & Novi Teſtamenti*, Willelmo Archiepiſcopo Senonenſi nuncupatæ. Sunt ubique in utraque margine adnotationes.

CODEX DXCIII. *l.* III. 26.

Membranaceus, conſtans foliis 151. ſæculi XIV. eaſdem complectitur PETRI TRECENSIS *Hiſtorias Veteris, & Novi Teſtamenti*, additis etiam adnotationibus in margine.

CODEX DXCIV. *l.* III. 27.

Membranaceus, ſæculi XII. habet folia 115. in quo S. GREGORII EPISCOPI TURONENSIS *Miraculorum libri* II. Cuilibet libro præmittuntur capitula.

Conferentibus codicem cum exemplaribus a *Theodorico Ruinartio* editis, variantes quaſdam lectiones obſervare contigit. Alius eſt etiam in noſtro Codice librorum ordo.

Fol. igitur 1. *Liber primus Miraculorum in gloria Martyrum*.

Fol. 3. *Liber ſecundus qui eſt de paſſione virtutibus & gloria S. Juliani Martyris*.

Fol. 28. *pag.* 2. *Liber de Virtutibus* S. MARTINI, qui a laudato Ruinartio ſubjicitur libro de *Gloria Beatorum Confeſſorum*.

Fol.

Digitized by Google

Fol. 112. *Opus* FORTUNATI (ideſt VENANTII) *Presbyteri de Vita S. Martini*, poeticis numeris exaratum.

CODEX DCXV. *l.* III. 28.

Membranaceus, conſtans foliis 74. ſæculi XIV. Eſt MAGISTRI JACOBI EPISCOPI ACCONENSIS *Hiſtoria Hieroſolymitana*, in qua Godefridi Bullionis, & Sociorum ejus pro recuperanda Terra Sancta geſta referuntur.

Collato Codice cum edita hiſtoria inter *Scriptores Orientalium expeditionum* collectos a Franciſco Pithœo, & Paulo Petavio, & a Bongarſio *Hannoviae* 1611. editos, tomo I. pag. 1047. præter variantes lectiones, quæ interdum occurrunt, multo plura in MS. exemplari exſtare animadvertimus, quam in editione. Poſt librum etenim ſecundum, qui tum in Codice MS. Taurinenſi, tum in editione clauditur hiſce verbis: *Et a Sancta Romana Eccleſia conſolationes, ac ſubſidium de die in diem expectantes*, ſequitur in Codice fuſiſſima narratio *de conſtructione Caſtri Saphet*, quæ num eidem JACOBO *Epiſcopo Acconenſi tribuenda ſit*, diſcutiant alii. Eadem certe eſt in hac, quæ in antecedentibus hiſtoriis, locutionis indoles, & ratio, & idem hiſtorici finis, & ſcopus.

Similem hiſtoriam *Caſtri Saphet* edidit Stephanus Baluzius tom. VI. *Miſcellaneorum*. Sed collatione facta, Baluziana quamplurimis in locis manca eſt, & imperfecta, & ſi fas eſt dicere, etiam ſubleſtæ fidei. Eccillam igitur, ut eſt in noſtro Codice.

„ Quum ſit noſtrum firmum & ſalubre
„ propoſitum in hiis que ſunt ad honorem Dei ſemper intendere. ac in iis jugiter immorari. & precipue in hiis que „ ad exaltationem fidei & Eccleſie. & „ que ad ſalutem animarum. que ad ſubſidium Terre Sancte. ad defenſionem „ fidelium. que ad offenſionem infidelium cernimus pertinere. & propter „ hoc Caſtrum Saphet ſpiritualiter & „ principaliter ſit conſtructum. Quare & „ quando fieri incepit. & qualiter conſtructum fuerit. proponimus declarare.

„ Quare & quando. & qualiter „ cepit conſtrui Caſtrum Saphet.

„ Quum igitur ad ſubſidium Terre „ Sancte veniſſet magnus exercitus „ Chriſtianorum. in quo erat Rex „ Navarie. Comes Campanie. Dux „ Burgundie. Comes Britanie. Comes „ Viennenſis. & Forenſis. Comes „ Montisfortis. Comes Bareſis & Comes Mariſconenſis. & plures alii Comites & Barones. & in quo milites in apparatu militari plus quam „ M. L. numerati fuerant. preter alios „ quibus non erat apparatus ſufficiens „ militaris. & Baliſtariorum & peditum. qui innumerabilis multitudo. „ & veniſſent apud Joppen & Aſcalonam. & deliberaſſent qualiter procedere deberent. Quidam nobiles de „ ſuis viribus preſumentes. & Templariorum. & Hoſpitalariorum & aliorum Religioſorum ac nobilium de „ terra. conſilium contempnentes. de „ nocte ab exercitu receſſerunt. & „ quum non dederint gloriam Deo cujus eſt victoria. ſed eam ſibi viſi „ ſunt uſurpare. victi fuerunt ignominioſe. & plures capti & mortui. & „ exercitus reverſus eſt cum confuſione maxima apud Joppen. Ubi ad „ relevandum & mitigandum confuſionem deliberatum fuit quod rehedificaretur Caſtrum Saphet. Quia „ non poterant ita bonum opus conſtruere toti terre. & ut Magiſter „ Templi opus inciperet. promiſerunt „ quod darent ei ad ſubſidium conſtruendi VIIm. marcharum. & quod „ eſſet exercitus ibi per duos menſes. „ ut ſecurius & levius hedificaretur. „ Sed cum reverſi fuiſſent in Sabulo „ Accon obliti ſunt promiſſorum. nec „ iverunt ad conſtruendum. nec ad „ hoc faciendum aliquid contulerunt. „ Cum a facta treuga cum Soldano „ Damaſci Dominus Rex & exercitus „ magnus repatriaſſet. Epiſcopus Mar-

„ ſilie

Digitized by Google

„ ſilie re ach nomine Benedictus ivit
„ ad Sanctam Mariam de Sardania per
„ peregrinationem. cum competenti
„ ducatu dicti Soldani. & cum man-
„ dato Soldani per aliquot dies cum ex-
„ pectaſſet in Damaſco. frequenter ve-
„ niebant ad eum plures querentes ab
„ eo ſi hedifficaretur Saphet. & cum
„ ipſe requireret ab eis. quare cum
„ tanta inſtantia inquirebant. reſpon-
„ debant quod hedificato Caſtro di-
„ cto Saphet. Damaſci portalia eſſent
„ clauſa. Cum ergo dictus Epiſcopus
„ receſſit a Damaſco. conſideravit di-
„ ligenter terras uſque Saphet. & non
„ vidit munitionem aliquam preter Su-
„ bebam quam tenebat nepos dicti Sol-
„ dani. & cum veniſſet apud Saphet.
„ invenit ibi acervum magnum lapi-
„ dum ſine omni edificio. Ubi contra
„ fuerat caſtrum nobile ac famoſum.
„ & ibi recepit eum cum magno gau-
„ dio frater Irumbardus de Caro qui
„ erat terre ibidem caſtellanus. Sed
„ non habuerunt ubi caput reclinarent.
„ niſi garbelarias quas portant ſervien-
„ tes fratrum ubi faciunt lectos domi-
„ norum ſuorum. Cum igitur dictus
„ Epiſcopus inquiſiiſſet diligenter cir-
„ cumſtantias & diſtrictum dicti Ca-
„ ſtri. & quare Saraceni hedificatio-
„ nem ejus tam formidarent. & inve-
„ niſſet quod ſi illud caſtrum fieret eſ-
„ ſet defenſio & ſecuritas, & quaſi ſcu-
„ tum Chriſtianorum uſque Accon
„ contra Saracenos. & eſſet impugna-
„ tio fortis ac formidabilis. & facilli-
„ tas & opportunitas faciendi inſultus
„ & diſcurſus in terra Saracenorum
„ uſque Damaſcum. & propter hedi-
„ ficationem dicti caſtri amiteret Sol-
„ danus multam pecuniam & magnum
„ ſuccurſum in hominibus & rebus il-
„ lorum qui eſſent de territorio dicti
„ Caſtri. amiteret quoque in terra ſua
„ principalia caſalia. & agriculturam
„ & paſcua. & alia conſueta. quia non
„ auderent terram excollere propter
„ metum dicti Caſtri. unde verteretur
„ in heremum & ſolitudinem ſua ter-
„ ra. & iterum oporteret eum facere
„ multas expenſas & tenere multos ſti-
„ pendiarios pro deffenſione Damaſci
„ & pro terris circum adiacentibus. &
„ breviter invenit per famam comu-
„ nem. quod non eſſet fortalitium ali-
„ quod in terra illa unde poſſent Sa-
„ raceni tantum dampnificari. &
„ Chriſtiani tam adjuvari. & Chriſtia-
„ nitas dilactari. Cum hec conſilia di-
„ ctus Epiſcopus audiviſſet. venit Ac-
„ con. & cum viſitaret magiſtrum
„ Templi nomine Armanum. qui ja-
„ cebat infirmus. queſivit ab eo idem
„ magiſter quid viderat & audierat
„ apud Damaſcum. & Epiſcopus reſ-
„ pondit id quod videbatur ſibi magni-
„ ficentius. quod viderat & audierat
„ in quanto timore ac tremore &
„ querendi ſollicitudine exiſterent Sara-
„ ceni ſuper hedifficatione Caſtri de
„ Sapheth. & ſic refferrendo predicta.
„ cepit perſuadere diligenter & inſtan-
„ ter quod intenderent totis viribus &
„ celeriter dum tempus habebant treu-
„ ge. ad illud hedifficandum. Magi-
„ ſter vero cum ſuſpirio dixit. Domi-
„ ne Epiſcope non eſt facilis hedifi-
„ catio Saphet. non ne vos audiviſtis
„ quod Rex Navarie. Dux Burgun-
„ die. Comites & Barones exercitus
„ promiſerunt quod venirent apud Sa-
„ phet. ut ſecurius & citius hedifica-
„ retur. & ſtarent ibi per duos men-
„ ſes. & darent VIIm. marcharum. pro
„ faciendo hedificio. & tamen unum
„ denarium pro hedificio non dimiſe-
„ runt. & vos dicitis quod hedifice-
„ mus ſine ſubſidio. & tunc Epiſcopus
„ dixit. magiſter conquieſcatis in lecto
„ veſtro. & detis voluntatem veſtram
„ bonam. & efficax verbum veſtrum
„ fratribus. & ego confido in Domi-
„ no. quod plus facietis de lecto ve-
„ ſtro. quam fecerit totus exercitus.
„ cum multitudine Armatorum. & ha-
„ bundantia ſuarum divitiarum. &
„ cum inſtaret Epiſcopus. dixerunt
„ majores qui erant ibi. Domine Epiſ-
„ cope vos dixiſtis quod bonum vobis

 „ vide-

Digitized by Google

„ videtur. & magiſter habebit conſi-
„ lium & reſpondebit vobis, Cum au-
„ tem receſſiſſet Epiſcopus a magi-
„ ſtro. vocavit eos qui erant majores
„ in conſilio. & perſuaſit eis id quod
„ dixerat magiſtro. & placuit eis plu-
„ rimum. & dixerunt ei, quod ſequen-
„ ti die veniret. & faceret tantum,
„ quod magiſter poneret hoc in con-
„ ſilio coram illis.

„ Qualiter Epiſcopus Marſilie
„ perſuaſit magiſtro Templi & ejus
„ conſilio quod conſtruerent Ca-
„ ſtrum Saphet.

„ Sequenti vero die venit idem
„ Epiſcopus ad magiſtrum, & rogavit
„ illum ut vocaret conſilium ſuum;
„ quod volebat ei loqui aliqua ſibi
„ cara. & cum veniſſent, dixit Epiſ-
„ copus, Domini ego intellexi quod
„ Religio veſtra fuit primo ſpirituali-
„ ter inſtituta per Sanctos milites qui
„ ſe totaliter devoverunt ad tuitionem
„ Chriſtianorum & ad impugnationem
„ Saracenorum. & quia in his ſe ſtre-
„ nue ac fideliter habuerunt. Domi-
„ nus exaltavit & dilatavit Religionem
„ veſtram apud Sedem Apoſtolicam,
„ & apud Reges & Principes, & eſt
„ coram Deo & hominibus veſtra Re-
„ ligio hodie plurimum celebris ac fa-
„ moſa, & quod factum fuit tunc per
„ illos ſanctos milites. mihi videtur
„ quod per vos ſit ſimiliter facien-
„ dum. Quia cum eſſem apud Da-
„ maſcum. intellexi per plures, quia
„ non eſt aliud quod Saraceni tan-
„ tum timeant quantum Saphet he-
„ dificetur. quia hedificato illo Ca-
„ ſtro. portale Damaſci reputant eſ-
„ ſe clauſum. & nos ipſi vidimus &
„ conſideravimus circumſtantias dicti
„ loci, & eſt fama publica. quod non
„ poteſt hedificari Caſtrum vel forta-
„ litium in terra iſta, per quod poſſit
„ ita deffendi Chriſtianitas. & Sarace-
„ norum infidelitas impugnari. ſicut
„ per caſtrum Saphet. Propter quod
„ ego ut amicus veſter fidelis. atten-
„ dens honorem Dei. ſalutem anima-
„ rum. & promotionem Religionis ve-
„ ſtre. rogo, conſulo. & requiro. ut
„ vos tamquam Deo fideles ac devoti
„ & ſtrenui milites reſpiciatis ad
„ exempla illorum ſanctorum priorum
„ militum, qui Religionem veſtram in-
„ ſtituerunt, & exemplo illorum prio-
„ rum exponatis vos & veſtra ad he-
„ dificationem caſtri de Saphet. per
„ quod tanta impugnatio infidelium.
„ & tanta defenſio fidelium ſemper
„ fiat. Ego autem non habeo pecu-
„ niam quam vobis ad hoc offeram.
„ ſufficientem. Sed perſonam offero ad
„ faciendam ibi peregrinationem ſi
„ vultis hedificare. ſi autem nolueritis.
„ predicabo peregrinis, & vadam ibi
„ hedificare cum eis de maceria. cum
„ ſit ibi acervus magnus lapidum. &
„ faciam murum in circuitu de ſiccis
„ lapidibus, ad deffenſionem Chriſtia-
„ norum. & ad impugnationem Sara-
„ cenorum. Quo audito dixit quaſi
„ ridendo magiſter. bene habet in
„ corde quod fiat. & Epiſcopus ſu-
„ bjunxit. habeatis & vos ad hoc bo-
„ num conſilium. & Deus ſit vobiſ-
„ cum. & ſic receſſit ab eis. Domi-
„ nus autem direxit eorum conſilium
„ & concordaverunt unanimiter. quod
„ dictum caſtrum rehedificaretur ſine
„ mora. dum durabant treuge cum
„ Soldano Damaſci. quod ſi differere-
„ tur. poſſit hedificatio de facili im-
„ pediri.

„ De Leticia conſtruendi Caſtri
„ Saphet.

„ Quum autem deliberatum fuiſſet
„ quod hedificaretur Saphet. leticia
„ magna fuit in domo Templi. & in
„ Civitate Accon, & in populo Terre
„ Sancte. & ſine mora ellecta eſt mi-
„ litum ſervientium. baliſtariorum &
„ armatorum aliorum laudabilis comi-
„ tiva. & ſaumagia multa ad portan-
„ dum arma & victualia & alia neceſ-
„ ſaria, & aperta ſunt granaria & cel-
„ laria & theſauraria. & alie officine
„ ad faciendas expenſas magnifice ac
„ gaudenter. & miſſa eſt ibi multitudo
„ ope-

Digitized by Google

„ operariorum. & clavorum cum in-
„ ſtrumentis & impenſis ſibi neceſſa-
„ riis. & letata eſt terra in adventu
„ eorum. & exultavit vera Chriſtiani-
„ tas Terre Sancte. Idem vero Epiſ-
„ copus Marſilie ibi venit cum quibus
„ potuit peregrinis. & poſuit tentoria
„ ſua in parte ubi fuerat Sinagoga Ju-
„ deorum & Meſchida Saracenorum.
„ ut per hoc aperte ſignificaret quod
„ caſtrum Saphet hedificabatur ad de-
„ pellendas infidelitates infidelium &
„ ad roborandam & deffendendam fi-
„ dem Domini Noſtri Jheſu Chriſti.
„ Cum autem parata eſſent ea que ad
„ incipiendum tam preclarum opus
„ pertinebant. poſt celebrationem Miſ-
„ ſe venit idem Epiſcopus. & facto
„ brevi ſermone ad devotionem aſſi-
„ ſtentium provocandam. invocata
„ Spiritus Sancti gratia. cum benedi-
„ ctione & ſolempnitate debita. poſuit
„ primarium lapidem ad honorem Do-
„ mini Jheſu Chriſti. & ad exaltatio-
„ nem fidei Chriſtiane. & ſuper lapi-
„ dem obtulit cupam unam argen-
„ team deauratam plenam pecunia in
„ ſubſidium operis ſubſequentis. An-
„ no Domini M. CC. XLIII. idibus
„ Decembris.

„ Qualiter inventus eſt putheus
„ aque viventis infra Caſtrum Sa-
„ phet.

„ Et cum eſſet ibi defectus aque.
„ & cum multis ſaumagiis. laboribus
„ & expenſis affereretur a remotiore. &
„ Epiſcopus ſingulis diebus quereret
„ fonticulos ad facienda barquilia ut
„ aque colligerentur. quidam Sarace-
„ nus ſenex dixit diſpenſatori Epiſco-
„ pi. ſi Dominus veſter daret mihi
„ tunicam. ego oſtenderem ſibi fon-
„ tem aque viventis infra caſtrum. qui
„ cum ei tunicam promiſiſſet. oſtendit
„ ei locum ubi eſt modo putheus ſuper
„ quem erant ruine turrium & muro-
„ rum. & multi acervi lapidum. &
„ cum quereretur ab eo iterum ſignum
„ certum. dixit. quod in ore puthei
„ invenirent emſem & capellum de
„ ferro. & ita inventum eſt. & prop-
„ ter hoc ibi attentius & fortius labo-
„ ratum eſt. donec aqua ſcaturiens
„ optima inventa eſt. in magna ha-
„ bundantia toti caſtro. manſit autem
„ ibi dictus Epiſcopus. donec caſtrum
„ firmatum fuit. ita quod poſſet ſe
„ deffendere contra fidei inimicos. &
„ cum repatriavit. dedit dicto caſtro
„ tamquam filiolo Kariſſimo prelecto
„ omnes equitaturas ſuas. & tentoria.
„ & ſuppellectilia. & data ſibi benedi-
„ ctione. tradidit operis & operantium
„ in cuſtodiam & promotores Domino
„ Jheſu Chriſto. ad cujus honorem
„ inceptum fuit. & ejus nomini dedi-
„ catum.

„ De mirabili conſtructura caſtri
„ Saphet.

„ Quum autem idem Epiſcopus re-
„ verſus fuiſſet ad ſubſidium Terre
„ Sancte contra Tartaros. anno Do-
„ mini M. CC. LXIIII. non. Octubris.
„ & veniſſet ad viſitandum Saphet.
„ invenit quod ab uno paſſagio quo
„ rediit Epiſcopus apud Marſiliam uſ-
„ que ad aliud paſſagium quo reverſus
„ apud Saphet. per Dei gratiam &
„ providentiam. & ſtrenuitatem ac ma-
„ gnificentiam fratrum Sancte Domus
„ Templi. dictum caſtrum cum tanta
„ induſtria. tanta mirificentia, & ma-
„ gnificentia eſt conſtructum. quod
„ ejus exquiſita & excellens conſtru-
„ ctio non ſolum ab homine. ſed fa-
„ cta a Dei omnipotentia potius vi-
„ deatur. Ad quod ſciendum eſt ple-
„ niuſque notandum quod caſtrum Sa-
„ phet ſitum eſt inter Civitatem Ac-
„ con & Damaſcum. quaſi in medio
„ in ſuperioribus Galilee. in quodam
„ promontorio circuncluſo montibus
„ & collibus & preruptis precipiciis.
„ & ſcopolis ac rupibus. & eſt prop-
„ ter viarum difficultates arduitates &
„ anguſtias. ex magna parte quaſi
„ inacceſſibile & inexpugnabile. a par-
„ te vero Damaſci quaſi pro vallo
„ habet fluvium Jordanem & ſtagnum
„ Geneſareth mare Galilee. ac mare

Digitized by Google

„ Tyberiadis. & hec ſunt pro fortali-
„ cio naturaliter a remotis, artificioſe
„ vero ſunt ibi intus & extra munitio-
„ nes & hedificia admiranda. Que
„ autem & qualia ſint ibi hedificia,
„ que & quales quot quante munitio-
„ nes & fortalicia in foſſatis que ha-
„ bent in profundo rupis VII. canas.
„ & ſex in lato. que in muris. qui
„ habent in altitudine XX. canas. &
„ in latitudine in ſummo canam &
„ dimidiam. que in antemuralibus &
„ ſcamis, que habent in altitudine X.
„ canas. & in circuitu CCCLXXV.
„ que in vivo ſub terra profunde in-
„ ter antemuralia & foſſata cum cro-
„ tis in circuitu totius caſtri. P.
„ CCCLXXV. canas. que in
„ crotis que dicuntur fortie cooper-
„ te que ſunt ſuper ſcamas & ſub-
„ tus antemuralibus, ubi poſſunt eſſe
„ baliſtarii cum magnis baliſtis, &
„ deffendere ſcamas. & alia pro-
„ pinqua & remota. & non poſ-
„ ſunt ab aliis exterius videri, ubi
„ poſſunt eſſe ſecure ſine aliis armatu-
„ ris. Que in interioribus & propu-
„ gnaculis. ubi ſunt VII. turres. qua-
„ rum quelibet habet in altitudine
„ XXII. canas, in latitudine X. in
„ ſpiſſitudine II. in ſummo que in
„ diverſis officinis ad omnes uſus nec-
„ ceſſarios, que in baliſtarum & qua-
„ relorum & machinarum. & aliorum
„ armorum multitudine. ac magnitu-
„ dine & varietate artificialium. & cum
„ quantis laboribus & ſumptibus hec
„ ſunt facta. quante cotidiane cuſto-
„ die. quanta preſidia armatorum ad
„ cuſtodiendum & deffendendum. &
„ adverſarios impugnandum ſint ibi
„ neceſſaria continue. quot operarii
„ diverſorum operum. que ac quante
„ expenſe ſint in hiis cotidie faciende.
„ non eſt facile ſcriptura vel verbo
„ plenarie explicare. Quia vero tam
„ preclara tam eximia. tamque ex-
„ cellentia & neceſſaria opera ad ho-
„ norem Dei. & ad exaltationem
„ Chriſtiani nominis, ad depreſſionem
„ infidelium, & ad hedificationem fi-
„ delium, hec ſunt facta & etiam fa-
„ cienda, non convenit penitus ſub ſi-
„ lencio preteriri, ſed ſaltem aliqua ad
„ devotionem & compaſſionem fide-
„ lium provocandam expedit recitari.

„ De ſumptibus magnis cotidie
„ habitis pro cuſtodia Caſtri Sa-
„ phet.

„ Ad honorem igitur Domini No-
„ ſtri Jheſu Chriſti. & ad hoſtenden-
„ dam devotam ſtrenuitatem & im-
„ menſam neceſſitatem ſancte Religio-
„ nis militie Templi. & ad provocan-
„ dam devotionem & compaſſionem.
„ & ad accendendam caritatem Chri-
„ ſtianorum fidelium erga dictam Re-
„ ligionem & dictum caſtrum. refferi-
„ rimus expenſas quas fecit ibi in he-
„ dificiis Domus Templi. nam ſicut
„ inquiſivimus & inquiri fecimus dili-
„ genter a majoribus. & per majores
„ Domus Templi in primis duobus
„ annis & dimidio. expendit Domus
„ Templi in hedificando caſtro Sa-
„ phet. preter reditus & obventiones
„ dicti caſtri. undecies centum milia
„ biſanciorum Saracenorum. & ſingu-
„ lis ſequentibus annis ſecundum ma-
„ gis & minus. XLm. biſanciorum
„ Saracenorum. in cotidianis expenſis
„ dantur victualia mille & ſeptingen-
„ tis perſonis & plus. & tempore gue-
„ re duobus milibus & ducentis. In
„ ſtabilimento cotidiano caſtri ſunt ne-
„ ceſſarii L. milites. & XXX. ſer-
„ vientes fratres cum equis & armis.
„ & L. Turcopoli cum equis & ar-
„ mis. & baliſtarii CCC. in operi-
„ bus & aliis officiis DCCC. & XX.
„ & Sclavi CCCC. & expenduntur
„ ibi annuatim ſecundum magis & mi-
„ nus pluſquam XIIm. muli honerati
„ inter ordeum & frumentum. preter
„ alia victualia & ſtipendia que dan-
„ tur ſtipendiariis & perſonis adventi-
„ ciis. & preter equos. & equitatu-
„ ras. & arma & alia neceſſaria. que
„ non facile eſt computare.

„ De

Digitized by Google

„ De excellentia dicti Caſtri Sa-
„ phet.
„ Ad oſtendendam vero excellen-
„ tiam dicti caſtri. ne videatur inuti-
„ le. oneroſum. & diſpendioſum. &
„ inſufficiens tantum opus. vel ad ha-
„ bitandum inhabile. notandum quod
„ caſtrum Saphet eſt amenitate aeris
„ temperatum & ſanum. ubertate vi-
„ ridariorum vinearum arborum &
„ herbarum placidum ac jocundum.
„ fecunditate ac diverſitate fructuum
„ locuplex & habundans. ubi creſcunt
„ & abundanter fructificant ficus ſi-
„ cut malagranata & amigdala. & oli-
„ va. cui dedit Dominus de rore celi
„ & de pinguedine terre benedictio-
„ nem. & habundantiam frumenti vi-
„ ni & olei. leguminum & olerum.
„ & fructuum electorum. lactis &
„ mellis copiam. & paſcua nutrimen-
„ tis animalium congruentia. nemo-
„ ra. arbores & arbuſta pro facien-
„ dis furnis calcis. & pro coquendis
„ cibariis copioſe. & lapidicinas opti-
„ mas ibidem ad opera facienda. &
„ irrigua fontium ac magna barquilia
„ ad aquanda animalia & ad plantata
„ irriganda. non ſolum extra caſtrum
„ ſed etiam intra caſtrum. ubi ſunt
„ aque vive optime habundantes &
„ plures magne ciſterne. ſecundum
„ quod ſunt neceſſarie cuilibet offici-
„ ne. Sunt & ibi XII. molendina de
„ aqua extra caſtrum. & infra pluri-
„ ma de animalibus & de vento. &
„ furni ſufficientiſſimi ſicut decet. ne
„ aliquid deſit nobilitati & neceſſitati
„ dicti caſtri. ibi ſunt venationes di-
„ verſarum venationum. & piſcatio-
„ nes diverſorum piſcium copioſe de
„ flumine Jordanis. de mari Gali-
„ lee. de mari Geneſareth. & de mari
„ magno de diverſis locis afferri poſ-
„ ſunt ſalſi cotidie ac recentes. Inter
„ alias autem excellentias quas habet
„ caſtrum Saphet. illud eſt notabile.
„ quod per paucos poteſt deffendi. &
„ ſecundum deffenſionem munitionum
„ ſuarum multos poteſt colligere. nec
„ poteſt niſi per maximam multitudi-
„ nem obſideri. ſed illam multitudi-
„ nem diu neceſſaria non habere.
„ quia neque aquam neque victualia
„ inveniret. nec multitudo maxima
„ poſſet ibi eſſe ſimul perpetue. &
„ ſi divideretur per loca remota. non
„ poſſet ſe invicem adjuvare.
„ De utilitate Caſtri & de Locis
„ devotis circa poſitis.
„ Quantum autem ſit caſtrum utile
„ ac neceſſarium toti Terre Chriſtia-
„ norum. & infidelibus quam noci-
„ vum. ſcire poſſunt per experien-
„ tiam. qui noverunt quod ante he-
„ dificationem dicti caſtri Saraceni Bi-
„ duini Coramini & Turcomani fa-
„ ciebant inſultus frequentes uſque
„ Accon per terram aliam Chriſtia-
„ norum. Sed hedificato caſtro Sa-
„ phet. poſitum repugnaculum & ob-
„ ſtaculum ne ad nocendum publice
„ tranſire audeant a flumine Jordanis
„ uſque Accon. niſi eſſet maxima
„ multitudo. & ab Accon uſque Sa-
„ phet vadunt ſecure honerati ſau-
„ marii. & quadrige. & agriculture.
„ & terre collonia libere ab omnibus
„ exercetur. A flumine vero Jorda-
„ nis uſque Damaſcum remanet terra
„ inculta & quaſi vaſta. propter me-
„ tum caſtri Saphet. Unde fiunt gran-
„ des inſultus. & depredationes & va-
„ ſtationes uſque Damaſcum. & ubi
„ facte ſunt plures miraculoſe vi-
„ ctorie per fratres Templi contra fi-
„ dei inimicos. quas non eſſet facile
„ recitare. quia inde poſſet fieri ma-
„ gnus liber. Illud autem non eſt ob-
„ mittendum quia ex parte Accon
„ ſub caſtro Saphet in forti loco eſt
„ Burgum ſive Villa magna. ubi eſt
„ mercatum & populi multitudo. &
„ poteſt deffendi a caſtro. Habet
„ autem caſtrum Saphet ſub dominio
„ & diſtrictu ſuo caſalia que in Gal-
„ lico Ville dicuntur. pluſquam
„ CCLX. in quibus manet pluſquam
„ Xm. hominum. cum arcubus & ſa-
„ gitis. preter alios ex quibus haberi
„ poteſt

Digitized by Google

„ poteſt multa pecunia inter caſtrum „ Saphet & alias Religiones. & Baro- „ nes ac milites. ad quos pertinent „ dicta Caſalia. de quibus parum aut „ nihil habebat ante hedificationem „ Saphet. Nec haberent hodie niſi „ caſtrum eſſet hedificatum. quia om- „ nia haberet Soldanus & alii Sarace- „ ni. Illa vero utilitas non eſt obmit- „ tenda que ſupergreditur univerſas. „ quod modo poteſt predicari libere in „ omnibus predictis locis. fides Do- „ mini noſtri Jheſu Chriſti. & de- „ ſtrui ac reprobari publice in ſermo- „ nibus blaſphemia Machometi. quod „ non poterat fieri ante conſtructio- „ nem Saphet. Neque Saraceni auſi „ ſunt ibi publice proclamare ſicut „ ante faciebant blaſphemias Macho- „ meti contra fidem Domini Noſtri „ Jheſu Chriſti. Poſſunt & modo vi- „ ſitari loca famoſa que ſunt in diſtri- „ ctu Saphet. ut ciſterna Joſeph ubi „ fuit venditus a fratribus ſuis. & Ci- „ vitas Capharnaum que eſt in fini- „ bus Sabulon & Neptalim. ubi ha- „ bitavit & cepit predicare. & ope- „ ratus eſt multa miracula principa- „ liter Dominus Jheſus Chriſtus. & „ ubi Petrus ſolvit tributum de ſtatere „ invento in ore piſcis pro ſe & pro „ Domino Jheſu Chriſto. Mat. XVIII. „ & ubi Matheus ſedebat ad thelo- „ neum, de quo ſumptus eſt ad Apo- „ ſtolatum. Item ibi prope in monte „ verſus Tyberiadem eſt locus ubi de „ quinque panibus ordeacis & duobus „ piſcibus ſaciavit Dominus Vm. homi- „ num. de quibus ſuperfuerunt XII. „ cophani fragmentorum. Et eſt ibi „ prope locus ubi poſt reſſuretionem „ manifeſtavit ſe Jheſus diſcipulis ſuis. „ & comedit cum eis, ſecundum quod „ legitur in Evangelio feria IIII. poſt „ Paſcha. & ille locus dicitur vulga- „ riter menſa Domini. ubi eſt Eccle- „ ſia. & peregrinatio ſolempnis. Item „ ibi prope juxta mare Tyberiadis eſt „ Caſale quod dicitur Bethſaida. ubi „ nati fuerunt Petrus & Andreas. Phi- „ lippus & Jacobus minor. & ubi Chri- „ ſtus elegit ad Apoſtolatum Petrum „ & Andream. & duos filios Zebe- „ dei. Item ibi prope juxta mare Ty- „ beriadis verſus Tabariam eſt locus „ qui dicitur Magdalon. ubi dicitur „ nata fuiſſe Magdalena. Loca etiam „ ſolempniora ſunt Nazareth. Mons „ Tabor. Cana Galilee. & alia pluri- „ ma. propter conſtructionem caſtri „ Saphet poſſunt liberius & ſecurius „ viſitari. & propter hoc poteſt ſciri „ quantum minuitur & ſubtrahitur in- „ fidelibus Saracenis. & quantum ac- „ creſcit & additur Chriſtianitati prop- „ ter conſtructionem & ſtabilimentum „ caſtri Saphet, quod factum eſt ad „ amplificandum & debilitandum & „ reprimendum infideles. & ad dila- „ tandum multiplicandum & confor- „ tandum fideles. Ad honorem Do- „ mini Noſtri Jheſu Chriſti. & ad „ exaltationem Eccleſie Sancte Dei „ amen.

„ Explicit liber Saphet.

De veritate hujuſce hiſtoriæ nemini fas eſt dubitare, cum præclara *Caſtri Saphet* ſuperſit memoria apud *Oliverium Scholaſticum* in *hiſtoria Damiatina*, & apud *Gregorium Eccardum* inter *Scriptores Medii Ævi* Tom. II. column. 1421.

Fol. 68. Sequuntur *Privilegia*, *Acta*, *& Conventiones* inter Principes pro Orientali expeditione fœderatos.

Primo quidem loco eſt *Privilegium* VENETORUM *in Civitate Accon*.

Fol. 69. *Privilegium* eorundem VENETORUM *in Civitate Biblii*.

Fol. eodem. *Pacta conventa & inſtituta inter* BONIFACIUM *Montisferrati Marchionem, & Ducem Venetiarum* DANDULUM, alioſque Principes, qui ibidem memorantur, *de expugnatione Urbis*, ſcilicet Hieroſolymæ.

Fol. 70. *Pactum de diviſione Terrarum Imperii* inter fœderatos Principes.

Fol. 71. *Pactum* IMPERATORIS cum MARINO *Genuenſium Poteſtate*.

Fol. 72. *Pacta ſervanda* inter *Impera-*

rato-

Digitized by Google

ratorem Conſtantinopolitanum, & *Ducem Venetiarum*.

Fol. eodem. Diploma, quo BONIFACIUS *Marchio Montisferrati* inſulam Cretenſem COMMUNI VENETIARUM tradit.

Fol. 73. *Pacta jurata inter electum Imperatorem*, JOHANNEM *Hieroſolymorum Regem*, *ac* DUCEM VENETIARUM *ad recuperandum Imperium*: quæ quidem acta omnia ſæculi XIII. notam præſeferunt.

CODEX DXCVI. *l.* III. 29.

Membranaceus, conſtans foliis 74. ſæculi XIV. continet *Allegorias in* VETUS ET NOVUM TESTAMENTUM. Præmittitur prologus, cujus initium: *in precedentibus premiſſa deſcriptione originis & diſcretionis artium & quorumdam aliorum ortum curſum & occaſum omnium Regnorum ab initio uſque ad nos diſponimus. in ſequentibus profundas Allegoriarum obſcuritates &c.*

Fortaſſe eſt opus PETRI PICTAVIENSIS, quem *Allegorias in Vetus & Novum Teſtamentum* ſcripſiſſe, tradit Oudinus, qui plures ejus MSS. Codices in Anglia, & Galliis exſtantes numerat Tom. II. pag. 1500.

CODEX DXCVII. *l.* IV. 5.

Membranaceus, ſæculi XV. conſtans folii 39. Variæ in eo habentur *Theoriae Planetarum*, figuris explanatæ, & alia multa ad *Coſmographiam* ſpectantia.

CODEX DXCVIII. *l.* IV. 6.

Chartaceus, ſæculi XVII. habet folia 78. in quo SERENI ALTINSENSIS PHILOSOPHI libri II. quorum unus de *ſectionibus Cylindri*; alter de *ſectionibus Coni*, a FEDERICO COMMANDINO *Urbinate* in Latinum ſermonem converſi, & commentariis illuſtrati.

Ex approbatione, quæ eſt in fronte Codicis, colligitur, exemplar ad editionem, quæ facta eſt Bononiæ, conſcriptum fuiſſe.

CODEX DXCIX. *l.* IV. 12.

Chartaceus, ſæculi XV. conſtat foliis 38. in quo HERONIS PHILOSOPHI *Spiritalium opus*, *Anonymo* interprete. Incipit: *cum apud antiquos Philoſophos & Mechanicos ſtudium negotii ſpirabilium &c.*

CODEX DC. *l.* IV. 19.

Chartaceus, conſtans foliis 457. ſæculi XV. continet

Fol. 1. *Decretum abbreviatum a* MAGISTRO JOHANNE DE DEO *compoſitum in ſtudio Bononienſi*.

Fol. 3. *Summulam Domini* ANDREÆ *ſuper quarto libro Decretalium*.

Fol. 12. GENTILIS *Tractatum de Balneis*.

Fol. 14. Quædam ad jus *Canonicum* ſpectantia, ad quorum calcem legitur: *Diſputata ſunt hec & ſcripta per me Nicolaum de Sicilia in ſtudio urbis Senenſis anno Domini MCCCCXXX. die V. Martii. Ad utramque partem dubiorum publice & ſolemniter reſpondit nobilis vir Dominus Robertus de Cavalcantibus in Jure Canonico acutiſſimus.*

Fol. 21. uſque ad finem ſunt itidem quæſtiones ad jus Civile, & Pontificium ſpectantes, abſque autoris nomine.

CODEX DCI. *l.* IV. 20.

Chartaceus, cui folia 200. ſæculi XV. multa continet opuſcula.

Fol. 1. Eſt GUARINI *Veronenſis de Aſſentatoris & amici differentia*: opuſculum e Græco Plutarchi Latine converſum, & Principi *Leonello Eſtenſi* dicatum.

Fol. 13. Excerpta ex *M. Tullio Cicerone* de *Legibus*.

Fol. 26. BONACURSII DE MONTE MAGNO *Oratio pro L. Catilina adverſus M. Ciceronem*. Incipit: *omnes homines qui in maxi-*

Digitized by Google

maximis principatibus vitam agunt &c.

Fol. 31. ANDREÆ AGASONIS *epiſtola ad Paulum Regium ſcripta Venetiis MCCCCXXXVII. idibus Martiis.* Epiſtola plena eſt querelarum de *Trapezuntii* arrogantia, qui in ſuo de *Rhetorica* libro male meritus eſſet de *Guarino*. Ejus initium: *Tuorum nequaquam mandatorum oblitus &c.*

Fol. 38. GEORGII TRAPEZUNTII literæ ad Principem *Leonellum Eſtenſem*, in quibus de *Guarini* in ſe maledictis conqueritur. Incipit: *Guarinus Veronenſis humaniſſime Princeps vir etate noſtra ut credit doctiſſimus &c.*

Fol. 40. GEORGII TRAPEZUNTII *Rhetoricorum ſuorum Apologia adverſus Guarinum Veronenſem*, cujus initium: *Cum multorum ſermonibus jam ante percrebuiſſet &c.*

Fol. 63. Epiſtola GUARINI *Veronenſis ad Blaſium Guaſconem de Poggio Florentino*. Incipit: *Volui ſepe numero animoſi mores hominis ad te perſcribere &c.*

Fol. 81. Epiſtola a FRANCISCO BARBARO *Veneto ſub nomine Populi Brixienſis ad Senatum Venetum* ſcripta, cujus initium, *magnas tibi quiſquis es gratias haberemus &c.*

Fol. 84. LAURENTII VALLÆ *epiſtola ad Alphonſum Minoris & Majoris Heſperie Regem*. Incipit: *Cum Titum Livium quotidie Romanorum hiſtoricorum eloquentiſſimum &c.*

Fol. 90. LOMBARDI A SIRICO *Dialogus de diſpoſitione vitae ſuae ad Franciſcum Petrarcham*. Incipit: *Fervet animus te videndi deſiderio &c.*

Lombardum Siricum, origine Patavinum vocat Albertus Fabricius Tomo IV. pag. 826. *Bibliothecæ Mediæ, & Infimæ Latinitatis.*

Fol. 93. Incerti autoris *de Inſtitutione Principis* ad Cardinalem Riarium. Inducitur VERITAS Cardinalem alloquens, & hiſce verbis incipit: *Nulla te precor felix Antiſtes admiratio teneat &c.*

Fol. 111. ANTONII PANORMITÆ Alphonſi Regis Aragonum Legati *Congratulatio de pace facta ad Venetos*. Incipit: *Gaudemus & vehementer letamur &c.*

Fol. 113. *Gratiarum actio Duci Mediolani Philippo Mariae habita a Cardinali S. Sixti pro captivorum dimiſſione*; cujus initium: *In me invictiſſime Princeps erga nos Regemque noſtrum &c.*

Fol. 115. *Oratio* a FRANCISCO PHILELPHO *habita Florentiae Coram Eugenio IV.* Incipit: *Socratem Philoſophum ſenem & pauperem &c.*

Fol. 118. Oratio habita eo die, quo FRANCISCUS FOSCARINUS *Dux Venetiarum inauguratus eſt*. Ejus initium: *Ad tuam ſublimitatem ingenti numero poſſumus adire &c.*

Fol. 119. Oratio GULIELMI DE LE PUGNA ad Populum Veronenſem habita, cum Prætura munus deponeret. Incipit: *Jubent ii cives quos in tanta frequentia video &c.*

Fol. 120. *pag.* 2. DEMOSTENIS *Oratio ad Alexandrum Regem*, Latine reddita a *Leonardo Aretino*. Incipit: *Nihil habet Rex Alexander vel fortuna tua majus &c.*

Fol. 121. GALEACII *Comitis Papiæ* oratio habita *ad Venetorum Dominium tempore Viſitationis anno MCCCCLV.* Initium hujuſmodi eſt. *Cum ab illuſtriſſimis parentibus meis juſſus fuerim Ser. Princeps ad tue Celſitudinis, atque hujus ampliſſimi ordinis preſentiam proficiſci &c.*

Fol. 122. Oratio, quam habuit IMPERATORIS FRIDERICI *Legatus* (*Æneas Senenſis*) ad *Calixtum Papam*. Incipit: *Solent plerique omnes Beatiſſime Maxime Pontifex &c.*

Fol. 131. Oratio GENEROSE ISOTE A NOGAROLIS ad Hermolaum Barbarum. Incipit: *Cantemus Domino glorioſe enim magnificatus eſt &c.*

Fol. 136. Eſt oratio, quam habuit BERNARDUS JUSTINIANUS ad *Pium II. Papam*. Incipit: *Sanctiſſime ac piiſſime Pater. cum devotiſſimi Tue Sanctitatis filii Illuſtriſſimus Princeps noſter atque Senatus &c.*

Fol. 137. BERNARDI JUSTINIANI *Laudes parentales Franciſci Foſcarini*. Initium

Digitized by Google

tium fit his verbis: *Cum egregia quedam pietis officia &c.*

Fol. 161. *Oratio in funere Caroli Zeni edita a* LEONARDO JUSTINIANO. Incipit: *Maximum & ampliſſimum munus illuſtriſſime Princeps hodierno die ad me delatum video &c.*

Fol. 166. POGGII *oratio habita in funere Nicolai.* Incipit: *Si Cives preſtantiſſimi Latine muſe hoc in loco per ſe loqui potuiſſent &c.*

Fol. 173. FRATRIS JACOBI DE ALEXANDRIA *Oratio habita in funere Fantini Valareſi Archiepiſcopi Cretenſis*, cui ſubjicitur ejuſdem Epitaphium; ex quo intelligitur, *Cretenſem Archiepiſcopum* diem obiiſſe anno MCCCCXLIII. die XVIII. Maii. Oratio autem incipit: *Heu illuſtre Dominium. obſervandiſſimi Preſules. Reverendi Patres &c.*

Fol. 179. *Oratio* GEORGII TRAPEZUNTII *in funere Michaelis Fantini Veneti.* Incipit: *Quamquam omnis antiquitatis mores plurimum laudare ſoleo &c.*

Fol. 186. *Index librorum Grecorum in quolibet literarum genere.*

Fol. 193. Elenchus ſchiſmatum a temporibus FELICIS PAPÆ II. uſque ad URBANUM VI. ſine autoris nomine.

Fol. 195. *Syntagma de Romani Imperii dignitatibus, Anonymo* pariter autore.

Fol. 197. PII *Secundi Papæ Oratio*, quam ad Montem Milvium habuit *in occurſu capitis B. Andreae Apoſtoli die XII. Aprilis* 1462. Incipit: *Adveniſti tandem o Sacratiſſimum & odoratiſſimum Sancti Apoſtoli caput &c.*

Fol. 198. PETRI PAULI VERGERII *Carmen ad Franciſcum de Carraria ſuper reditu natorum ejus Franciſci & Jacobi ex hoſtili captivitate.* Ejus initium:

Carriger nobis pater atque Princeps.
Cujus urbs ductu Patavina dudum
Floret: &c.

Fol. 200. *De Conſtructione urbis* VENETIARUM, ſine autoris nomine.

Fol. 200. *pag.* 2. FRANCISCI FANI *Poetae Romani Carmen de contemnendis divitiis*, cujus initium:

Aſcendat quicumque velit faſtigia felix
Inſtabilis ſolii. digito monſtretur ubique
Lautus & Eois gemmis redimitus & auro
Fortuna complente ſuum per ſingula votum.
Ad nutum cumulentur opes cumulentur honores.
Non illi invideo &c.

Initio Codicis eſt vetus *Kalendarium Romanum.*

CODEX DCII. *l.* IV. 2.

Chartaceus, habens folia 142. ſæculi XV. in quo

Fol. 1. uſque ad 118. ſunt CXXIII. *fabellae* abſque autoris nomine, cum morali earundem expoſitione. Confabulantur in iis Planetæ, & corpora fere omnia meteorica, tum lapides, foſſilia, animalia, plantæ &c.

Fol. 118. Eſt de *Amelio*, & de *Amico* fabuloſa quædam narratio ad modum earum, quas Itali vocant *Novelle.*

Fol. 124. *Hiſtoria de extirpatione Regni Longobardici facta per Karolum Imperatorem in defenſionem Romane Eccleſie. & de Captione Regis Deſiderii in Papia uxoriſque ejus & filiorum.* Incipit: *factum eſt autem poſt aliquantos annos ut Adrianus Papa urbis Romane Legatos ſuos ob defenſionem Romane Eccleſie ad Carolum Regem Francorum &c.* Deſideratur hiſtorici nomen.

Fol. 125. *pag.* 2. *Marchionis* BAPTISTÆ PALLAVICINI *hiſtoria Paſſionis Dominicæ metro heroico deſcripta*, cum prologo ad *Eugenium IV.* Prologus incipit.

Maxime Pontificum quo nunc cuſtode fidelis
Gens populi valet aeternam ſperare ſalutem &c.

Hiſtoriæ vero *Paſſionis* initium hujuſmodi eſt.

Illius omnipotens venturi conſcius aevi
Tempora dinumerans cum jam completa dediſſet
Doctrinæ monumenta ſuæ. non multa moratus &c.

Digitized by Google

Fol. 136. MARIANI CARTHUSIENSIS MONACHI *Carmina de morte & de laudibus B. M. V.*

Fol. 137. Epitaphium OTHONIS VICECOMITIS & MEDIOLANI DUCIS heroico metro exaratum, cui ſubjicitur aliud ejuſdem OTHONIS epitaphium, autore GABRIELE DE ZAMOREIS DE PARMA.

Fol. 138. Poematium Italicum, vulgo *capitolo in terza rima*, ſine autoris nomine.

CODEX DCIII. *l.* IV. 22.

Membranaceus, conſtans foliis 517. ſæculi XV. *Adverſaria* continet hominis cujuſdam eruditionis ſtudioſi, partim Mythologica, partim Geographica, & nonnulla etiam philoſophica, & hiſtorica.

Fol. 1. Sermo habetur de *Origine Philoſophiæ*.

Fol. 4. *de artium & diſciplinarum a Barbaris ad Græcos progreſſu*.

Fol. 8. *de Literis Hebraicis, Græcis, Etruſcis, ac de Moyſis, & Prophetarum antiquitate*.

Fol. 16. *de tripartita Platonis, & de Hebræorum Philoſophia*.

Fol. 26. *de multiplici Monachorum genere in Ægypto commorantium*.

Fol. 27. *de interpretatione Sacræ Scripturæ*.

Fol. 29. *de diſciplina & vita Moſaica*.

Fol. 32. *de allegorico Scripturarum ſenſu*.

Fol. 36. de *Mundi Creatione*.

Fol. 48. eſt *vita* THALETIS, *ejuſque ſapientiſſima dicta*.

Fol. 50. *Vita* SOLONIS, *ejuſque dicta & leges*.

Fol. 52. *Vita* CHILONIS *Lacedæmonii, ejuſque optimæ ſententiæ*.

Fol. 53. *Vita* PITTACI MITYLENI.

Fol. 54. *Vita* BIANTIS PRIENÆI, *ejuſque honeſtiſſima præcepta*.

Fol. 55. *Vita* CLEOBULI CARIENSIS, *ejuſque inſtitutiones*.

Fol. 56. *Vita* PERIANDRI CORINTHII, *ejuſque Sanctiſſima præcepta*.

Fol. 57. *Vita* ANACHARSIS SCYTHÆ.

Fol. 58. *Vita* MISIONIS CHENÆ.

Fol. 58. *pag.* 2. *Vita* EPIMENIDIS CRETENSIS.

Fol. 59. *Vita* PHERECIDIS SYRI.

Fol. 60. *Vita* ANAXIMENIS MILESII.

Fol. 61. *Vita* ANAXAGORÆ CLAZOMENII.

Fol. 62. *Vita* ARCHELAI ATHENIENSIS.

Fol. 63. *Vita* PYTHAGORÆ SAMII ex Diogene Laertio excerpta.

Fol. 70. HIEROCLIS PHILOSOPHI STOICI in aureos *Pythagoræ* verſus commentarius ab AURISBA in Latinam linguam translatus. Verſus, ſive *Pythagoræ* ſententiæ puriſſimo, fulgidiſſimoque auro ſcriptæ ſunt.

In calce hæc adnotantur.

Finis virtute & comite fortuna. 1505. die 16. Junii Gallis in Neapolitano Regno laborantibus.

Fol. 107. de nominibus menſium apud *Ægypios, Chaldæos, Hebræos, Athenienſes, Macedones, Græcos, Syros, Perſas, & Arabes*. Opuſculum eſt POMPONII LÆTI *Vaxino Gamberiæ Pontificis Maximi*, cujus omittitur nomen, *miniſtro a cubiculo dicatum*. Poſt hæc plura ſequuntur de *Ætatibus Mundi*.

Fol. 115. de menſibus *Romanorum*: accedit dierum feſtorum in Urbe Roma *Kalendarium*, quod ex *Faſtis* OVIDII excerptum dicitur.

Fol. 117. *de Regionibus Urbis Romæ*.

Fol. 118. formula *Teſtamenti militaris*.

Fol. 129. fit comparatio *Antiquæ Romanorum Politiæ* cum noſtris hiſce temporibus, quo in loco Romæ Sanctiora loca recenſentur.

Fol. 130. *Epiſtola Theodorici Regis de Aquilegio in vejendis aquis deputato*. Incipit: *magnitudinis veſtre relatione compemus Aquilegium Romam veniſſe ex partibus Aphricanis. ubi ars ipſa pro locorum ſiccitate magno ſtudio excolitur. qui aridis locis aquas poſſit dare vernatiles &c.*

Fol.

Digitized by Google

Fol. 132. THEODORICI forma, & mores ex *Sidonio Apollinari*.

Fol. 133. de *Romanorum* cum barbaris gentibus foederibus, ac bellis, ex *Polybio*.

Fol. 145. SOCRATIS *Vita* ex *Diogene Laertio*.

Fol 150. PLATONIS *Vita* ex *Diogene Laertio*.

Fol. 163. PLATONIS *Vita* ex *Marsilio Ficino*.

Fol. 171. *pag.* 2. Epistola MARSILII FICINI, in qua *de scriptis Platonis Christianæ Religioni consentaneis*. Est VII. libri VIII. Epistolarum.

Fol. 173. Ejusdem MARSILII *Epistola Comphilosophis suis*. Est prima libri II.

Fol. 183. Ejusdem MARSILII *Epistola ad Franciscum Hyppolitum*. Est III. ejusdem libri.

Fol. 185. Ejusdem *epistola ad Nicolaum Episcopum Vaciensem, & Franciscum Bandinum*. Est IV. laudati libri secundi.

Fol. 192. *de raptu Pauli ad tertium Cælum, & de animi immortalitate dialogus inter animam & Paulum*, MARSILIO FICINO autore, ad *Johannem Cavalcanti*. Editus est Tomo I. *operum Marsilii* pag. 697.

Fol. 200. Ejusdem MARSILII *Argumentum in Platonicam Theologiam ad Laurentium Medicem*. Legesis tomo cit. pag. 706.

Fol. 213. usque ad folium 292. sequuntur MARSILII FICINI ad varios suorum temporum doctissimos viros Epistolæ, quæ omnes in tomo II. leguntur.

Fol. 292. de PIO II. PONTIFICE *& de ejus commentariis per* JOHANNEM ANTONIUM CAMPANUM *ad Jacobum Cardinalem Papiensem*. Prima est Epistolarum libri I. pag. 2. in editis *Campani* operibus.

Fol. 294. plures sequuntur Epistolæ, nimirum

CAMPANI *ad Cardinalem Papiensem, & ad Gryphum*

ANGELI POLITIANI *ad Petrum Medicem*

JOHANNIS PICI MIRANDULANI *ad Angelum Politianum*.

ANGELI POLITIANI *ad Johannem Picum Mirandulanum, & ad Pomponium*.

JOHANNIS PICI MIRANDULANI *ad Guarinum Præceptorem suum*.

BAPTISTÆ GUARINI *ad Johannem Picum Mirandulanum*.

HIERONYMI DONATI *ad Angelum Politianum*.

ANGELI POLITIANI *ad Hieronymum Donatum*, aliosque præstantissimos viros, quæ omnes jam dudum typis consignatæ sunt.

Fol. 317. LUDOVICI TICIONIS *Decianæ Comitis* (oppidum juxta Vercellas) *epistola ad Guillelmum Varonum Vercellensem Canonicum Casanovæ Abbatem*. Agit de MAXIMILIANI CÆSAIRS & Germanorum Laudibus. Initium fit his verbis: *Aureo hamo R. Pr. obolos piscaris. Tu cum Curialis vir sis. & undique tibi nova scaturiant. a me semiexuli & in hac relegato Villula nova requiris. visque mecum permutatione quadam agere. ut pro Romanis tuis Germana commutem &c.*

Fol. 320. Ejusdem LUDOVICI TICIONIS *Decianæ Comitis epistola ad Guillelmum Lignana Casanovæ Abbatem epistola*, in qua de antiquis & recentibus ostentis scribit, tetramque procellam, quæ totam Vercellensem urbem concusserat, fusiori calamo narrat. Incipit: *Litteris tuis R. Pr. quod omnia fere elementa urbi nostrę Vercellensi praeterita nocte infesta fuerint &c.* Subscripta dicitur epistola *Decianæ* XIII. *Kal. Augusti*. *MDII.*

Fol. 223. MAXIMILIANI *literæ ad eundem Comitem Ludovicum Ticionem*, in quibus Imperator se detrimenta compensaturum pecunia pollicetur, quæ Comes a Marchionibus Montisferrati acceperat. En initium: *Nobilis fidelis dilecte. Legimus litteras tuas quas honestus religiosus devotus nobis dilectus Hieronymus natus tuus nobis reddidit &c.* Data dicitur hæc epistola *Augustæ die* XI. *mensis Septembris* MDXVIII.

Fol. eodem. *Ejusdem Comitis gratiarum*

Digitized by Google

rum actio Imperatori per Epiſtolam datam ex oppido *Creſcentino* die VIII. *Februarii* MDXIX. Incipit: *Cum ſemper ſummam tuam illam beneficentiam &c.*

Fol. 325. CAROLI HISPANIARUM REGIS ad *Ludovicum Ticionem Epiſtola*, ſcripta die XX. *Julii* MDXIX. in qua ſe electum Imperatorem dicit, ſuumque ſpondet Ludovico patrocinium. Incipit: *Intelleximus ex his quæ ad nos nuperrime ſunt tranſmiſſa electionem Imperii &c.*

Sequitur *reſponſum* LUDOVICI, quo ſe ipſum & res ſuas CAROLO commendat, & de Imperiali dignitate gratulatur. Incipit: *Laurentius Gallindus Majeſtatis tuæ invictiſſimæ nuncius hodie vigeſima nona præſentis clementiſſimas ac perhumanas litteras tuas &c.*

Fol. 325. *pag.* 2. ejuſdem LUDOVICI *Comitis ad Mercurinum Gattinariam Hiſpaniarum Cancellariam epiſtola* de eodem argumento, cujus initium: *Si Laconica brevitate &c. data Creſcentini XIX. Julii. MDXIX.*

Fol. 326. *Epiſtola* iterum MAXIMILIANI *Imperatoris ad Comitem Ludovicum*, ſcripta *Hamburgi* anno MDVI. qua Bartholomæum Ticionem filium ad patrios Lares rediturum, quamprimum ſignificat; & *Comitis* LUDOVICI ad *Maximilianum*, in qua excuſationes & rationum momenta affert, cur Bartholomæus filius tam cito ad Imperialem Aulam redire non poſſit. Data in Oppido *Decianæ* die XVIII. *Decembris* MDVI.

Fol. 326. pag. 2. exſtant binæ aliæ epiſtolæ de eadem re.

Fol. eodem, eademque *pagina*, *Epiſtola* BLANCHÆ MARIÆ ROMANORUM REGINÆ *Comiti Ludovico Ticioni*, in qua de nuptiis filii Bartholomæi Ticionis.

Fol. 327. *Epiſtola Comitis* LUDOVICI *Joanni Collavero Cæſari a ſecretis*. Laudes Collaveri proſequitur, eique librum de *Antiquitatibus Græcis & Romanis*, quem Romæ, dum Legati munere fungeretur, compoſuerat, dono mittit.

Fol. 347. *pag.* 2. Sunt duæ aliæ epiſtolæ, altera COLLAVERI ad *Comitem Ticionem*, altera COMITIS *ad Collaverum* de eodem argumento.

Fol. 328. Sequuntur literæ MAXIMILIANI *Imperatoris ad Comitem Ticionem*, & COMITIS ad *Imperatorem reſponſum*.

Fol. 328. *pag.* 2. *Epiſtola*. JACOBI BANISSII *Cæſari a ſecretis ad Comitem Ticionem*; ſcripta *Inſpruch die XII. Januarii anno MDVII.* & COMITIS *ad Baniſſium*, qua filium Bartholomæum illius patrocinio commendat, ſcripta Decianæ X. Kal. *Auguſti* MDVII.

Fol. 329. *pag.* 2. Literæ TRISTANI CALCHI *in Senatu Mediolanenſi a ſecretis ad Comitem Ticionem*, & reſponſum COMITIS, ſcriptum *Decianæ V. nonas Martias MDVI.*

Fol. 330. *Epiſtola* MAXIMILIANI *Imperatoris*, data in oppido *Sterzingi die VI. Junii* MDIX. qua mandat Comiti Ticioni, ut filios ſuos cum lecto equitum, atque peditum numero ad expeditionem Italicam paret.

Fol. 330. *pag.* 2. *Ejuſdem* MAXIMILIANI *ad Sabaudiæ & Montisferrati Duces Epiſtolæ*, ut copiam faciant *Comiti Decianæ* milites pro Imperatore ſcribendi. Datæ ſunt die VI. *Junii*, & XXII. *Julii* MDIX.

Fol. 331. Elenchus juvenum, militumque, qui Cæſarem Ticionem Comitis Ludovici filium in expeditione Italica Cæſaris ſecuti ſunt. Cum autem illuſtrium Subalpini agri, & Inſubriæ familiarium nomina Elenchus exhibeat, viſum nobis eſt eum typis conſignatum poſteritati mandare; eoque libentius, quod non ſpernendum hiſtoriæ monumentum inſuper contineat.

„ Hic notantur juvenum nomina
„ qui C. Julium Cæſarem Ticionem
„ filium in expeditione Imperiali con-
„ tra Venetos ſecuti ſunt: & primo
„ C. Julius Cæſar equos decem
„ cum familia conduxit.
„ Jo. Andreas Ticionus de Sancto
„ Januario equos tres & erat locum
„ tenens.

„ Bo-

Digitized by Google

„ Bonifortus Pezanus de Mortaria
„ Vexilifer equos duos.
„ Jo. Bartholomæus Ticionus de
„ Rippis equum unum
„ Luchinus Ticionus equum unum.
„ Rolandus Ticionus equum unum.
„ Franciſcus Ticionus equum unum.
„ Baptiſta Niger de Vercellis equum
„ unum.
„ Joannes Bernardinus Georgius de
„ Cerreto equum unum.
„ Petrus Georgius frater Bernardini
„ equum unum.
„ Leander de Roſalcho equum
„ unum.
„ Alexander Rebelotus de Mortaria
„ equum unum.
„ Milanus de Roxignano equum
„ unum.
„ Nicolaus Carlevarius equum
„ unum.
„ Girardus de Mede equos duos.
„ Jo. Auguſtinus de Sancta Maria
„ equos duos.
„ Sigiſmundus Rubeus de Terricula
„ equum unum.
„ Jo. Andreas Maria Caſalenſis
„ equum unum.
„ Antonius Scapardonus equum
„ unum.
„ Marchinus Guatius de Bozolis
„ equum unum.
„ Bartholomæus Gaius de Pomato
„ equum unum.
„ Vianus de Caſali equum unum.
„ Michael Berreta de Fraſcharolio
„ equos duos.
„ Mafeus de Novate de Valentia
„ equum unum.
„ Giarola de Valentia equum
„ unum.
„ Stephanus Cornagia de Baſignana
„ equum unum.
„ Domeninus de Poma de Baſigna-
„ na equum unum.
Franciſcus Blangeri de eodem loco
„ equum unum.
„ Gilardus Stortiglonus de Alexan-
„ dria equum unum.
„ Joannes Petrus Barberus de Pon-
„ tiſturia equum unum.
„ Jo. Franciſcus de Sancta Maria
„ equos duos.
„ D. Leonardus de Mede equos
„ duos.
„ Tubicen equum unum.
„ Hii ſunt qui Cæſarem ſunt ſecuti.
„ & eo die quo Lutius Malvitius Ve-
„ netorum Dux Franciſcum Gonzagam
„ Marchionem Mantuæ captivavit in
„ Inſula de la Scala. ad tria caſtra ap-
„ plicuit. & habuit obviam Ludovi-
„ cum Mirandulanum. qui & ipſe ſub
„ Imperatore millitabat. & tandem
„ inter ſe coniuncti junxerunt arma ut
„ eidem Marchioni opem ferrent: ſed
„ reciderant Veneti omnes pontes; &
„ Marchionem Venetias conduxerant.
„ Re infecta Veronam ſe receperunt.
„ & poſt triduum Inſulam de la Scala
„ incenderunt ac depopulati ſunt quia
„ Marchionem ruſtici prodiderant.
„ Uno eodemque tempore Odonus In-
„ ciſe Marchio Veronam applicuit
„ cum quinquaginta expeditiſſimis
„ equis. & in..... profecto ſuperve-
„ nientes ii tres fluctuabat plebs: & ad
„ Venetos deficere jam procliva erat.
„ Sed horum adventu in fide egre re-
„ tenta eſt.

Fol. eodem. Sequuntur Epiſtolæ MAXIMILIANI, aliorumque Principum, atque Cardinalium ad *Comitem Ludovicum Ticionem*, in quibus de aliquibus *beneficiis Eccleſiaſticis* id temporis *in Lombardia exiſtentibus* filiis ejus impetrandis agitur.

Fol. 333. *Comitis* LUDOVICI TICIONIS *Epiſtola ad Maximilianum*, in qua primum ait mittere ſe ad Imperatorem quoſdam *de bello a Philippo Vicecomite geſto* commentarios, deinde varia de *Vicecomitum* origine, & geſtis ſcitu digna a ſe collecta narrat: ſcripta eſt *Decianæ XVII. Kal. Januarii MDX.*

Fol. 337. *Ejuſdem* COMITIS TICIONIS ad *Maximilianum Litteræ*, quibus acerbe conqueritur, ſe jam ſenem a Gallis ex oppido ſuo Decianæ depulſum fuiſſe. Datæ ſunt in oppido Creſcentini

Digitized by Google

tini die XX. *Septembris* MDXVI.

Sequitur *reſponſum* IMPERATORIS, qui ſe res ejus integre reſtituturum pollicetur: ſcriptum in oppido *Uberlingen* die VIII. *Novembris* MDXVI.

Fol. 338. *pag.* 2. MAXIMILIANI *Epiſtola ad Thomam de Valperga Comitem Maxini*, ſcripta die IX. *Novembris* MDXVI. Commendat illi Comitem Ticionem. Adiectum eſt *reſponſum* COMITIS MAXINI ad *Imperatorem*, datum die XXIX. *Aprilis* MDXVII. in oppido *Maxini*.

Fol. 339. Exemplar *Donationis factæ per Tertullum Patricium Romanum Sancto Benedicto in Monte Caſino*.

De hac TERTULLI *donatione* nulla fit mentio in *Hiſtoria Monaſterii Caſſinenſis*, quam edidit Eraſmus Gattula *Venetiis* 1733. Vulgavit tamen Roccus Pirrhus *in Sicilia Sacra* pag. 1066. & a *Tabulario Caſſinenſi* ſe eam depromſiſſe affirmat in *notitia quarta* pag. 1155. plurimaque ibi adducit ſcriptorum teſtimonia ad ejus veritatem confirmandam. Quoniam vero non modicum invicem comparantes, animadvertimus intereſſe diſcrimen inter *Donationis* exemplum, quod eſt in codice *Taurinenſi*, & inter illud, quod typis conſignavit laudatus *Pirrhus Roccus*, propterea opportunum, & utile judicavimus, integrum ex codice huc transferre, nil interim de ejus αὐθεντίᾳ adſeverantes, etſi multa ſint, quæ nos de hujus donationis veritate dubios reddunt, & ambiguos.

„ Tertullus Dei gratia Invictiſſimae
„ Reginae Celi Terrę atque Civita-
„ tis Romanae Patricius Dictatoribus.
„ Senatoribus. Conſulibus. Præfe-
„ ctis. Proconſulibus. Tribunis. Cen-
„ turionibus & omnibus hominibus
„ per totum orbem commorantibus
„ Romanaeque ditioni ſubjacentibus ſa-
„ lutem & perpetuam pacem. Noſſe
„ vos non ambigimus S. P. Q. R. to-
„ tius mundi Dominos Dominatores
„ orbis & Praeſules cum quidquid
„ ſubjacet Celo armis viciſſent & in
„ ſervitutem redegiſſent. totius Or-
„ bis reginam celeſtem Romam con-
„ ſtituiſſe eternam. & ideo conſervan-
„ dam urbem Romanam ſingulari vir-
„ tute. fertilitate. potentia. ſapientia.
„ pulchritudine. bonitate. edificiiſque
„ toto orbe ſacratam. Ergo quia tan-
„ torum bonorum auctorem Deum no-
„ bis hec omnia concedentem. Eccle-
„ ſiam venerari. nec non omnes ba-
„ ſilicas poſſeſſionibus ditare debere-
„ mus. idcirco Egho Tertullus qui
„ ſum divine Rome urbis Patricius
„ concedo tibi in perpetuum Patri pa-
„ trum Benedicto & tuis ſucceſſoribus
„ in Caſſini Coenobio S. Baptiſte de-
„ gentibus omnes Patrimonii mei Co-
„ rites. que eſſe videntur in Sicilia
„ cum ſervis VII. exceptis uxoribus
„ eorum & filiis. in Meſana modia
„ terre XXX. cum portu ſuo. in Ac-
„ cio modia terre XX. juxta Civita-
„ tem Catemenſem modia terre V. CL.
„ in Agrigento. CCC. juxta Siracu-
„ ſam. CCCC. in Drepanis. modia
„ terre IV. in aquis Segeſtianis. DCCCC.
„ in Sigunto. XXX. in Thermis.
„ XXXX. in Parthenico. DCCC. in
„ Cara. DC. juxta Panormum. DCC.
„ cum portu ſuo. in Cephalodo XV.
„ in Aleſo LVII. in Galeate CL. has
„ omnes cum Eccleſiis. Vilis. Silvis.
„ Aquis. Piſcariis. aquarumque de-
„ curſibus ad eaſdem Corites pertinen-
„ tibus. in eodem Coenobio B. Bap-
„ tiſte in perpetuum corroboro & con-
„ firmo. Siquis autem hoc decretum
„ noſtrum violare præſumpſerit XIIII.
„ talenta auri puriſſimi Romano per-
„ ſolvat Imperio. & hoc decretum
„ priſtinum robur obtineat. Actum eſt
„ hoc decretum Romæ XV. Kal. Ju-
„ lii Anno Imperii Juſtini V. Olym-
„ piade CCCXXVI.

„ Ego Tertullus Patricius meo ſigno
„ roboravi.

„ Ego Symmachus Patricius Conſul
„ ſubſcripſi.

„ Ego Boetius bis Conſul ſub-
„ ſcripſi.

Adie-

Digitized by Google

Adjecta eſt forma ſigilli elegantiſſime picta, in quo *Aquila* cernitur, & in cujus peripheria hæc leguntur verba: *Tu Cæli terreque Imperatrix æterna . . . . . nutu totus tremiſcit orbis.*

Fol. 339. *pag.* 2. *Donatio facta per D. Othonem Eccleſiae S. Julii de Orta anno VCCCCLXII. indicione V.* Nomine *donationis* intellige *reſtitutionem*. Otho enim Imperator non *donavit*, ſed *reſtituit* Novarienſi Eccleſiæ *Inſulam S. Julii*, a Berengario olim ademtam, ut patet ex diplomate, quod edidit Ughellius tom. IV. *Italiæ ſacræ* pag. 697.

Fol. 340. Series rerum, quæ in *theſauro regio Sancti Dionyſii Pariſienſis* adſervantur.

Fol. 341. *Comitis* Ludouici Ticionis *Epiſtola* in oppido *Maxini* ſcripta die XVII. *Octobris* MDVI. *ad Cardinalem Sedunenſem*, in qua conqueritur de domeſticis, & totius Italiæ ærumnis; opemque ab eo precatur.

Fol. eodem. *Ejuſdem Comitis Literae ad Gadium Caeſari a ſecretis, datae die XVIII. Octobris MDXVIII.* Quærit ejus officia apud Imperatorem.

Fol. 342. Epiſtola M. Vigerii *ad Comitem Ticionem.*

Fol. 343. *Comitis* Ticionis *Epiſtola ad Cardinalem Senogalienſem.*

Fol. 345. *pag.* 2. *Comitis* Ticionis *Epiſtola ad Maximilianum Sfortiam Mediolani Ducem*, in qua optima bene imperandi præcepta ei tradit. Data die 23. *Septembris* MDXII.

Fol. 147. Reſponſum Maximiliani Sfortiæ ad *Comitem Ticionem*, Tridenti die V. *Octobris* MDXII.

Fol. 347. *pag.* 2. *Epiſtola* Maximiliani *Caeſaris ad Ludovicum Ticionem*, ſcripta die XV. *Octobris* MDXV. in qua promittit Imperator ſe omnem daturum operam, ut Comes Ludovicus in patriam ſedem, avitaque bona reſtituatur.

Fol. 348. *Comitis* Ticionis *ad Imperatorem reſponſum, & gratiarum actio.*

Fol. 349. *Ejuſdem epiſtola conſolatoria ad Thomam Valpergiam Maxini Comitem in obitu matris*; ſcripta *Valpergiae V. nonas Januarii* MDXVII.

Fol. 350. *Oratio in funerali pompa pudiciſſime matrone Comitiſſe Maxini edita per* Ludovicum Ticionem; *ſed non habita.*

Fol. 351. Sequuntur variæ ad amicos *conſolatoriae Epiſtolae de morte laudatæ Comitiſſæ Maxini.*

Fol. 354. *Platonicae deffinitiones a Speuſippo collectae.*

Fol. 357. Xenocratis *Platonici* liber *de morte a* Marsilio Ficino in Latinum ſermonem converſus, & *Petro Medices* inſcriptus.

Fol. 360. *pag.* 2. Epicteti *Philoſophi Stoici Enchiridion* ab Angelo Politiano in Latinam linguam translatum, & *Laurentio Medices* inſcriptum.

Fol. 369. *Comitis* Ludovici Ticionis *Epithalamica Oratio in nuptiis Suſannae Baſoliae Creſcentinatis.* XVI. Kal. *Majas* MDXX.

Fol. 374. Diogenis *Epiſtolae* per Franciscum Aretinam e Græco in Latinum ſermonem translatæ, cum ejuſdem præfatione ad *Pium Pontificem Maximum.*

Fol. 386. Leonardi Justiniani *Veneti ad Cyriacum Epiſtola*, in qua de Regis, & Imperatoris nomine, dignitateque agit, tum de ſacrorum varietate, de legibus, & de re militari, vigente Romano Imperio, diſſerit.

Fol. 421. Philonis *Hebraei Breviarium temporum*, in epitomem redactum.

Fol. 423. Berosi libri quinque de *Antiquitatibus*, in compendium redacti.

Fol. 434. Archiloci *Græci liber de temporibus.*

Fol. 435. Mirsilii *Lesbii de Origine Italiae & Thurrenorum* liber.

Fol. 436. M. Porcii Catonis *fragmenta de origine gentium & urbium Italicarum.*

Fol. 441. Fabii Pictoris *de aureo ſeculo & de origine urbis Romae libri II.* de quibus V. Albertum Fabricium *Biblio-*

Digitized by Google

bliothecæ Lat. Tom. II. pag. 375. & 378.

Fol. 444. *Decretum* REGIS DESIDERII *de Viterbo urbe ad Grimoaldum eidem urbi Praefectum.*

Fol. 445. SEXTI RUFI *Viri Conſularis rerum geſtarum Populi Romani ſub Valentiniano Auguſto liber.* V. Alb. Fabricium loco ſupra citato.

Fol. 461. *Variorum Imperatorum nativitas, interitus, nec non ſtatura, e diverſis auctoribus excerpta.*

Fol. 465. *Sententiae Antiquorum*, qui matrimonium vel laudarunt, vel improbarunt.

Fol. 468. Græcorum, ac Latinorum illuſtriora dicta de *abſtinentia*, atque *frugalitate.*

Fol. 474. *Vita Domini Noſtri Jeſu Chriſti per Platinam hiſtoricum.*

Fol. 498. *Ortus, vita, & geſta D. N. J. Chriſti*, in epilogum redacta.

Fol. 501. Series ſchiſmatum Eccleſiæ uſque ad annum DXXIV.

Fol. 502. *Prognoſticon Germanorum Aſtrologorum* de anno MDXXIV. addito *Prognoſtico Spiritus Apollinei* de *Franciſco I.*

Fol. ultimo. *Adnotatio ex antiqua membrana*, ut ibi dicitur, *excerpta de origine familiarum Valpergiae S. Martini, & Caſtromontis, circa annum DCCL.*

CODEX DCIV. *l.* IV. 24.

Membranaceus, conſtans foliis 101. ſæculi XIII. continet JULIANI POMERII *Prognoſticorum futuri ſeculi libros III.* Deſideratur initium *Epiſtolæ ad Idalium*, quam cum integro opere edidit Cochleus *Lipſiæ* anno 1535.

Fol. 38. S. AUGUSTINI de *Symbolo* libros IV. qui tomo VI. operum exſtant.

Fol. 73. Ejuſdem *ſermonem de feria IV.*

Fol. 77. Ejuſdem *ſermonem de Cataclyſmo.*

Fol. 81. Ejuſdem *ſermonem de Tempore Barbarico*, qui omnes dubii habentur, & ſubdititii ab *editoribus Pariſienſibus* Tom. VI. pag. 598.

Fol. 86. Ejuſdem *librum contra Felicianum Arianum de Unitate Trinitatis.* Opus *Vigilio* a Patribus Maurinis reſtitutum. V. oper. S. Aug. Tom. VIII. in app. pag. 40.

CODEX DCV. *l.* IV. 25.

Chartaceus, ſæculi XIV. habet folia 35. Eſt primo loco libellus *Fratris* THEOLOSPHORII E CUSENTIA *Presbyteri & Heremite de cognitione preſentis Schiſmatis ac ſtatu univerſalis Eccleſie uſque ad finem ſeculi.* Incipit. *In nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti & Genitricis ejus, ac totius celeſtis curie amen. incipit libellus &c. ſecundum auctoritatem Sanctorum Prophetarum &c.*

In fine.

Explicit liber 1386.

Paſſim figuræ conſpiciuntur, rudi tamen pictæ penicillo, temporum hiſtoriam exprimentes.

Exſtare MS. etiam in *Bibliotheca Baſileenſi, & Veneta Cardinalis Beſſarionis*, affirmat Oudinus Tomo III. pag. 2218. qui multa ſcribit de *Fratre Teleſphorio.*

Fol. 24. JOHANNIS *Pariſienſis ex Ordine Prædicatorum Tractatus de Antichriſto, & de fine Mundi.* Publici juris factus eſt *Venetiis* anno 1516. V. Eccardum Tomo II. pag. 335.

CODEX DCVI. *l.* IV. 31.

Membranaceus, conſtans foliis 45. ſæculi XIV. in quo habetur Interpretatio *Hebræarum vocum*, quæ in fine *Bibliorum* edi ſolet.

CODEX DCVII. *l.* V. 1.

Membranaceus, cui folia 321. ſæculi XV. iconibus aureis, & ſtemmate *Cardinalis a Ruvere* inſignitus. Habentur in eo M. TULLII CICERONIS *Orationes* XXXVII. omnes videlicet, præter *Philippicas*, & *Verrinas.*

In

Digitized by Google

In fine.
M. T. C. Orationes expliciunt anno MCCCCXL. die XV. Octobris.

CODEX DCVIII. *l.* V. 4.

Chartaceus, conſtans foliis 42. ſæculi XV. elegantem, & eruditam continet diſſertationem de rebus a Romanis in primo *Bello Punico* geſtis, ab autore *Anonymo* ſcriptam, cujus initium: *Vereor ne qui me putent antiqua nimium conſectari, ſi commentaria primi Punici belli perſcribere &c.*

In fine hæc ſpeciatim adnotata leguntur.

Grates tibi immenſas offero Phebe potentes
Que quod incolumem dediſti pangere finem
Hujus haſque litteras cernitis de rubeo ſcriptas.
Sanguine deſcripſi. quem exiguo haud dolore extraxi.

CODEX DCIX. *l.* V. 5.

Chartaceus, conſtans foliis 129. ſæculi XVI. in quo M. T. Ciceronis de *Divinatione*.

CODEX DCX. *l.* V. 7.

Chartaceus, ſæculi XIV. habet folia 42. Eſt in eo cujuſdam Magistri Guidonis, ut legitur in præfatione, *Dictator*, ſive Epiſtolarum conficiendarum multiplex ratio. Rem fere ſimilem edidit in *collectione veterum monumentorum* Hahgnus Tomo II.

Fortaſſe eſt *Guido Cantor S. Stephani Catalaunenſis*, quem volumen *Rhetoricarum epiſtolarum* ſcripſiſſe ſæculo XIII. notat Albertus Fabricius *in Bibliothecæ Infimæ & Mediæ Latinitatis* Tom. III. pag. 381.

In fine.
Expliciunt Dictamina.

CODEX DCXI. *l.* V. 8.

Chartaceus, habens folia 293. ſæculi XV. in quo Virgilii opera omnia, cum adnotationibus in margine, & intra textum.

Fol. autem primo hæc leguntur.
Hoc in libro opera Bucolicorum Georgicorum nec non Eneidum Virgilii Maronis Mantuani vatis celeberrimi commentata. Quorum Wilhelmus Schulteti dictus de Mechlinia Presbiter Cameracenſis Dyoceſis poſſeſſor. Principio Bruxelle ſcribere incipiens ante menſis Decembris anni MCCCCLXXI. decimam diem: hora licet tarda. Deo calamum gubernante omnes fines feliciter complevit.

Singulis *Æneidos* libris præfigitur tabella non inconcinne depicta, cuncta fere exprimens; quæ in unoquoque narrantur; literæ præterea initiales auro delineatæ ſunt.

CODEX DCXI. *l.* V. 9.

Membranaceus, conſtans foliis 258. elegantiſſimus, præſertim ob initiales literas cujuſque libri auro mirifice ſplendentes, ſæculi XIV. in quo rurſus Virgilii opera omnia cum adnotationibus *interlinearibus*.

Initio Codicis eſt ſtemma *Pingonianum*, ſed ab inexperta manu fictum.

CODEX DCXII. *l.* V. 10.

Membranaceus, ſæculi XIV. habet folia 143. Sunt tertio Virgilii Opera omnia.

Eſt initio Poetæ ſcribentis effigies aurea. Hinc inde in margine, & non raro intra textum adnotationes. In fine autem ſunt verſus Octaviani Cæsaris *ſuper Virgilio ne ſuus liber incendatur ſicut preceperat moriens.*

Ergo ne ſupremis potuit vox improba verbis &c.

Digitized by Google

CODEX DCXIII. *l.* V. 11.

Membranaceus, conſtans foliis 86. ſæculi XV. venuſtiſſimis aureis figuris, & ſtemmate *Cardinalis a Ruvere* exornatus, continet TERENTII *Comoedias ſex*.

CODEX DCXIV. *l.* V. 13.

Chartaceus, ſæculi XV. conſtat foliis 249. in quo OVIDII *Metamorphoſeos libri decem & quinque*, cum nonnullis adnotationibus in margine.

CODEX DCXV. *l.* V. 14.

Chartaceus, cui folia 213. ſæculi XV. continet SENECÆ *Tragœdias*, cum prolixioribus adnotationibus in margine, & nonnullis etiam intra textum.

CODEX DCXVI. *l.* V. 15.

Chartaceus, conſtans foliis 176. ſæculi XV. ubi pariter SENECÆ *Tragœdiae*, ſed omni deſtitutæ commentario.

In fine.

Anno Domini MCCCCI. die XI. Octobris expletus fuit iſte liber per Fratrem Gabrielem de Bucis.

CODEX DCXVII. *l.* V. 16.

Membranaceus, conſtans foliis 53. ſæculi XV. Habentur in eo JUVENALIS *Satyrarum libri duo*.

In fine.

Per me Fratrem Tibaldum de Guerris de Caſtro Novo Terdonenſi Ordinis Minorum. & eſt ad uſum Fratris Urbani ejuſdem Ordinis anno Domini MCCCCLXVII. die V. Madii.

CODEX DCXVIII. *l.* V. 17.

Chartaceus, habens folia 84. ſæculi XV. eoſdem JUVENALIS continet *Satyrarum libros*.

Fol. 81. hæc leguntur.

Hoc opus abſolvit Philippus Beroaldus Civis ac Notarius Bononienſis artis Oratorie ac Poeſis doctiſſimus MCCCCLXXXI. die IX. Auguſti.

CODEX DCXIX. *l.* V. 18.

Chartaceus, ſæculi XV. conſtat foliis 139. in quo *M. Ann.* LUCANI *Pharſalia* cum adnotatiunculis in margine.

Pagella ultima DANTIS *epitaphium* legitur verſibus Latinis exaratum.

Jura Monarchie Superos Flegetonta latuſque
Luſtrando tenui. Voluerunt fata quouſque.
Sed quia pars ceſſit melioribus hoſpita caſtris
Autoremque ſuum petiit felicior aſtris
Hic claudor Dantes patriis externus ab oris
Quum genuit parvi Florentia mater amoris.

CODEX DCXX. *l.* V. 19.

Chartaceus, conſtans foliis 158. ſæculi XV. in quo eadem LUCANI *Pharſalia*, at prolixioribus commentariis ab *Anonymo* autore illuſtrata.

In fine.

Explicit decimus liber Lucani anno Domini MCCCCX.

CODEX DCXXI. *l.* V. 27.

Chartaceus, ſæculi XV. conſtat foliis 267. in quo BENVENUTI DE IMOLA *Commentarius in* DANTIS *Comoediam*. Meminit hujuſce Commentarii Marius Creſcimbeni lib. 2. pag. 272. & MS. ſervari ait in *Bibliotheca Ambroſiana*, tum in Italam linguam converſum publici juris factum fuiſſe anno 1477.

Ad finem commentationis *Purgatorii* hæc leguntur.

Explicit ſuper Purgatorium Commentarius ſcriptus per me Johannem de Ponte Conventus Cherii. & finitum in Conventu Pra-

Digitized by Google

Pratenſi anno 1462. *quo quidem anno abſolutus fuit magiſter Ordinis Frater Magiſter Martialis de Avinione per tres Cardinales. que abſolutio fuit facta in Capitulo Generali Senis celebrato in feſto Aſſumptionis B. M. anno ut ſupra & electus Magiſter Conradus Aſtenſis.*

CODEX DCXXII. *l.* V. 27.

Chartaceus, conſtans foliis 197. ſæculi XV. Eſt *Poema*, quo variæ tam ex *Veteri*, quam ex *Novo Teſtamento* excerptæ comprehenduntur hiſtoriæ. Septem eſt in partes tributum. Primæ initium:

Angele qui quondam deſcendens culmine Olympi
Intraſti miſeras orbatas lumine terras.

Ex verbis, quæ poſtremo adduntur, operis titulus clariſſime innoteſcit:

Explicit hoc & opus ſpreti vitator ocii
Sic dictum. Summo Domino reverentia hinc ſit.
Qui dedit indicium medium ſtatuit quoque finem.

CODEX DCXXIII. *l.* V. 28.

Chartaceus, habens folia 100. ſæculi XVI. in quo ALEXANDRI RODOLPHI *Sablonenſis Heraclidos*. Poema, cujus initium:

Alcide magni erumnas: odiumque noverce
Ordiar: & fati leges Euryſthea durum
Implentem. Nymphe ſummum que Helicona tenetis
Ad metam tenues deducite Carminis orſus.
Cui vetus ara fuit vobiſcum erecta ſub auras
Communis. Numen canimus. Sociumque Sacrorum.
Adſis Dive favens cujus praeluſerit actis
Amphitryoniades. Quem primo imitaris ab aevo &c.

CODEX DCXXIV. *l.* V. 37.

Membranaceus, conſtans foliis 183. ſæculi XV. elegantiſſimi characteris, aureiſque picturis affabre ornatus, continet *Vitas Philoſophorum* a DIOGENE LAERTIO Græce ſcriptas, & in Latinum ſermonem ab AMBROSIO FLORENTINO *Ordinis Camaldulenſis* Monacho converſas, præmiſſa ejuſdem præfatione.

CODEX DCXXV. *l.* V. 38.

Membranaceus, ſæculi XV. conſtat foliis 320. in quo AULI GELLII *Noctes Atticae*. Egregium eſt exemplar. Capitibus argumenta præmittuntur, & in margine *verborum Græcorum* additur interpretatio. In fine autem eſt accuratus rerum index, præter aurea infinita propemodum ornamenta, quæ pulcherrima arte depicta codicem mirum in modum commendant.

CODEX DCXXVI. *l.* V. 39.

Membranaceus, habens folia 66. ſæculi XV. eadem fere characteris venuſtate, & ornamentorum varietate exaratus, qua antecedens, ejuſdem AULI GELLII *Noctium Atticarum* continet libros X. priores.

CODEX DCXXVII. *l.* VI. 1.

Membranaceus, conſtans foliis 316. ſæculi XV. characteris elegantia, & aureis ornamentis præſtantiſſimus, in quo JOSEPHI *Hebraei de Antiquitatibus Hebraicis libri* XX. ſine interpretis nomine. Initium ſit his verbis: *Hiſtoriarum geſta conſcribere diſponentibus non unam nec eandem ſtudii cauſam ſed multas exiſtere. & ab alterutro plurimum differentes. Nam quidam eorum ſuo ſermoni addere volunt ornatum. & ex his gloriam aucupantes ad partem diſciplinae hujus accedunt &c.*

Digitized by Google

CODEX DCXXVIII. *l.* VI. 2.

Chartaceus, conſtans foliis 206. ſæculi XV. Continet primo *formulam Juris Jurandi* uſurpatam a BONIFACIO VIII. anno MCCXCII. quæ incipit. *In nomine Sancte & Individue Trinitatis amen. Anno Dominice Incarnationis M.CC.XCII. Indictione octava. Ego Benedictus Gaitanus Sancte Romane Eccleſie Diaconus Cardinalis & electus ut fiam per Dei gratiam hujuſce Sancte Apoſtolice Sedis humilis miniſter profiteor &c.*

De hac *Fidei profeſſione*, quam edidit Bzovius ad annum 1294. & Raynaldus in appendice ad Tomum III. *Annalium*, multa differit Pagius Tom. II. *Breviarii Pontificum* pag. 289. Adjecta eſt in Codice Taurinenſi in hanc *Fidei profeſſionem* a Bonifacio editam *Gloſſa*, quam Mabillonius Tom. I. *Muſei Italici* pag. 151. refert ſe vidiſſe in *Bibliotheca Capranica*. Incipit: *In nomine Domini. Quamvis hanc Profeſſionem legerem in diurno libro & in fine Mallonis Sancti Petri &c.* De hac *Gloſſa* conſulendus eſt etiam Pagius tomo cit. pag. 290.

Continet ſecundo loco *Inſtrumenta omnia*, quæ ad hiſtoriam pertinent ſchiſmatis inter duos Antipapas *Gregorium* XII. & *Benedictum* XIII. mutuas eorundem epiſtolas, formulas electionum, Bullas, Comminationes, & Principum ea ſuper re literas, omnia itidem CONCILII PISANI, in quo ambo depoſiti fuerunt, *Inſtrumenta*.

Codex ab initio *Stemma Gentilitium* præfefert, ad cujus imam partem hæ cernuntur literæ S. D. ideſt *Sigillum Domini*: in peripheria vero: *Petri Ferricii Epiſcopi Tiraſſonenſis*. Mendum ſuſpicamur in voce *Tiraſſonenſis*; nam hujuſmodi Epiſcopatus Geographorum nemo, ni fallimur, hactenus meminit. Fortaſſe legendum *Tarazonenſis*, a *Tarazona*, quæ *Aragoniæ* urbs eſt antiqua, & percelebris, nec non Epiſcopali ſede ornata.

CODEX DCXXIX. *l.* VI. 3.

Chartaceus, ſæculi XV. conſtat foliis 363. in quo STRABONIS *Geographia* a GUARINO *Veronenſi* in Latinum ſermonem translata.

Præmittitur ANTONII MARCELLI *Veneti* ad Regem Renatum de hac *Guarini* interpretatione epiſtola, pone quam ſequitur ipſius *Guarini* iterum ad Nicolaum V. Pontificem epiſtola.

In fine.

Abſolutus liber Anno Chriſti MCCCCLXVI. tertio idus Julias Ferrarie.

CODEX DCXXX. *l.* VI. 4.

Membranaceus, habens folia 236. ſæculi XV. continet primo loco HERODOTI *Hiſtoriarum libros* IX. omiſſo interpretis nomine. Incipiunt: *Herodoti Halicarnaſſei hiſtorię explicatio hęc ut neque ea quae geſta ſunt ex rebus humanis obliterentur aevo. neque ingentia & admiranda a Graecis edita vel a Barbaris gloria fraudentur &c.*

Fol. 148. DIODORI *Siculi Bibliothecam*, & hanc ſine interpretis nomine. Animadvertimus tamen ex præfatione, eſſe FRANCISCI PHILELPHI, qui ut *Xenophontis Cyropediam*, ita *Diodori Bibliothecam* dedicavit *Paullo II. Pontifici Maximo*, quamquam & iſtius nomen in laudata præfatione deſideretur.

Initio Codicis eſt ſtemma *Cardinalis a Ruvere*, & initiales literæ auro puriſſimo pictæ.

CODEX DCXXXI. *l.* VI. 5.

Membranaceus, ſæculi XV. auro ubique fulgens, & emendatiſſime ſcriptus, habet folia 291. Eſt in eo HERODOTI *hiſtoria* a MATTHIA PALMERIO *Piſano* translata, cum ejuſdem proœmio ad *Proſperum Cardinalem de Columna*.

Hujus *Palmerianæ* interpretationis quaſdam ſolummodo *caſtigationes*, ſive *exercitationes ad optimos auctores Græcos* edidit

Digitized by Google

edidit Albertus Fabricius *Bibl. Græcæ* tomo II. pag. 701. Quare non immerito quis adhuc ineditam exiſtimaverit. Ejus initium eſt hujuſmodi: *Herodoti Alicarnaſſei hiſtoria hec eſt ne diuturnis temporibus hominum geſta memoriam effugiant. ne ut ampla atque admiranda Grecorum Barbarorumque facta quomodo & alia quidem: tum ne belli quoque cauſe quibus inter ſe pugnarint obſcurentur &c.*

CODEX DCXXXII. *l.* VI. 6.

Chartaceus, conſtans foliis 201. ſæculi XV. XENOPHONTIS continet *Cyropediam* a FRANCISCO PHILELPHO in Latinum ſermonem converſam, cum ejuſdem præfatione ad *Paullum II. Pontificem Maximum*. Duæ primæ initiales literæ binas præſeferunt imagunculas, quarum altera *Philelphum*, altera *Paullum* II. fortaſſe repræſentant.

Ad calcem Codicis pagella eſt Græce ſcripta, qua indicatur, Codicem ſcriptum fuiſſe in gratiam *Joannis Botti* a GABRIELO BREBIA ſub GALEATIO MARIA SFORTIA anno ejus dominationis quinto; interpretationem autem factam fuiſſe, abſolutamque a FRANCISCO PHILELPHO anno MCCCCLXVII. die XXII. *Septembris*. Pagella ab ipſomet GABRIELE ſcripta videtur.

CODEX DCXXXIII. *l.* VI. 7.

Chartaceus, cui folia 208. ſæculi XV. continet XENOPHONTIS *Cyropediam* ex interpretatione FRANCISCI PHILELPHI anno MCCCCLXVII. ut dicitur in fine.

CODEX DCXXXIV. *l.* VI. 8.

Membranaceus, conſtans foliis 356. ſæculi XV. elegantiſſimi characteris, & ſtemmate *Cardinalis a Ruvere* inſignitus, primam complectitur *Decadem hiſtoriarum* TITI LIVII.

CODEX DCXXXV. *l.* VI. 9.

Membranaceus, ſæculi XV. conſtat foliis 111. tres habentur in eo *Decades* TITI LIVII. In fronte libri pauca de TITI LIVII ætate, & patria præmittuntur: poſtea eſt inſcriptio, quæ *Patavii* hodieque in ſaxeo ejus tumulo legitur, de qua videre eſt, quæ notantur in *prolegomenis* editionis operum Titi Livii *ad uſum Delphini*.

CODEX DCXXXVI. *l.* VI. 10.

Membranaceus, cui folia 121. ſæculi XIV. optimæ lectionis, & ſingularis elegantiæ præſertim in literis initialibus, quæ puriſſimo ſplendent auro, primam continet *Decadem hiſtoriarum* TITI LIVII.

CODEX DCXXXVII. *l.* VI. 11.

Membranaceus, ſæculi XV. habet folia 269. in quo TITI LIVII *Decas prima*, venuſtiſſimo ſcripta charactere.

CODEX DCXXXVIII. *l.* VI. 15.

Membranaceus, conſtans foliis 250. ſæculi XV. ſtemmate ornatus *Cardinalis a Ruvere*, in quo *Decas quarta hiſtoriarum* TITI LIVII.

CODEX DCXXXIX. *l.* VI. 16.

Membranaceus, conſtans foliis 225. ſæculi XV. ſtemmate pariter inſignitus *Cardinalis a Ruvere*. Sunt in eo CÆSARIS *Commentarii*, & quæ cum iiſdem edi ſolent.

CODEX DCXL. *l.* VI. 17.

Chartaceus, conſtans foliis 80. ſæculi XV. eoſdem continet CÆSARIS *Commentarios*. Ab initio eſt Stemma *Pingonianum*, ſed rudi effictum Minerva.

CO-

Digitized by Google

CODEX DCXLI. *l.* VI 18.

Membranaceus, ſæculi XV. conſtat foliis 204. Iidem habentur Cæsaris *Commentarii*, quibus adiecta eſt hiſtoria Auli Hircii, ad hujus vero calcem hæc adnotata leguntur.

Explicit quod repertum eſt in lib. VI. commentariorum A. Hircii ſeu C. Oppii de bello civili Hiſpanienſi. Non erat amplius in vetuſtiſſimis Codicibus.

CODEX DCXLII. *l.* VI. 19.

Membranaceus, habens folia 254. ſæculi XV. eoſdem continet Cæsaris *Commentarios*, & quidem nitidiſſime ſcriptos.

In fine hi leguntur verſus.

Arx vetus horrendo terre concuſſa tremore
Corruit & nudo vertice collis erat.
Urbs cecidit ſevumque dedit miſeranda fragorem
Gentis & atrivit protinus hora ſue
Petrus at illuſtris clara de ſtirpe Guevare
Hoc opus ex yma ſurgere juſſit humo.
Hieronimus Fortis fecit
Petrus Guevara ſcripſit.

CODEX DCXLIII. *l.* VI. 22.

Membranaceus, cui folia 140. ſæculi XIV. ſequentes continet Plutarchi Vitas.

Fol. 1. Sertorii *vita* per *Leonardum Aretinum*, cum ejuſdem præfatione ad *Antonium Luſcum*.

Fol. 8. Paulli Aemilii per eundem *Leonardum*.

Fol. 17. Pyrrhi, prætermiſſo interpretis nomine.

Fol. 27. M. Antonii, ex interpretatione, & cum præloquio *Leonardi Aretini* ad *Coluccium Salutatum*.

Fol. 48. Pompeii per *Jocobum Angelum*.

Fol. 72. Marci Bruti per eundem *Jacobum Angelum*.

Fol. 86. Caii Marii
Fol. 100. Gracchorum
Fol. 109. Catonis
Fol. 126. M. T. Ciceronis
} omiſſo interpretis nomine.

CODEX DCXLIV. *l.* VI. 23.

Membranaceus, conſtans foliis 388. ſæculi XV. elegantiſſime ſcriptus, reliquas continet Plutarchi *parallelas vitas*, & pleraſque abſque interpretis nomine.

Fol. vero 40. Eſt Leonardi Aretini Præfatio ad *Antonium Luſcum* in *vitam Sertorii*.

Fol. 51. ejuſdem *Aretini* procœmium in *vitam Ciceronis* a ſe compilatam, ad *Nicolaum Nicoli*.

Fol. 79. Guarini *Veronenſis* procœmium in *vitam Philopoemenis* ad *Madium Veronenſem*.

Fol. 90. *Anonymi* præfatio in *vitam* Flaminii a ſe converſam, ad *Robertum*.

Fol. 116. Antonii Beccariæ ad *Petrum de Monte Venetum* in *vitam* Pelopidæ procœmium.

Fol. 133. Donati Acciajoli ad *Petrum Medicem* in *vitam* Demetrii præfatio.

Fol. 164. Leonardi *Aretini* ad *Coluccium Salutatum* in Marci Antonii *vitam* a ſe traductam procœmium.

Fol. 195. Alamanni Rinuccini ad *Petrum Medicem* in *Niciæ* & *Craſſi vitas* præfatio.

Fol. 241. Lapi Castelliunculi ad *Julianum Cæſarinum Cardinalem* in Arati *vitam* procœmium.

Fol. 277. Alamanni Rinuccini in *Agidis*, & *Cleomenis vitam* præfatio, ad *Petrum Medicem*.

Fol. 305. Tiberii, & Caii Gracchorum *vita* per *Leonardum Aretinum*.

Fol. 319. Pompeii *vita* per *Jacobum Angelum Florentinum*.

Fol. 352. Alamanni Rinuccini in *Ageſilai vitam*, ad *Laurentium Medicem*.

Fol. 374. additæ ſunt Virgilii, & Homeri vitæ ad earum imitationem, quas *Plutarchus* ſcripſiſſe fertur, quæque

Digitized by Google

que cum aliis ejus operibus perierunt. Desideratur autoris earum nomen.

Virgilii quidem vita ita incipit. *Virgilius Maro parentibus modicis fuit: & precipue Patre Marone. quem quidam opificem figulum: plures magis cujusdam viatoris initio mercenarium. mox ob industriam generum tradiderunt &c.*

Homeri vero: *Rem profecto pulchram sed laboriosam in primis atque difficilem a me petisti Joannes vir prestantissime. ut de vita Homeri omnium maximi excellentissimique Poete certi aliquid ad te perscriberem &c.*

CODEX DCXLV. *l.* VI. 24.

Membranaceus, sæculi XVI. constat foliis 476. Sunt & in eo PLUTARCHI *vitæ Parallellæ*, a variis interpretibus latinitate donatæ.

Fol. 1. LAPI CASTELLIUNCULI in *vitas Thesei & Romuli* proœmium, ad *Prosperum Columnam Cardinalem*.

Fol. 32. FRANCISCI BARBARI proœmium in *vitam Aristidis, & Catonis*, ad *Zachariam fratrem*.

Fol. 67. LEONARDI JUSTINIANI proœmium in *Cimonis*, & *Luculli vitas*, ad *Henricum Lusignanum Galliæ Principem*.

Fol. 106. Est *vita Solonis*, cui præmittitur epistola ad *Pontificem Max.* cujus nomen, æque ac interpretis, non indicatur.

Fol. 121. *vita* PUBLICOLÆ cum epistola ad *Pontificem*, omisso pariter & Pontificis, & interpretis nomine.

Fol. 245. GUARINI *Veronensis* in *vitas* LYSANDRI *Lacedæmonii*, & SYLLÆ proœmium ad *Leonardum Estensem Principem*.

Fol. 353. ejusdem GUARINI ad *Carolum Zenum* præfatio in THEMISTOCLIS vitam.

Fol. 367. OMNEBONI *Leonicensis* in Vitam CAMILLI a se in Latinum idioma conversam proœmium, ad *Principem Johannem de Gonzaga*. Fusius de hoc scriptore apud Albertum Fabricium in *Bibliotheca Med. & Inf. Lat.* Tomo V. pag. 483.

CODEX DCXLVI. *l.* VI. 25.

Membranaceus, habens folia 128. sæculi XIV. pigmentis multiplicis generis ornatus, in quo VALERII MAXIMI *factorum & dictorum memorabilium libri* priores decem.

CODEX DCXLVII. *l.* VI. 26.

Chartaceus, constans foliis 59. sæculi XV. in quo *Memoriale* RAYMUNDI TURCHI *Civis Astensis ex D. D. Montis Bersarii ad Rev. Dominum Abbatem SS. Apostolorum Conradum*.

Quanti faceret hoc *Memoriale* vir nusquam sine laude memorandus, Ludovicus Antonius Muratorius, facile quisque conjicere potest ex ingenti, quo ejus habendi flagrabat desiderio, ut illud *Scriptoribus Rerum Italicarum* insereret. Hæc enim habet Tom. XI. pag. 136. *Utinam vero hisce rerum Astensium Scriptoribus adjungere mihi licuisset Raymundum quoque Turchum, quem tradunt hujusce Civitatis historiam literis consignasse sæculo XII. atque adeo ante Alferium, & ambos Venturas floruisse. Istius lucubrationes, si quæ supererent, ut mihi inveniret, nihil intentatum reliquit eruditissimus, & meliorum literarum cultor egregius Franciscus Aguirre. Sed ejus conatibus, meisque votis fortuna minime arridens unum nobis libri fortasse nunquam recuperandi desiderium reliquit.*

Huic viri eruditissimi desiderio facere satis nobis tandem datum est, summo, singularique *Comitis S. Martini Alferii* beneficio, qui ipsummet Raymundi MS. volumen nobis humanissime tradidit, ut exscriptum exemplar reliquis MSS. Regiis Codicibus adjungeremus.

Memo-

Digitized by Google

Memoriale Raymundi Turchi Civis Aſtenſis ex D. D. Montis Berſarii Ad Rev. Dominum Abbatem SS. Apoſtolorum Conradum.

REM! difficilem profecto a me exigis Venerabilis Pater Conrade: ut ſcilicet hiſtoriam conſcribam de hac noſtra Civitate Aſtenſi. Licet enim verum ſit quod ex quo a publicis curis me ſubſtraxi delectatus ſim notitia rerum antiquarum ipſius Civitatis & de ipſius diverſis aetatibus diverſi aliquot Memorialia nobis reliquerint, aliqua tamen ſunt, ob quae hoc onus veteor ſubire. Nam primum optime novi in me non eſſe eam eloquentiam, & ſcribendi peritiam, quae ad bene componendam hiſtoriam requiritur. Deinde hoc per modum Annalium facere non poſſum, quia in eiſdem Memorialibus minime notatum reperio quo tempore res quae in eis continentur, evenerint: niſi ubi aliquando de Romanorum Conſulibus, vel Imperatoribus fit mentio. Imo nec quo tempore vixerint illorum authores, exprimitur. Denique quia in iiſdem Memorialibus plura continentur, quae neſcio an pro veris tradere poſſim. Et praecipue quia illa relata non ſint neque in libro Catenato noſtri Archivii, neque in Memoriali Jacobi Caſae, qui primam partem ſui Memorialis (hoc eſt uſque ad inſtaurationem noſtrae Civitatis factam a Pompejo Magno) compoſuit ex repertis in memorabilibus antiquorum Authorum, hoc eſt, ut ipſe dicit, Fabii Reſtae, Odenati Farinae, & Mutii Glandis. Quia tamen nec tuis precibus, quas ego pro praeceptis habere debeo maxime cum ſciam, quod non intendis exigere a me niſi quod praeſtare valeo, nec Civium importunitati reſiſtere poſſum, non quidem hiſtoriae ſtylo ſed per modum Memorialis utriſque ſatisfacere curabo. Sicque primum referam notabiliora, quae in praedicto libro Catenato, & in Memoriali ejuſdem Jacobi Caſae continentur, citando in ſingulis Authores, a quibus hic ſe ea accepiſſe dicit. Deinde ſubjiciam ea, quae in Memoriali Thomae Auriculae digniora relatu mihi videntur. Et denique tradam illa, quae ego ipſe collegi ex libro Catenato, & ex aliis ſcripturis, & quae noſtris temporibus evenerunt. Et quoniam a fundatione ipſius met Civitatis, & ab ejus nomine incipiendum videtur, primum de utroque hic agemus; referentes ea, quae de his aliqui dixerunt: tibi ſubdendo quidquid veritate ſic dicerem, & crederem.

De fundatione Civitatis Aſtae.

Multae ſeu variae fuerunt opiniones circa ipſius urbis Aſtenſis fundatorem. Nam alii dixerunt ejus fundatorem fuiſſe Belloveſum, alii Brennum, & ideo ipſam aliquando fuiſſe dictam Brenniam: alii denique Magnum Pompejum, ſed noſtri authores, hoc eſt ſcriptores praedictorum Memorialium, omnes dicunt: fundatorem ipſius fuiſſe Gomer filium Japhet quia cum hic Japhet ad Europam populandam veniſſet, & filiis ſuis ac nepotibus diverſas provincias ad habitandum aſſignaret, Gomer in has regiones veniens, cum pervenit ad locum, ubi nunc eſt haec Civitas ipſam aedificare cepit. & cum ad alias partes ire etiam vellet hanc regionem cum ipſa Civitate tradidit cuidam ſuo nepoti, qui Tana vocabatur; a quo proinde fluvius per eam diſcurrens Tanarus, & ipſius regionis Populi Tanarei, & Urbs ipſa Tanarea tunc fuit appellata. De cujus opinionis veritate nos dubitare non permittit lapis ille, qui exſtat in ſummitate arcus, quem noſtri antiqui Cives erexerunt in honorem Pompeji revertentis ex Hiſpania in introitu Pontis Burburis, ſi attendantur verba ipſo in lapide ſcripta, quae ſunt iſta,

GN. POMP. M. XXII. REGIO. SOBACT.
ASTAM. A. GOMER. CONDIT. A.
GALL. DEIROT. RESTAU. POB.
LÆ. PP.

Quorum verborum ſenſus eſt.

Gneo Pompejo, qui XXII. Regionibus Imperio Romano ſubjugatis Aſtam a Gomer conditam, a Gallis dirutam reſtauravit, Aſtenſes publicae laetitiae cauſa poſuerunt.

Quod autem hanc opinionem non tantum noſtri Cives, ſed etiam alii habuerunt, manifeſte apparet ex verbis, quae ſcripta leguntur in illo magno lapide, qui poſitus eſt a latere dextero portae majoris Eccleſiae Civitatis

Digitized by Google

tatis Pollentiae a parte interiori. Quae verba ego Raymundus cum eſſem obſes pro noſtra Civitate Aſtenſi in Pollentia, anno 1050. ſępius legi, & tranſcripſi, & mecum detuli, & ſunt iſta.

D. O. M.
Petro Et Matthaeo Fratribus
De Novellis
Quod Aſtenſes Et Alios Pollentii
Civitatis Hoſtes Profligaverint.
Patriae Libertatem Servaverint.
Oram Omnem Quae Tanae A Gomer
Tradita fuerat. Reipublicae Subjecerint.
Tandem A Longobardis. Sub Rotario Rege
Dum Strenue Pugnarent Caeſis.
Pollen. Cives Grati Animi Ergo PP.
III. Kal. Ap. Anno DCXLII.

Immo quod etiam in remotioribus partibus Italiae haec haberetur opinio poteſt cognoſci ex inſcriptione, quam Valarandus Troja attulit ex oppido Ericii, dicens ſe eam accepiſſe ex lapide, qui eſt prope Eccleſiam ipſius Oppidi, & eſt talis.

Durnaſio Tanareorum Praetori
Viro Integerr. Ob Pacem Inter Ligures
Et Tuſcos De Finibus Contendentes
Compoſitam Terminis Ad Macram Poſitis
Ligur. Reſp. Memoriae. Ergo. P.

Et ego credo, quod etiamſi his lapidibus non praeberetur opinio, deberet ſufficere ad ejus confirmationem id quod manifeſtum eſt eveniſſe in aliis regionibus: hoc eſt quod flumina, regiones, & urbes a Ducibus Gentium, quae illas habitare cœperunt, denominata fuerint.

De nomine quo nunc vocatur Civitas Aſtenſis.

Circa rationem propter quam haec Civitas cum Tanarea diceretur, fuerit Aſta vocata, non ſolum alii Authores, ſed etiam noſtri inter ſe diſſentiunt. Nam Authores externi putarunt eam fuiſſe dictam Aſtam eo quod, ut ſuo loco dicetur, Magnus Pompejus in ejus platea plantans haſtam ſuam dixerit: Haec erit Haſta mea. Et ideo ſcribunt ipſum nomen cum H. Sed in hoc decipiuntur, nam multo ante haec Civitas Aſta vocabatur: & alii Authores Latini, qui ipſius mentionem faciunt, ſcribunt ejus nomen ſine H. Ex noſtris autem Civibus fuerunt quidam, qui dixerunt fuiſſe eam vocatam Haſtam ab Haſta cujuſdam Pallantis, quem faciunt fundatorem Pollentiae, remque ita narrant. Cum Tanareorum populatio, cujus caput haec Civitas erat ſe extenderet non modo ad totam Liguriam, quae eſt intra Tanarum, & Apenninum (quam nos nunc Langam vocamus) ſed etiam uſque ad Alpes, tam citra quam ultra Sturiam, ex Arcadia venit quidam Dux nomine Pallans cum maxima multitudine Arcadum, & totam illam regionem, quae eſt inter Alpes & locum ubi Sturia intrat in Tanarum occupavit, & prope eundem locum ędificavit Civitatem; quam de nomine ſuo Pallantiam vocavit. Et ut Tanaro reſiſtere poſſet, & dominium praefatae regionis retinere, eam quanto magis potuit munivit. Ipſo autem mortuo, Pallantini ipſius arma, & haſtam prędipue quae erat inuſitatae magnitudinis, tamquam res ſacras aſſervarunt & venerari cœperunt: quia reſponſum ab Oraculo habuerant: quod tamdiu ipſa Civitas dominium illius regionis eſſet retentura, quamdiu ipſa haſta in ipſa Civitate ſervaretur. Cum igitur Tanarei ob praedictae regionis occupationem fere ſemper in bello eſſent cum Pallantinis, tandem ipſam Urbem Pallantiam expugnarunt & diripuerunt & inter alia quae praedati ſunt abſtulerunt dictam ſanctam, ſeu haſtam Pallantis, & in ſuam Urbem portaverunt: & eam tamquam tropheum ſuſpenderunt in muro palatii communis, & in tantae victoriae memoriam ſuam Civitatem non ultra Tanaream, ſed Haſtam vocare ſtatuerunt: & Pallantinorum urbs non amplius Pallantia, ſed Pollentia dicta fuit. Ac etiam propterea Civitas Pollentiae pluries bellum movit Aſtenſibus, ut praedictam haſtam recuperaret. Quae opinio a quibuſdam noviter vulgata noſtris Civibus propter aemulationem, quae erat inter ipſos & Pollentinos, ita communiter placuit, ut illam aliquibus inſcriptionibus confirmare voluerint. Nam in muro palatii communis poſuerunt lapidem illum, qui ad hanc opinionem alludit his verſibus.

Olim habuit nomen Popolus de nomine Tani.
Tanus enim primus terram hanc cultoribus auxit.
Dicitur Haſta modo. Nam cum ſibi ceſſerit haſta

Digitized by Google

Pallantis: nigrique ferax Pollentia villi,
Novum adepta nomen eſt Urbs. Sic nomine Tani
Tanarus ipſe ſolus gaudet nunc nomine priſco,
Cumque haſta perdit primum Pollentia robur.

Praeterea ſuper portam arcus nuper poſuerunt alium lapidem cum inſcriptione hanc opinionem tangente, & ideo hanc Civitatem, Vendicem appellatam dicente: quam Comitiſſa Alaxia frangi fecit, ut ſuo loco dicemus. Pro certo autem ego habendum credo, quod haec opinio omnino vana, & fide indigna ſit. Nam primo nullibi legitur, quod in has regiones venerit Pallans cum ſuis Arcadibus ad habitandum. Deinde apud antiquos authores Latinos nomen Aſta ſine H. ſcriptum legitur. Denique certo conſtat ipſam Urbem Pollentiæ fuiſſe a Romanis aedificatam: ac eorum Coloniam factam, ut noſtri met authores referunt, Nempe quod Romani conſiderantes quam opportunus eſſet ille locus, ſi ibi Civitas, & eorum Colonia fieret ad impediendum, ne Galli ex ultramontanis partibus per alpes eidem proximas in Italiam deſcenderent: & ne Ligures in earum vallibus, & in media planitie habitantes, ſe jungerent aliis Liguribus magis poſitis intra Italiam, quando ipſi Romani bellum iſtis movebant, ipſam Pollentiam ibidem aedificaverunt, ut ſuo loco referemus ex Jacobi Caſae, ſeu Mutii Glandis memoriali. Quorum dictum confirmant reliquiæ amphitheatri ſepulcrorum, & aliorum aedificiorum more Romanorum ibidem conſtructorum, etiam nunc exiſtentes. Cauſa vero perpetuae inimicitiae & frequentiae bellorum inter utramque Civitatem, vere illa primum fuit, quod Romani illam regionem, quae ad Tanaream antea pertinebat, Pollentinis tradidiſſent; ſed proceſſu temporis haec cauſa ceſſavit. Nam cum Aſtenſes Romanorum imperio aquieviſſent, inventum fuit, ipſorum Romanorum authoritate, ut Guarena, in qua ipſi Romani tenebant aliud praeſidium, eſſet tamquam terminus inter fines utriuſque Civitatis. Verumtamen cum deinde a Gothis Guarena deſtructa fuiſſet Pollentini credentes, quod Romanorum Imperatores magis ſibi favebant, quia omnes erant a Romanis civibus orti, & quod Aſtenſes frequenter a Gothis erant magis male tractati, cœperunt occupare loca poſita intra ipſam Guarenam, & Aſtam. Eſt ſic antiquam inimicitiam, & bella renovaverunt.

Hac igitur opinione omnino rejecta dicimus: pro veriſſima eſſe tenendam eam, quam noſtri ſcriptores tradunt dicentes: quod cum quidam Dux Graecus (quem ipſi putant fuiſſe Ligurem, a quo uti dicitur pars Italiae, quae eſt citra Padum intra Alpes & Tuſciam, fuit Liguria appellata) in ipſam veniſſet, & ipſius habitatoribus, ſeu antiquis incolis literas, & varias artes doceret, libenter ab eis exceptus & bene tractatus fuit. Cumque Tanaream perveniſſet, & vidiſſet, quod propter commoditatem ſitus ex oppidis, & villis circumſtantis Regionis tamquam ad ſuum caput omnes concurrerent, judicavit quod mereretur Aſta dici: juxta ſuorum Graecorum morem, qui hoc nomine appellant Urbes, quae ſunt velut caput aliarum, ſeu ſaltem circumſtantium oppidorum, vel vicinę Regionis. Dicunt enim quod haec vox Aſty, ſeu more Latino Aſta, idem quod Urbs apud eos ſignificat. Quae ſententia cum Civibus placuiſſet, ſuam Civitatem impoſterum non amplius Tanaream, ſed Aſtam vocaverunt, quam opinionem videntur comprobare omnes Authores Latini, qui ipſum nomen Aſta ſine aſpiratione ſcribunt.

Notabiliora de Rebus Aſtenſibus ex Memoriali Jacobi Caſae collecta. Quomodo Civitas Aſtenſis fuit capta a Belloveſo.

CAPUT I.

CUm quidam Princeps Celtarum dictus Belloveſus, cum immemorabili exercitu equitum & peditum deſcendiſſet in Italiam, & totam Regionem poſitam ſub alpibus occupaſſet; contra Aſtam deinde venit, & cum per deditionem illam cepiſſet, volebat illam ſpoliare: ſed captus amore cujuſdam pulcherrimae mulieris, quę Æliana vocabatur, & illius precibus delinitus non modo non ſpoliavit Civitatem, ſed ſuis militibus prohibuit, ne civibus aliquod damnum facerent, & pacifice diſcedens ultra profectus eſt. In cujus rei memoriam Aſtenſes erexerunt Lapidem in platea cum hac inſcriptione.

Ælenae Ælianae Mulieri Pulchritudine Formae Veneri. Et Prudentia. Et aliis Virtutibus Palladi Comparandae.

Ob

Digitized by Google

Ob Civitatem A Belloveſi Furore Et Direptione Servatam Aſtenſes Cives Optimae Civi PP.

Qui lapis deinde poſitus fuit in columna de lateribus in Burgo Manfreoni ubi adhuc manet.

Ex Fabio Reſta.

De Adventu Brenni in Aſtam.

CAPUT II.

BRennus Gallorum Dux cum ingenti Gallorum exercitu in Italiam deſcendens omnia loca poſita ſub Alpibus occupavit. Deinde venit in Civitatem Aſtae, quae ſe illi dedit, cum non poſſet illius potentiae reſiſtere. Ipſe autem cum in ea inveniſſet vina multo meliora, quam unquam bibiſſet, & ficus, & pepones, & alios fructus, quos antea non viderat: ac illi placeret amœnitas ſitus a duobus fluminibus irrigati, & a collibus cincti, & civium humanitas, ſtatuit in ea habitare, & aedificavit in colle ipſi imminenti caſtrum etiam nunc Brenni dictum volens ut ipſa Civitas Brennia vocaretur: & accepit in uxorem filiam cujuſdam Arati Sacerdotis Martis, quae Sclavina vocabatur; & in illius gratiam aedificavit unam pulcram villam in colle viciniori ultra Tanarum; unde ipſe collis dictus fuit, & nunc etiam dicitur Rocca Sclavina. Sed cum deinde deſiderio majoris dominii Brennus ultra progreſſus fuiſſet, & poſt captas plures Civitates eum Romani viciſſent; Galli qui Aſtae remanſerunt timentes ne ab Italis opprimerentur, quaecumque potuerunt praedati ſunt; & etiam multos cives alioſque homines captivos facientes ex ea diſceſſerunt. Unde Civitas non amplius fuit vocata Brennia, uti fieri cœperat. Quidam tamen Gallus nomine Leyr in favorem civium ita ſe geſſit, ut cum Aſtae manere voluiſſet, Civis Aſtenſis factus fuit & in ejus honorem fuit erectus lapis cum hac inſcriptione.

Leyr Gallo Viro Fortitudine Et Animi Et Corporis Inſigni Ob Egregia Facta Civitate Donato. Vita Functo Civitas Aſtenſis Et Nati PP.

Ex Fabio Reſta.

Hunc lapidem ego Raymundus habeo in domo mea ſubter Caſtrum.

De familiis Latinis, quae venerunt ad habitandum in Aſta.

CAPUT III.

CUm inter Romanos, & Latinos fuiſſet magnum & longum bellum, in diverſis pugnis Latini ita fuerunt afflicti a Romanis, ut ſub horum dominio illi coacti fuerint permanere. Quam rem cum multi Latini, qui magis Romanos odio habebant, non poſſent tolerare, venditis bonis ſuis, iverunt ad habitandum in aliis regionibus; inter quos aliqui venerunt ad habitandum in Aſta, & ab Aſtenſibus fuerunt cum honore accepti & benigne tractati. Ex quibus plures familiae nobiles originem habuerunt. Videlicet illi de Latinis, de Comentina, de Cathena, de Serra, & de Chriſta.

Ex Odenato Farina.

De Societate Romanorum cum Aſtenſibus & deinde cum Carthaginenſibus.

CAPUT IV.

CUM Carthaginenſes miſiſſent Amilcarem eorum exercitus ductorem in Hiſpaniam, Marcus Regulus, & Lucius Manlius Conſules cum ſuo exercitu in Hiſpanias euntes, venerunt in Aſtam, & fecerunt ſocietatem cum Aſtenſibus, & ex eis auxerunt ſuum exercitum. Sed cum victores in Hiſpania extitiſſent, & in reditu tranſirent per hanc Civitatem, & ejus fines, Romani milites contra pacta ſocietatis multa mala in his fecerunt, propter quae rupta fuit ſocietas.

Ex Odenato Farina.

De confœderatione Aſtenſium cum Carthaginenſibus.

CAPUT V.

CUm Annibal Dux Carthaginenſium in Hiſpania ſtatuiſſet in Italiam venire contra Romanos, dum ipſe obſideret Saguntum, ut Italiæ Civitates a Romanorum foedere, ſeu amicitia alienaret, plures ſuos nuncios ſecreto miſit ad diverſas Civitates, & praeſertim ad Ligures, & in Aſtam venit quidam ex praecipuis Carthaginenſibus appellatus Hanno, qui non ſolum procuravit ut Aſtenſes cum Carthaginenſibus foedus inirent, ſed ut in eo foedere illos firmius retineret,

Digitized by Google

petiit inter Cives Aſtenſes deſcribi, & hoc obtento aedificavit caſtrum quod etiam hodie Hannonis caſtrum dicitur in colle non multum a Civitate diſtante, & proximo fluvio Tanaro verſus Orientem: & Aſtæ domicilium ſuum ſtatuit.

Ex Odenato Farina.

De foedere cum Carthaginenſibus rupto, & interim cum Romanis facto.

CAPUT VI.

ANnibal volens perducere ad effectum animum, quem habebat invadendi Romanos in Italia, cum multitudine innumerabili equitum, & peditum, & cum multis elephantis per Gallias tranſeundo, & ſuperatis Alpibus, ut notum eſt, cum multo labore, venit Taurinum, & illud obſedit, & per vim cepit. Cum per ſolicitationem Hannonis Aſtenſes juxta confoederationem duo millia militum illi in auxilium miſiſſent, qui etiam cum illo ultra profecti, reperti ſunt in pugnis, quas habuit cum Romanis tam ultra, quam citra Padum: ubi Romani ſemper rupti & profligati fuerunt. Sed cum ipſe Annibal poſt victoriam apud Trebiam de Romanis obtentam milites ſuos ad hibernandum in vicina loca, & ſuorum confoederatorum miſiſſet, quidam ex ipſius Ducibus dictus etiam Hanno multis damnis, & injuriis affecit Aſtenſes, qui etiam extra Civitatem in ſuis villis manebant; ac ceteros earundem villarum, & territorii habitatores, non ſolum contra pacta, ſed etiam contra humanitatem. Nam quoſdam etiam ex praecipuis civibus captivos fecit; & ut ab eis pecunias extorqueret, excruciavit ita, ut aliqui exinde mortui ſint. Et licet Annibal ut Aſtenſibus ſatisfaceret, capite feciſſet plectere ipſum Hannonem apud Claſtidium, ablata tamen ab eo, & ab aliis non fuerunt reſtituta. Unde cum filii ipſius Hannonis ut ad ſuos redirent, per fines Aſtenſium tranſirent; filii ac propinqui illorum, qui mortui fuerant, illos & ſpoliaverunt, & variis injuriis affecerunt. Et Aſtenſes ſecreto coeperunt tractare de renovando cum Romanis foedere; & ne Hanno, ſeu alii Ligures, qui Carthaginenſibus ſe confoederaverunt, de hoc ſuſpicarent, eos qui filios Hannonis male tractaverant, miſerunt in exilium illis ſecreto committendo, ut cum Romanis de nova confoederatione tractarent; & cum illa concluſa fuiſſet, & Annibal ultra Apenninum fuiſſet profectus, ſuos Oratores ad eam confirmandam Romam miſerunt; ac etiam militum ſubſidia ſub Marco Aziano, qui maxime Aſtenſes hortatus fuerat ad renovandam Romanorum amicitiam. Quia cum Hanno poſt pugnam factam apud Trebiam captus a Romanis fuiſſet, benigne ab illis tractatus fuerat, ac ſine pretio dimiſſus.

Ex Odenato Farina.

De damnis, quae fecit Amilcar Carthaginenſis Civitati Aſtenſi.

CAPUT VII.

EO tempore quo Romani contra Philippum Regem Macedoniae bellum gerebant, quidam Dux Carthaginenſium nomine Amilcar venit in Italiam, & cum illo ſe adjunxiſſent Ligures, & alii, qui cum Annibale ſocietatem fecerant, multa damna intulit Civitatibus, quae Romanis favebant, & praecipue Civitati Aſtenſi. Quam cum nemo illi auxilium ferret, expugnavit, & ferro vaſtavit. Sed cum paulo poſt Romanorum exercitus apud Cremonam contra eum pugnaſſet, & ipſo occiſo illius exercitum penitus profligaſſet, Civitas Aſtenſis reaedificari, & favore Romanorum quaſi reviviſcere, ac reflorere coepit.

Ex Odenato Farina.

Quomodo Aſtenſes coacti fuerunt manere ſub dominio S. P. Q. R.

CAPUT VIII.

POſtquam Romani ſubjugarunt Carthaginenſes, ac alios extra Italiam, cum quibus conſequenter bella habuerunt, & ſoli Ligures in Italia illis non parerent, iſtis etiam bellum intulerunt. Primo quidem ex praetextu, quod Annibali ſe confoederaſſent, & auxilia praebuiſſent, ſed revera ut illos etiam ſubjugarent, & toti Italiae libere dominarentur. Quod videntes Aſtenſes, ut ſuam libertatem conſervarent relicta Romanorum amicitia ſe ſe aliis Liguribus unierunt, & illis reſiſtere coeperunt. Quod tamen faciebant cum magno ſuo damno. Nam cum eorum Civitas ſola eſſet

Digitized by Google

eſſet inter Apenninum, & Padum, quae Romanis non eſſet ſubjecta, & ſit poſita in loco, ad quem libere Romani accedere poterant, quoties Romani Ligurum exercitum profligabant, iſtis ad colles, & montes ultra Tanarum, & ad ipſum Apenninum confugientibus, ipſa ſola relicta, a Romanis erat capta, vel certe multum afflicta. Unde cum demum M. Æmilius contra Aſtam veniſſet, & plures ex civibus captos humaniter tractaſſet excuſans eos, quod non pro Romanorum odio, ſed pro tuenda re tam naturali, ac eſt libertas, ab eorum amicitia receſſiſſent, & promitteret, quod ſi vellent quiete remanere ſub Romanorum Imperio, ab eis fuiſſent habiti tamquam ipſorum Cives, & reciperent diverſos favores, & commoda, Aſtenſes eo facilius illi aſſenſum praebuerunt, quod deſperabant ſe poſſe auxilio aliquorum Ligurum ſuam libertatem ultra conſervare. Nam Romani ad reprimendos Gallos, qui per Alpes, quae ſunt intra Padum, & Apenninum, in Italiam deſcendebant, & ad impediendum ne Ligures habitantes in illis Vallibus, & in vicina planitie auxilium ferrent Liguribus magis intra Italiam poſitis, & praecipue Aſtenſibus, ubi Sturia intrat in Tanarum, unam ſuam Coloniam aedificaverant, quam merito Pollentiam nominarant. Nam non ſolum omni genere munitionum eam fortificaverunt, ſed ut poſſet quantumvis longę obſidioni reſiſtere fecerunt ſubterraneum conductum aquae acceptae ex flumine Sturiae, per quem poſſent victualia in ipſam Urbem occulte portari, & in vicino colle puteum, ex cujus fundo per alium conductum mitti nuntii ſecreto ad obſeſſos. Idem praeterea M. Æmilius ad continendam Aſtenſem Civitatem, & ei circumſtantes populos in obedientia Romanorum, & impediendum, ne ea parte Apennini ſuccurri poſſet; in oppido poſito inter utrumque aedificavit fortiſſimum caſtrum, in quo poſuit pro praeſidio cohortem Romanorum. Unde oppidum ipſum dictum fuit Cohors Æmilia, & diverſi alii Duces Romani exercitus idem fecerunt in locis prope eam citra Tanarum poſitis. Unde ipſa Caſtra denominata ſunt a Praefectis, ſeu Capitaneis Cohortium, qui ibi praeſidium ex ſuis Cohortibus ſtatuerunt. Sicque Aſtenſes coacti fuerunt manere ſub Imperio Romanorum, & ipſorum municipium ex eo tempore facti ſunt.

Ex Odenato Farina.

De Cimbris a C. Mario auxilio Aſtenſium, & Pollentinorum deletis.

CAPUT IX.

CUm Cimbrorum gens in Italiam deſcendiſſet, & regionem poſitam ſub Alpibus ultra Padum depopularet C. Marius, cui Romani curam illius belli commiſerant, etſi haberet ſatis numeroſum & fortem exercitum, conſiderans tamen barbarorum illorum multitudinem, & deſperationem, miſit nuncios ad Aſtenſes, & ad Pollentinos petens, ut quam primum mitterent ſibi quantum majus auxilium poſſent: illis repraeſentans quod ſi Cimbri viciſſent, ipſos etiam Aſtenſes, & Pollentinos eſſent invaſuri; ac eos & omnes alios antiquos habitatores Regionis exterminaturi: cum in Italiam deſcendiſſent cum filiis, ac mulieribus ſuis, ut occiſis habitatoribus in ea habitarent. Ad quod nuncium Aſtenſes, & Pollentini idipſum ſignificarunt Liguribus aliis, tam verſus Alpes, quam verſus Apenninum habitantibus, qui omnes cum maxima alacritate confeſtim Aſtam, & Pollentiam ſe contulerunt. Unde tam ex civibus utriuſque Civitatis, quam ex aliis magnus exercitus congregatus eſt, qui ultra Padum profectus, C. Marii exercitui ſe junxit, & in pugna tanto ardore, ac perſeverantia hoſtes invaſit, ut ipſe C. Marius in oratione laudatoria dixerit eam victoriam auxilio, & virtute Aſtenſium, & Pollentinorum fuiſſe obtentam. Unde etiam communiter creditum fuit, quod in finibus harum duarum Civitatum Cimbrorum gens fuerit totaliter trucidata.

Mutius Glans.

Quomodo Civitas Aſtenſis fuit a Gallis diruta.

CAPUT X.

CUm Romani decreviſſent coercere Gallos, qui ex Alpibus loca vicina frequenter infeſtabant, C. Marius Conſul contra illos proficiſcens tranſivit per Aſtam, & ex Aſtenſibus exercitum ſuum ſupplevit. Sicque ultra profectus cum eiſdem Gallis primum in planitie ſub Alpibus poſita, & deinde intra ipſas Alpes

Digitized by Google

pes aliquoties pugnavit, & eos vicit, ac fugavit. Et quia Aſtenſes inter ceteros ſe egregie geſſerant, proinde à Romanis quidem multum honoris, ſed a Gallis extrema damna acceperunt. Nam cum paulo poſt Romani propter factiones Sillae, & Marii inter ſe pugnarent, Galli quantum majores potuerunt militum copias congregantes, venerunt contra Aſtam; & ejus territorio toto vaſtato, ac depopulato Civitatem obſederunt, & poſt longam obſidionem nemine opem ferente eam expugnarunt, & quotquot potuerunt reperire ex civibus occiderunt, vel captivos duxerunt, & igni ac ferro aedificia omnia deſtruxerunt.

Ex Mutio Glande.

Quomodo Civitas Aſtenſis inſtaurata fuerit a Magno Pompejo.

CAPUT XI.

GN. Pompejus cum in Hiſpania multa bella feliciter geſſiſſet, & viginti duas regiones Imperio Romano ſubjugaſſet, & rediens Romam perveniſſet Aſtam, videns eam omnino deſtructam, & fere deſolatam, conſideransque quod hoc illi evenerat ſuorum Romanorum cauſſa, & ſperans quod ipſius ſtudioſa eſſet futura, decrevit illam ita inſtaurare, ut melius poſſet reſiſtere Barbaris, qui ex Alpibus in Italiam deſcendebant, cum poſt Pollentiam illam primum citra Padum eſſent reperturi. Et fama eſt quod plantavit in platea ipſius Urbis ſuam lanceam; ſeu haſtam; & alludendo ad nomen ejus, dixerit: hic haſtam meam planto: haec erit haſta mea. Ex quo aliqui putarunt quod ipſe fuerit hujus Civitatis aedificator. Ipſe autem Pompejus cum illi Romam eundum eſſet, curam inſtaurandi, & fortificandi hanc Urbem commiſit tribus fratribus ex familia Varronum, qui inter cetera, ut Aſtę permaneret eorum memoria, aedificarunt Caſtrum ſuper januam poſitam verſus Alpes, & in ipſo eorum ſinguli Turrim. Unde Caſtrum ipſum dictum fuit Caſtrum Varronum, ac etiam Turres Varronum. Aſtenſes autem in grati animi demonſtrationem, ac rei memoriam in ingreſſu pontis Burburis erexerunt arcum, & in illius ſummitate poſuerunt illum lapidem cum iſta inſcriptione.

GN. Pomp. M. XXII. Regie.
Sobact. Aſtam. A. Gomer.
Condit. A. Gallis. Deirot.
Reſtau. Pob. Laet. PP.

Et Pompejus ut Romam pervenit, plenum, ſeu totale jus Civitatis Romanae ſuis Aſtenſibus impetravit, & ipſi deinde ſecundum leges, & mores Romanorum ſe gubernarunt. Unde ab ipſo inſtauratore eadem Civitas Aſta Pompeja deinde fuit appellata, & pro ſuo inſigni Haſtam habuit.

Ex Mutio Glande.

De Beneficiis Aſtenſibus factis a C. Julio Caeſare.

CAPUT XII.

SIcut Pompejus Magnus Aſtenſem Civitatem inſtauravit, ita etiam alii Romani Conſules, ſeu Proconſules, & Imperatores illius ſecuritatem, & utilitatem procurarunt, tam ob ipſorum civium fidelitatem, ac promptitudinem, quam quia videbant hujus Urbis ſecuritatem, & augmentum maximi momenti fore pro defenſione, & conſervatione Italiae, & illorum Imperii contra Barbaros ob Alpium vicinitatem. Et inter alios Julius Caeſar cum eſſet Proconſul Galliarum viam Aemiliam ab ipſa Urbe uſque ad Alpes extendi, & ſterni curavit. Praeterea conſtrui fecit in ea palatium Praetorianum, & apud illud Turrim, quae propterea Turris Caeſarea dicta fuit. Unde in harum rerum memoriam cuſa fuerunt quaedam Numiſmata, quorum unum ab una parte habebat ipſius effigiem, cum his litteris circa eam: Caeſar Imperator; & ab alia lanceam Aſtenſis Civitatis inſigne, cum his verbis: Caeſaris fortitudo. In alio numiſmate ab una parte erat ipſius etiam effigies, & ab alia Turris, cum his verbis: Alta proſpicere, & humilia non deſpicere. Et in ipſa Turri fuit etiam poſitum marmor cum hac inſcriptione.

C. Jul. Caeſ. C. F.
De Galleis. Et. Allobrogibus.
Triumphatori.
Aſtenſ. Benefactori Pio. Invicto. Divo.
Aſtenſ. Civ. Laet. Et. Grati Animi Ergo PP.
L. D. D. D.

Idem praeterea Caeſar quando victo Pompejo Rempublicam gubernabat, fieri fecit pontem

ex

Digitized by Google

ex lateribus marmoribus ornatum ſuper fluvium Tanari ante moenia ipſius Civitatis ; cum antea eſſet tantum pons ligneus , qui ſaepe ipſo fluvio creſcente dejiciebatur . In cujus beneficii memoriam Aſtenſes poſuerunt lapidem in palatio Praetoriano cum hac inſcriptione .

C. Jul. Caeſ. Domitor. Galliarum.
Dictatori. Perpetuo. Triumphatori.
S. P. Q. Aſt. Laet. ergo.
L. D. D. D.

Et factum fuit tertium numiſma cum effigie ipſius ab uno latere cum his verbis : Caeſar Dictator perpetuus ; & ab alio fluvius , ac ſub eo haec verba : Pub. Commodit. Aſten. Civit. Ex quibus tribus numiſmatibus , ego Raymundus Rubeo habeo aliquot , & etiam unum numiſma in honorem M. Antonii cuſum , ob plura beneficia per Lucium ab eo miſſum Aſtenſibus facta , cum hac inſcriptione ex una parte circa ipſius marginem ..... & ex alia haſta medio poſita , & circa eam haec verba : Animo magis quam armis .

De bello inter Aſtenſes , & Cottium Regem.
CAPUT XIII.

COttius Rex qui in Alpibus habebat ſuum Regnum , ex illis egreſſus Taurinum , Caream , pluresque alias Civitates ſibi ſubjugarat . Et cum etiam Albam cepiſſet , voluit etiam Aſtam aquirere . Sed cum Aſtenſibus bellum intuliſſet , & multa etiam mala in eorum diſtrictu feciſſet , & aliquot ex eorum Caſtris etiam occupaſſet , Aſtenſes congregato ex ſuis , & ex vicinis Liguribus exercitu contra illum iverunt , & cum aliquoties vario eventu cum eo pugnaſſent , tandem prope Podium Varinum , in loco ubi erant tunc magnae paludes Aſtenſes , de eo victoriam obtinuerunt , ac illum fugarunt ; ita ut coactus fuerit Caream petere , & ibi ſe munire . Qua clade accepta pacem cum Aſtenſibus fecit , quae vita ejus durante ſervata fuit .

De Octaviani Auguſti erga Aſtenſes beneficiis.
CAPUT XIV.

OCtavianus Auguſtus fuit vir prudens , & virtutis amator , & populis Imperio ſuo ſuppoſitis multa bona fecit , & nominatim Aſtenſibus , quia in bello , quod habuit cum M. Antonio , cum toto poſſe adjuvarunt . Et ideo conceſſit illis multa privilegia , & praeſertim iſta , quae ego inter antiquas ſcripturas Archivii legi , & ab his accepi qui ante me ſcripſerunt memorialia ; ideſt confirmatio pleni juris Civitatis Romanae a Pompejo Aſtenſibus obtenti , remiſſio , ſeu exemptio a Lege Agraria ; ita ut illorum agri nulli militum poſſent concedi ; facultas conſtruendi Caſtra fortia in ſuis villis . Et ego Raymundus habeo numiſma aureum , in quo ex uno latere eſt caput ipſius Auguſti Imperatoris , cum hac inſcriptione : Octav. Aug. Caeſ. Ital. & in alio latere lancea , ſive haſta (antiquum inſigne Civitatis , pro nunc habet Crucem albam) in cujus medio alligatum eſt ſceptrum , & cornucopia , cum his literis circumſcriptis : Octav. Aug. Caeſ. Mun. & ſubtus : Aſta Civitas . Habeo etiam aliud numiſma argenteum , in quo ex una parte eſt caput Auguſti cum his literis : Octaviani. Aug. Feliciſſ. & a tergo Victoriae ſimulacrum , cum hac inſcriptione : M. Anton. Profligato . Et Imperio Pacato . Et in muro palatii Civitatis poſitus videtur lapis cum hac inſcriptione .

Æterno . Principi. Octav. Aug.
Aſta. Civitas. Propenſi. Animi. Ergo.
L. D. D. D.

Et non longe ab ipſo lapide in eodem muro poſitus eſt alius lapis cum hac inſcriptione .

Octaviani. Auguſti. Munere.
Aſta. Civitas. Ob. Egregie. Adverſus. Germanos.
Navatam. Operam. Immun. Per. X.
Annos. Eſto. M. Loll. Ex. S. P. Q. R.
Decreto.

Et in ſcripturis Civitatis eſt notatum , quod hoc privilegium Octavianus Auguſtus conceſſerat Aſtenſibus inſtante M. Lollio ; quia cum ipſe mitteretur contra Germanos , Aſtenſes miſerunt cum eo quotquot potuerunt ex ſuis militibus , qui inter ceteros ita ſe geſſerunt , ut ſine eis victoria non fuiſſet obtenta .

De bello Aſtenſium cum M. Julio Cottio ,
Cottii filio.
CAPUT XV.

JUlius Cottius , cum Cottio Regi patri ſuo in Regno ſucceſſiſſet , & a Claudio Imperatore fuiſſet Rex ſalutatus , ut paternum dedecus ulciſceretur , & dominium ſuum augeret ,

Digitized by Google

ret, bellum ſtatim intulit Aſtenſibus, ſed infeliciter. Nam Aſtenſes uſque ad Teſtonam cum ſuo exercitu illi obviam iverunt, & deinde ad Sangonem omnino vicerunt, & fugaverunt illum.

De Diis antiquis Aſtenſium, & de eorum Templis.
CAPUT XVI.

CIvitas Aſtenſis ex falſis Diis tamquam praecipuos coluit Jovem, Junonem, Dianam, Venerem, Martem, Saturnum, Mercurium, & Deas Gratiarum. Et his omnibus proprium templum extruxit, ac dicavit. Jovi ſcilicet templum in ipſo colle, ubi Brennus Caſtrum aedificavit; cum antea circa templum eſſet locus. Templum Junonis aedificaverunt ſub ipſo Caſtro, quia crediderunt idololatrae quod Juno eſſet Jovis ſoror; & ſic unum templum prope aliud aedificaverunt. Sed Jovis in loco eminentiori, quia ſtulte credunt quod Jupiter ſit omnium Deorum maximus. Alia vero templa in variis locis tam intra, quam extra Civitatem, ut ubique eſſet commoditas colendi Deos. A qua tamen ſtultitia per Domini Noſtri Jeſu Chriſti gratiam ipſi Cives ex majori parte ſunt jam liberati, & ſperatur quod brevi omnes liberabuntur, & ſolus verus Deus ipſa Urbe coletur.

Quomodo Civitas Aſtenſis converſa fuit ad Chriſtianam fidem.
CAPUT XVII.

AStenſis Civitas per Dei gratiam non multum poſt mortem Domini Noſtri Salvatoris lumine fidei Chriſtianae fuit illuſtrata. Nam S. Syrus, qui a S. Petro ordinatus fuerat Epiſcopus Ticinenſis, poſtque in ea Civitate Evangelium praedicavit, ita ut ſtatim fere tota ea Civitas Chriſtiana ſit effecta, venit ad hanc Civitatem Aſtenſem, & eam ſimiliter ad fidem convertit. Et ut qui convertebantur, haberent ubi Divinis Myſteriis intereſſe poſſent, templum Junonis convertit in Eccleſiam, illam dedicando Deo in honorem B. Mariae Matris Domini, quam ipſa Civitas voluit habere pro ſua principali Patrona, prout ſtulti patres noſtri gentiles habebant illam Junonem. In ipſa vero Eccleſia S. Syrus ordinavit unum Diaconum, qui converſos in fide inſtrueret, & confirmaret, & eos qui convertebantur, baptizaret, & deinde etiam inſtituit ſacerdotes, & aliquoties tam ipſe, quam S. Juventius ejus diſcipulus, ac deinde ſucceſſor in Epiſcopatu ipſos converſos viſitavit. Unde numerus fidelium adeo multiplicatus fuit, quod brevi tota Civitas facta fuit Chriſtiana, niſi Trajanus Imperator, qui Chriſtianos perſequebatur, hoc intelligens miſiſſet Praetorem in eam cum mandato, ut omnes qui Chriſtianam fidem profiterentur, vel cogeret variis tormentis redire ad Idolorum cultum, vel occideret. Quare in Aſta numerus fidelium aliquantulum refrigeratus eſt, quouſque tandem B. Secundus nobilitate inter Cives Aſtenſes praecipuus & comes Palatinus martyrium pro Chriſto ſubivit, & ceteros ad illud, ſi opus eſſet, tolerandum animavit.

His verbis Jacobi Caſae Thomas Auricula addit, quod ſuo tempore in Archivio Civitatis ſervabatur libellus, in quo erant deſcripta miracula, quae S. Syrus, & Juventius fecerant. Et de aliis templis Idolorum dicit, quod templum Jovis fuit deinde a Chriſtianis dicatum S. Aniano, & quod in eo poſitum fuit ipſius Sancti Corpus, prout etiam nunc eſt. Unde ipſum caſtrum vetus dicitur etiam caſtra S. Aniani; & quod in Eccleſia S. Mariae a. S. Syro dicata, fuit ab Angelis ſepultum corpus S. Secundi: ubi ex pluribus ſcripturis, quas ego Raymundus vidi, apparet ipſum Sacrum corpus permanſiſſe, donec ob ruinam, quam minabatur ipſa Eccleſia, fuit translatum ad Eccleſiam Sanctum dictam, quam Cives Aſtenſes poſtquam ceſſaverat perſequutio Gentilium, aedificaverant extra muros Civitatis in loco, ubi Sanctus ipſe martyrium ſubierat; ita ut in proprio loco, ubi truncatum illi fuerat caput, conſtructa fuerit camerula, in qua reconditum fuit, & adhuc manet ipſius Sanctum corpus. In quo loco dum praevaluerunt in Civitate Gentiles, ſolebant morte puniri ob varia ſcelera condemnati. Quia vero locus ubi erat ipſa Eccleſia B. Mariae, erat valde anguſtus, & incommodus ad hoc quod inſerviret pro Cathedrali, pro ut uſque ad illud tempus inſervierat, non fuit in eodem loco ipſa Eccleſia reaedificata, ſed ubi nunc eſt Cathedralis, & prope eam etiam translatum clauſtrum Canonicorum, in quo etiam nunc videtur templum Martis

intra

Digitized by Google

intra domos, ſeu officinas eorundem formae rotundae, & ſatis parvum. Nam templum Saturni eſt illud, quod converſum fuit in Eccleſiam S. Joannis Baptiſtae, quae eſt ſuper ipſam Cathedralem, & eidem clauſtro juncta. Templum Veneris erat prope Caſtrum, ſeu Turres Varronum, & apparent etiam ipſius fundamenta. Templum Mercurii erat in colle montis Bonini, ubi nunc eſt capſina Refangi; & ego vidi extrhai illius fundamenta. Templum Dianae erat illud templum rotundum in Burgo S. Mariae Novae, quod eidem B. Virgini fuit etiam dicatum; cui praeterea fuit dicatum templum de Gratiis, quod etiam nunc eſt extra portam dicti Burgi, quorum duorum templorum reſpectu, illud quod fuerat eidem B. Virgini a S. Syro dicatum, & inſerviebat pro Cathedrali, dictum fuit S. Maria Major. Aliqua alia etiam erant templa nunc diruta, de quibus ignoratur, quibus Diis eſſent dicata.

Quomodo Civitas Aſtenſis facta ſit Colonia Romanorum.

CAPUT XVIII.

CUm poſt mortem Galbae Otho in Gallia, & Vitellius in Germania acclamatus fuiſſet Imperator, & quaedam Civitates illi, aliæ vero iſti faverent; Aſtenſes Othoni faventes miſerunt ipſi ſubſidium. Pro qua re Vitellius cum mortuo Othone Imperium ſolus fuiſſet adeptus, eis, qui Othonem juverant, ſe infenſum oſtendebat. Unde Aſtenſes, ubi in Italia nunciatum fuit, quod Veſpeſianus fuiſſet acclamatus Imperator in Oriente, & quod quidam illi faventes in Italia pro illo exercitus congregarent, majori conatu, quo potuerunt, miſerunt iſtis ſuos milites in ſupplementum. Cum igitur Veſpeſianus Imperium occiſo Vitellio obtinuiſſet, Aſtenſibus diverſa beneficia contulit; & idem etiam fecit Titus ipſius filius; ſed praeſertim faciendo Aſtenſem Civitatem Romanam Coloniam; faciendo ſcilicet, ut multae Romanae familiae venirent ad habitandum in Aſta, & pars Civium Aſtenſium iret ad habitandum Romae; & concedendo ei alia omnia jura, quibus gaudebant aliae Coloniae Romanae. Quam rem Aſtenſes multum optaverant ob aemulationem quae erat inter Aſtenſes, & Pollentinos, quorum Civitas erat Colonia Romana: de qua re multum contra Aſtenſes contendendo ſe jactabant.

Inter familias autem, quae Roma venerunt ad habitandum Aſtae, ego Raymundus deprehendi fuiſſe unam, quae cognominabatur Agnana, ſeu Aniana; ex qua fuit noſter S. Anianus, & quod haec familia erat ex Gente Æmilia: hocque ex inſcriptione, quae legitur in lapide poſito in platea nundinarum cum iſtis verbis.

Titus. Annius. Agnanus.
L. Æmilius. Agnanus. Natus. Romae.
Aſtae. Edocatus. Memor. Extremi. Fati.
Sibi. Et. Silviae. Uxori. Kar.
P. Vivens.
L. E. D. P. P.
Qui hic quieſcere volet, ita juſte vivat ut nobis aequari poſſit.

De S. Secundo Martyre.

CAPUT XIX.

MOrtuo Trajano ſtatim factus fuit Imperator Adrianus, qui cum per Illiricum in Italiam veniens ad Brixienſem Civitatem perveniſſet, & in ea multis tormentis affeciſſet Sanctos Martyres Fauſtinum, & Jovitam, Calocerus qui erat Praefectus palatii Imperatoris, & Magiſter Officii, ad miracula, quae hìc Sancti faciebant, converſus fuit; ac propterea cum multa tormenta etiam ipſe Brixiae, & Mediolani, & Derthonae perpeſſus fuiſſet, miſſus fuit ad ſuam Aſtenſem Civitatem, & poſitus in carcere in Turri Rubea; ubi cum adiviſſet Secundus juvenis divitiis, & nobilitate ac moribus praeclarus Comeſque Palatii, ab eodem S. Calocero fuit ad fidem Chriſti perductus, & ſuaſus, ut iret Derthonam ad S. Martianum Epiſcopum, ut ab eo plenius inſtrueretur, ac baptizaretur. Ad quem effectum S. Martianus miſit illum Mediolanum, ubi a Sanctis Fauſtino, & Jovita baptizatus Derthonam rediit, & corpus S. Martiani pro Chriſto occiſi ſepelivit. Ob quam rem cum Sapritius illum etiam tormentis affeciſſet, & in carcere cuſtodiri juſſiſſet, Angelus Domini duxit eum Aſtam, & intermiſit in carcerem, in quo Dominus Noſter Jeſus Chriſtus venerat ad viſitandum S. Calocerum. Sequenti vero die S. Secundus cum S. Calocero varie cruciatus, ac capite tandem damnatus

Digitized by Google

fuit; ac proinde extra muros Civitatis ductus ad locum, ubi puniebantur alii damnati, ibique decollatus; & Angeli postquam decantassent per aliquod tempus Deo laudes pro victoria suo Sancto martyri concessa, tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud in Ecclesia B. M. sub Castro.

De Sancto Calocero Martyre.
CAPUT XX.

S. Calocerus cum esset Curialis Adriani, ac ei valde charus, ac ideo factus ab eo Praefectus Palatii, & Magister Officii, postquam fuit conversus ad fidem, & multa tormenta Brixiae, & Mediolani toleravisset; traditus fuit cuidam Antiocho, qui misit illum Derthonam, & inde post multa tormenta in Ast. Mortuo statim post Antiocho, Sapritius cum illum cum S. Secundo torsisset, dedit sententiam, ut Albigauni decollaretur. Cum igitur tertio die, idest primo Aprilis, illuc perveniisset, & ministri statim sententiam executi fuissent, Albigaunenses fideles ipsius corpus devote sepelierunt, illudque tamquam sui specialis protectoris in maxima veneratione semper habuerunt. Fuit autem S. Calocerus etiam ipse Civis Astensis ex familia Calocera, a qua Castrum Caloceri quinque milliaribus ab Asta distans fuit aedificatum, & denominatum. Unde in honorem ipsius, sicut & S. Secundi Astenses aedificaverunt Ecclesiam juxta Turrim Rubeam, in cujus fundo uterque carceratus stetit; & Salvator noster mirabilia dignatus est operari. Nam non solum Salvator noster in ipsum, ut eos consolaretur, dignatus est ingredi, sed scaturire fecit in uno angulo aquam, & in alio quemdam pretiosissimum liquorem. Quae utraque post ipsorum mortem emanarunt, donec propter avaritiam custodum, qui petentibus ob curam infirmorum, quibus valde erant proficua, non nisi pretio dare volebant, scaturire cessarunt, & tantum remanserunt foramina, unde exibant: & praeterea ex ipso loco discedens Salvator in quodam marmore impressum reliquit vestigium sui pedis. Itaque nos Astenses ipsum S. Calocerum specialiter venerari debemus; etiamsi quia ipse Albigauni martyrium consumavit, & ibi conservatur ejus corpus, non autem Astae, ut evenit S. Secundo, ipsius memoria, ac devotio ita celebris non sit.

Circa, id quod dicit Jacobus, quod S. Calocerus esset ex D. D. Caloceri, ego Raymundus vidi in Archivio Civitatis quamdam scripturam, in qua dicitur, quod cum familia, seu linea D. D. Caloceri Calocera dicta defeciisset, quidam de familia Calocerorum, quae habitat in Astensi Civitate, praetendebant succedere in consilio in loco dictorum Dominorum, dicentes se descendisse ex eadem familia, ex qua erat ipse S. Calocerus; sed compertum esse, quod isti ita cognominabantur, quia de ipso loco Caloceri venerant ad habitandum in Asta, & sic fuerunt rejecti. Et quoad Turrim Rubeam sciendum, quod non solum in utriusque Sancti memoriam addita eidem Turri fuit Ecclesia, ut ibi commodius Missarum solemnia, & Divina officia celebrari possent, sed apud ipsam fuit etiam aedificatum Monasterium Ordinis S. Benedicti pro Monachis. Et praeterea ad honorem ejusdem S. Caloceri prope Civitatem in colle versus Vareliatum aedificata fuit Ecclesia, sicut etiam in aliis locis, ac in diversis Ecclesiis, ejdem Sancto dicatae plures Capellae.

De Ecclesia Sanctorum Apostolorum.
CAPUT XXI.

IPsomet tempore, quo S. Calocerus in Turri Rubea carceratus tenebatur, & S. Secundus ex carcere Derthonensi ad eamdem Turrim ducebatur ab Angelo, quidam bonus vir cum bobus arabat in quodam campo prope pontem Burburis fluvii; & cum boves urgeret, nec se movere possent, stupefactus est: & aspiciens sursum apparuit ei lux Sole splendidior, in quam diligenter inspiciens, vidit Christum cum choro Angelorum, & Apostolorum descendentem, & audivit ipsum Dominum dicentem Apostolis: in hoc loco vigebit gloria & honor vester; & in eo multos servos meos congregabo, qui in honore vestro Regna Coelestia merebuntur accipere. Quibus dictis cum Salvator iviisset ad carcerem praedictum, Apostoli manserunt ibi ordinaturi Ecclesiam. Rusticus autem, qui in agro arabat cum quasi per horam stupefactus mansisset, tandem ad se rediens procidit ad pedes Apostolorum, interrogans eos, quinam essent, & quisnam esset ille, qui tantum praeclarus ei apparuerat? cui Apostoli respon-

de-

Digitized by Google

derunt : Apoſtoli Chriſti ſumus , & quem tam praeclarum vidiſti , ipſe eſt Chriſtus Filius Dei vivi , qui deſcendit propter dilectos ſuos martyres Calocerum , & Secundum , qui detinentur in carcere in Turri Rubea ; ac etiam propter cunctos fideles ſibi in hoc loco per futura tempora ſervituros . Dixerunt etiam , ſe deinceps propter reverentiam exhibendos ipſi loco , & eis qui ei inſervirent , ſe fore proviſores & cuſtodes Civium Aſtenſium , & eorum , qui eidem loco devote ſervient . Demum aratori praeceperunt , ut viſionem devote omnibus publicaret , & ut procuraret quod in eodem loco fabricaretur Eccleſia , ſicut B. Petrus fundamenta deſignavit . Chriſtus autem rediens a carcere ad ipſos Apoſtolos aſcendit cum eis in Coelum . Arator autem rediens in Civitatem haec omnia nunciavit fidelibus , qui ſequenti mane poſtquam vidiſſent S. Secundum conſumaſſe martyrium , & ejus corpus inde ab Angelis ſublatum , iverunt ad campum cum ipſo pio bubulco , & invenerunt ſpatium illud , in quo aedificanda erat Eccleſia , deſignatum , & fama eſt quod intra ipſa ſigna invenerunt jam maturam avenam , quam ille praecedenti die in ipſo campo ſeminaverat . Unde certatim ipſam Eccleſiam aedificare coeperunt . Id quod etiam liberius facere potuerunt ; quod cum Aſtenſes pro certo ſcirent , quod Sapritius non habuerat facultatem ab Adriano occidendi S. Secundum , ſed tantum S. Calocerum , ſed illum occiderat , ut illius bona occuparet per Obritium Ottobellum nobiliſſimum Civem , & eidem Imperatori valde charum ; Sapritium accuſaverunt apud ipſum Imperatorem , qui eidem Obritio commiſit , ut de hoc inquireret contra Sapritium . Quod cum feciſſet Obritius , Sapritium privavit Magiſtratu , & bonis male occupatis . Erat autem hic Sapritius ex familia Comſembrada , quae juxta facultatem ab Auguſto nobilibus Aſtenſibus conceſſam aedificaverat Caſtrum , quod a ſuo cognomine Comſembradum appellaverat .

De S. Evaſio primo Epiſcopo Aſtenſi, & Martyre .

CAPUT XXII.

QUod Aſtenſis Eccleſia a ſuo principio ſub Epiſcopo Ticinenſi fuerit , credendum eſt ; cum a S. Syro ipſa Civitas fuerit ad fidem converſa ; & poſtquam habuit ſuum proprium Epiſcopum uſque nunc plura loca Aſtenſi Civitati vicina tam extra , quam ultra Tanarum ſub Epiſcopo Ticinenſi remanſerunt . Quo vero anno eidem Civitati Aſtenſi S. Evaſius fuerit in primum Epiſcopum conceſſus , ego Raymundus non inveni . Nam Jacobus Caſa in fine ſui Memorialis dicit , quod cum Aſtenſis Civitatis major pars jam eſſet Chriſtiana , & tenerent Imperium Romanorum duo Philippi pater , & filius , qui etiam ipſi erant Chriſtiani ; Aſtenſes miſerunt ſuos Oratores ad S. Fabianum Papam , ut ab eo obtinerent ſuum proprium Epiſcopum , in quibus Oratoribus fuerat ipſe Jacobus ; ſed cum ipſo tempore , quo Romam pervenerunt , Decius occidiſſet duos Philippos , & publicari feciſſet Romae crudelia edicta contra Chriſtianos , & martyrio ſtatim coronatus fuiſſet S. Fabianus , ipſi Oratores videntes quod per plures menſes non eligebatur novus Papa , redierunt Aſtam , & Aſtenſes ſtatuerunt expectare tempus magis opportunum pro renovanda ipſa legatione . Quantum autem tempus hoc diſtulerint , ipſe Caſa non dicit , quia ipſe (uti credo) ante obierat , neque ego inveni propter incendia ſcripturarum , praecipue Archivii Cathedralis , & Communis , & Monaſteriorum . Unde etiam ignoratur quo anno ipſe S. Evaſius paſſus ſit martyrium . Pro certo tamen habetur , quod hoc evenerit antequam Conſtantinus Imperator ceſſare feciſſet perſecutionem Chriſtianorum ; cum in aliqua perſecutione ipſe Sanctus cum S. Projecto Diacono , & S. Maliano Subdiacono hujus Eccleſiae , & Civibus Aſtenſibus , & cum multis , quos circa Padum converterat ad fidem , capite damnatus fuerit . Et praeterea in Memoriali Thomae Auriculae legitur , quod cum Valentinianus Imperator deberet in Gallias proficiſci , & Aſtenſes neglexiſſet mittere ei milites in ſupplementum , & pecuniam , prout eis juſſerat , miſit in Aſtam ſuum exercitum ,

Digitized by Google

citum, qui illam depraedatus est, & duxit captivos praecipuos Cives, ut pecuniam ab eis extorqueret, & in illis ipsummet Episcopum, quem Cives statim missa pecunia redemerunt. Idem etiam Auricula dicit, quod sub Siricio Papa celebratum fuit Taurini Concilium viciniorum Episcoporum, inter quos fuit Episcopus Astensis, qui se subscripsit, ponendo tantum primam literam sui nominis, ideſt P. per quam ipse putat significari Pastorem, qui fuit Episcopus Astensis.

De ipso autem S. Evasio communiter dicitur, quod cum ipse Sanctus Divino monitu ex Benevento Romam iviſſet, & Astenses Oratores ad praedictum effectum missi, illum a Papa in suum Episcopum obtinuissent; multis annis Astensem Ecclesiam sanctissime rexit, Cumque altera deinde fuisset nova persecutio contra Christianos, Praetor Civitatis statuerat illum capere, & compellere ad adorandum suos falsos Deos: & ipsius exemplo ad idem perducere alios Christianos. Unde ipse Sanctus aliquamdiu latuit in quadam domo in Burgo, quod nunc dicitur S. Pauli, ubi deinde fuit illi dedicata Ecclesia, ac constructum hospitale pro peregrinantibus ad eam. Sed cum Praetor de hoc notitiam habuisset, Christiani ipsi Sancto persuaserunt, ut statim e Civitate exiret, quod S. Episcopus secreto fecit, assumptis secum Natali, qui ex Civitate Beneventi cum eo venerat, & praefatis Projecto Diacono, & Maliano Subdiacono, a quibus adjuvaretur in conversione Infidelium, & in administratione Sacramentorum. Sed cum hoc feciſſet adhuc jejunus, & perveniſſet ad fontem uno circiter milliario ab Urbe distantem, ut se reficeret, & sic iter prosequi posset, apud illum consedit defixo in terra suo baculo Pastorali: post refectionem autem resumpto itinere, & ab ipsa via declinantes pervenerunt ad rivum, qui locus postea dictus fuit Rupta, eo quod Constantinus Imperator apud ipsum ruptam dederat uni exercitui Maxentii Tyranni. Cum autem S. Evasius ibidem rivulum esset transiturus, recordatus fuit se oblitum suum baculum Pastoralem apud fontem, Natalis igitur cucurrit ad eum accipiendum; & ecce invenit eum emisisse flores purpureos; quod cum vidisset S. Evasius cognovit, quod propter Christum suo sanguine dignitatem Episcopalem esset exornaturus. Et ob hoc miraculum fons ille deinde appellatus fuit Fontana Sancta. Ipse vero cum sociis ultra processit, donec pervenit ad locum, ubi postquam vicinos populos ad Christi fidem convertisset, martyrio fuit coronatus, ut supra diximus.

PARS II.

Notabiliora de Rebus Astensibus ex Memoriali Thomae Auriculae.

Quomodo Constantinus Magnus Imperator fuit ad Ecclesiam Sanctorum Apostolorum.

CAPUT I.

SAtis notum est legentibus historias, quomodo Constantinus Imperator, qui dictus est Magnus, postquam ex Alpibus per Novalitium intravit in Italiam, per Dei virtutem debellavit unum exercitum maximum, qui illi pro parte Maxentii se opponebat prope Taurinum, quod tunc cepit, & expoliavit. Sed quomodo idem Constantinus prosequens iter suum versus Romam per Astam transierit, & cum ex ea exiviſſet, cum altero exercitu Maxentii, qui properabat se jungere praedicto apud Taurinum trucidato, pugnaverit, ac eum exterminaverit, apud nullum authorem legi. Et tamen quod idem Constantinus tunc Astam venerit, certissimum est. Nam in scripturis Abbatiæ SS. Apostolorum hoc affirmatur; imo hoc legitur in vita S. Secundi martyris nostri Protectoris. Et praeterea in literis Papae Liberii, quibus concessit indulgentiam Ecclesiae SS. Apostolorum, ipse met S. Liberius affirmat, quod fideli relatione Constantini Imperatoris acceperat, quod apud ipsam Ecclesiam SS. Apostolorum Sancti Apostoli ostenderant sibi magna signa; & notum est, quod prope rivum, qui dicitur Rupta parum longe a Civitate, & a Via Romana, apparent adhuc vestigia aggerum, & ostenduntur magnae fossae plenae ossibus hominum mortuorum; & quod fama est, quod ibi Constantinus dictum Maxentii exercitum trucidaverit; & quod propterea ipse rivus, & locus dictus fuit Rupta Constantini, qui cum ibi audisset, quod ultra Padum esset alius exercitus Maxentii, relicto itinere recto ivit contra illum, & apud Veronam

eadem

Digitized by Google

eadem Divina gratia, & interceſſione SS. Apoſtolorum illum ſuperavit, & victor verſus Romam properavit, & cum in Tiberi merſus fuiſſet Maxentius, in illam alacriter receptus fuit.

Quomodo S. Liberius Papa Eccleſiam SS. Apoſtolorum viſitavit.
CAPUT II.

CUm paulatim per totam Civitatem vulgata fuiſſent illa, quae ſcripta ſunt in vita S. Secundi martyris de Eccleſia SS. Apoſtolorum, ex omni parte multi coeperunt venire ad illam viſitandam. Et cum plures diverſas gratias per interceſſionem SS. Apoſtolorum ibi reciperent, ſemper magis ipſius loci devotio creſcebat. Specialiter vero S. Liberius, qui, ut ipſe teſtatur in ſuis literis (prout jam diximus) audierat ab ipſo met Conſtantino, quod SS. Apoſtoli apud ipſam Eccleſiam fecerant ei videre magna ſigna, & ab aliis intellexerat illa, quae de fundatione ipſius referuntur in dicta vita S. Secundi, voluit ipſe met viſitare hanc Eccleſiam, & providere ut juxta verbum Domini Salvatoris ad ſuos Apoſtolos multi Servi Dei ipſi ibidem inſerviendo Coeleſtia Regna mererentur accipere. Cum igitur veniſſet, hortatus fuit Cives, ut prope ipſam Eccleſiam unum Monaſterium aedificarent. Et cum ipſo met tempore plures boni viri ac juvenes ſe obtuliſſent ad ſerviendum ibi Domino, ipſe conſtituit in Abbatem unum Monachum multae ſanctitatis, Joannem nomine, quem ad hoc ipſe de Roma ſecum duxerat. Et ut majori devotione, & fructu frequentaretur tam devota Eccleſia, conceſſit infraſcriptam Indulgentiam: videlicet, ut omnes fideles, qui ipſam Eccleſiam die xv. Julii, in qua celebratur feſtum Diviſionis SS. Apoſtolorum, ab ortu Solis ipſius diei uſque ad alterum ortum Solis diei ſequentis ipſam Eccleſiam devote viſitarent, pro ſingulis vicibus conſequerentur remiſſionem tertiae partis omnium ſuorum peccatorum, & ſi contingeret mori intra annum proxime futurum, integram & pleniſſimam ſuorum peccatorum remiſſionem. Civitas igitur libenter, & cum omni diligentia Monaſterium ipſum conſtruxit; & ipſi dedit multos redditus pro ſuſtentatione Monachorum; qui tunc quidem vixerant ſecundum formam, quam illis tradidit idem Venerabilis Abbas Joannes. Sed ubi primum audierunt famam S. Benedicti, & quod ſcripſerat Regulam Monachis valde laudabilem & probatam, illam obſervandam ſuſceperunt. Omni igitur tempore iſtud Monaſterium floruit viris ſanctis, & doctis, & plures ex illius Monachis facti ſunt Epiſcopi Aſtenſes, & ipſa Eccleſia propter dictam Indulgentiam, & propter ipſorum Monachorum ſanctitatem fuit deinde in majori etiam devotione apud omnes, & praecipue apud Reges, & Principes, ac etiam Imperatores, qui illi donarunt & ipſi plura bona, & aliquot Caſtra, ſeu Cortes. Et ipſum Monaſterium crevit etiam aedificiis, & factum fuit apud illud unum hoſpitale ad recipiendos peregrinos, ita commodum, quod ipſi Reges, & Principes, qui veniunt in Aſt, in eo hoſpitari ſoleant.

Quomodo Alaricus victus fuerit primo apud Pollentiam, & deinde ab Aſtenſibus.
CAPUT III.

ALaricus Rex Gothorum ſperans ſuum dominium in Italia ſtabilire, ex Iſtria cum magno exercitu ingreſſus eſt in illam; & cum veniſſet citra Padum ivit ad obſidendum Pollentiam; ſed ſuperveniens Stilico cum Romanorum exercitu pugnavit cum eo, ac eum vicit, & fugavit. Quae victoria per virtutem S. Crucis obtenta fuit. Nam cum Romanorum exercitus jam declinare coepiſſet, quia prima agmina, quae erant Alanorum Paganorum, a Gothis fuerant trucidata, ubi Sancta Crux, quae inſignibus gerebatur, ante reliqua agmina comparuit, ſtatim ortus fuit magnus turbo, qui ſagittas emiſſas a Gothis contra eos vertebat, & oculos eorum perturbabat. Unde ipſa victoria ſic obtenta, ſtatim in vicino colle aedificata fuit Eccleſia, quae Sancta Victoria dicta fuit; pro ut dictum etiam fuit Caſtrum in eodem loco conſtructum. Cum igitur Alaricus multos ex ſuis in illa pugna amiſiſſet, cogitavit in Iſtriam reverti. Sed cum ea pars ſui exercitus, quae Padum tranſire coeperat, in tranſitu cujuſdam fluminis a Veronenſibus trucidata ad unum fuiſſet, ipſe neſciens quo tenderet, citra Padum ſe continebat. Quod intelligentes Aſtenſes, aſſociatis

ſibi

Digitized by Google

ſibi vicinis Liguribus, & militibus, quos in Urbem introduxerant, ut ſe defendere poſſent caſu quo Alaricus apud Pollentiam viciſſet, tanto ardore ex improviſo Alaricum invaſerunt, ut cum aliquanto tempore confuſo ordine pugnam ſuſtinuiſſet, fugam capere, & caſtra deſerere coactus fuit. Aſtenſes igitur ipſa caſtra ingreſſi, captivos fecerunt ipſius Alarici, & ceterorum Gothorum principalium filios, & uxores, & quidquid illis magis placuit, inde abſtulerunt, & in Aſtam duxerunt. Alaricus igitur hac tertia rupta affectus cum humilitate agere coepit cum Stilicone, petendo ab eo treguam, qui Stilico cum poſſet eum exterminare, libenter eam conceſſit, quia cupiebat bellum protrahere; ſicque Alaricus verſus Aſtam venit, indeque coepit cum Honorio Imperatore tractare, ut ſibi aliquam regionem concederet ad habitandum, & cum Aſtenſibus, ut ſibi ſuos filios, & mulieres redderent, & utrumque obtinuit cum pacto deberet ex Italia exire, & pro Iſtria partes Galliarum habere ad habitandum.

Quomodo Alaricus verſus Pollentiam Romanos vicerit, eamque Urbem, & Aſtam deſtruxerit.

CAPUT IV.

CUm igitur Alaricus verſus Pollentiam iter arripuiſſet, ſubſtitit in finibus Pollentiae, ut vehicula ibi amiſſa recuperaret; & Paſchalia feſta perageret. Sed Stilico, qui volebat eum in Italia retinere, ut per eum poſſet Honorium ad ſua deſideria facilius perducere, miſit quemdam Ducem nomine Saulum cum Romanorum exercitu, ut Gothos invaderent, quod cum hic feciſſet, Gothi primum ob reverentiam ipſius diei Paſchatis arma capere differebant: ſed ubi viderunt hoſtes perſeverare, & multos ex Gothis occidere, tanto furore in eos impetum fecerunt, ut dorſa vertere Romanos coegerint, fugienteſque & diſperſos ad unum fere occiderunt. Alaricus furore repletus, liberque ab omni Romanorum timore iterum Pollentiam obſedit; & ultra annum ſub ea permanſit, & in vanum etiam amplius ibi permanſiſſet, cum per ſubterraneum conductum victualia in eam portarentur, niſi quaedam mulier cujus filium Gothi captivum fecerant, & male tractabant, ut eum liberaret, quomodo Civitas de victualiis provideretur, illis manifeſtaſſet. Et fama eſt, quod cum Gothi neſcirent in qua parte tranſiret conductus, conſilio cujuſdam alterius foeminae ex his, quae ..... dicuntur, equum, quem avena ſalſa paraverant, circum urbem ducere coeperunt, providentes ne poſſet ad aquam accedere. Cum igitur equus deveniſſet ad locum, ſub quo currebat aqua ſubterranea, coepit olfacere terram, & deinde eam fodere pedibus. Ex qua re intelligentes ſubter ipſum locum decurrere canalem aquae, foderunt terram: diſcoperto fornice conductus, eoque rupto prohibuerunt, ne ultra victualia in Urbem portarentur. Et ſic cum Pollentini vidiſſent ſibi defeciſſe cibos, & quod nullum auxilium ab Imperatore eſſet expectandum, ſtatuerunt potius fugere e Civitate, quam expectare, ut ob famem ſe inimicis tradere cogerentur. Propterea cum ſero unius diei finxiſſent ſe velle invadere hoſtes per portam Civitatis, quae vergebat ad Occidentem, & ipſi hoſtes ante ipſam portam totum exercitum congregaſſent, ſequenti nocte ligantes canes ad cordas Campanarum, ut dum eas traherent, videretur, quod earum ſonitus ad arma Cives vocaret, ipſi beneficio tenebrarum, cum nox obſcuriſſima eſſet, per aliam portam omnes fugerunt, quidam quidem ultra Tanarum ad montanam Liguriam; alii Aſtam; alii minus veloces Guarenam, quae tunc erat munitiſſimum oppidum. Alaricus ergo cum diu expectaſſet, ut hoſtes exirent, & tandem quid egiſſent cognoviſſet, nec ob noctis obſcuritatem poſſet illos perſequi, mane ingreſſus fuit Civitatem, & cum exercitus depraedatus fuiſſet ea, quae Cives exportare non potuerant, igne & ferro omnia ejus aedificia a fundamentis deſtruxit, excepta parte Theatri, quae adhuc videtur. Deinde Guarenam expugnavit, & ſimiliter deſtruxit: iis, quos ibi reperit, vel occiſis, vel in captivitatem ductis; & inde contra Civitatem Aſtenſem eo majori odio venit, quo majora damna ab ea paſſus fuerat. Cum igitur illam diu etiam obſediſſet, eam denique per vim cepit, & Cives ejus, qui in ipſa expugnatione non effugerunt, ſimiliter vel occidit, vel captivos fecit, & omnia aedificia praeter quaſdam turres deſtruxit. Unde omnino haec Civitas deſolata, & deſerta manſiſſet, niſi quod futurum erat, timentes Aſtenſes pueros, ac mu-

Digitized by Google

mulieres ultra Tanarum in diverſa loca antea miſiſſent.

De aliis ruinis, quas Civitas Aſtenſis paſſa eſt a Gothis, & ab aliis nationibus extraneis, & de Theodorico Rege.

CAPUT V.

HAec tam magna ruina, quam tunc Aſtenſis Civitas paſſa fuit, non ſolum non ceſſavit poſt diſceſſum Alarici verſus Romam, ſed plurimas alias fere continuas ſecum traxit. Cum elongatus ab ea fuiſſet exercitus Gothorum, pars Civium, quae ultra Tanarum fugerat, in Civitatem reverſa eſt. & cum illis, quos Gothi jam ſanguine ſatii vivos reliquerant, vel captivos non duxerant, coepit inſtaurare ipſam Civitatem; ſed tamen propter nimiam paupertatem muros ejus reędificare non potuit. Solummodo munierunt caſtrum vetus, ſeu S. Aniani, & Caſtrum Varronum, in quibus potuerunt ſalvare res ſuas, & perſonas contra hoſtes, non tamen ſemper propter eorum nimiam multitudinem: reliquam partem Civitatis ſolummodo foſſis, & aggeribus fortificaverunt. Unde pluribus vicibus a Barbaris eam defendere non potuerunt. Et primo, cum mortuo ultra Romam Alarico ſe magis ſecuros eſſe putabant, quaſi ex improviſo idem exercitus in has partes rediit, ut iret in Gallias, ſecundum quod prius dum eſſent ſub hac Civitate, Honorius Gothis conceſſerat. Ad cujus rei famam Aſtenſes territi pro certo habentes, quod peſſime ab eis tractarentur; omnia quae auferre potuerunt ſecum portantes ultra Tanarum in diverſa loca fugerunt. Unde cum Gothi per ipſam Civitatem tranſirent tam ob memoriam damnorum ab Aſtenſibus antea paſſorum, quam quia nihil quo ſe reficerent praeter vinum repererunt, igne & ferro omnia aedificia Civium deſtruxerunt, Eccleſiis ſolummodo parcentes. Licet vero poſt eorum diſceſſum Cives in Urbem tunc redierint, non tamen potuerunt muros inſtaurare tam propter inopiam, quam propter bella, quae continuo deinde orta ſunt inter eos, qui ad Regnum aſpirabant. Pro qua occaſione modo unum exercitum, modo alium ſuſtinere tenebantur. Et in tantum erant moleſtati, ut aliquoties de ipſa Civitate omnino relinquenda tractaverint, prout multi eam reliquerunt, & alibi habitandum iverunt; & idem feciſſent alii, ſi non fuiſſet reſpectus Eccleſiarum, & Reliquiarum ſuorum Sanctorum, & praecipue ſui Sancti Protectoris Secundi Martyris, cujus protectionem multis vicibus, quando res erant magis deſperatae, experti ſunt; & ſic confidebant, quod aliquando ad priorem ſtatum eſſent redituri. Nam praeter damna, quae patiebantur a praedictis exercitibus, qui tamquam amici recipiebantur, variae Nationes, quae cum Gothis venerant, & militarant, ita excurrebant per ipſam regionem, & homines infeſtabant, quod non poterat terra laborari, cum raperent non ſolum boves, & alia animalia, ſed ipſos homines. Quod maxime fecerunt Burgundiones, qui tunc Pedemontium detinebant, ex qua re erat quaſi perpetua careſtia victualium, & multi propter defectum ciborum moriebantur, cum multi cogerentur ſe nutrire ex herbis, & glandibus, ex quibus legitur quod multi reperiebantur mortui cum herbis in ore. Et his malis frequenter ſupervenit peſtilentia, quae multa millia hominum extinguebat. Et ſic propter tanta, & tam diuturna mala, cum prius numerus Civium ſoleret excedere centum millia, reductus fuit . . . . . Denique haec Civitas in peſſimo ſtatu fuit uſque ad tempus, quo Theodoricus Rex pacifice Regnare coepit. Nam licet eſſet Gothus & Arianus, non tamen odio habuit Aſtenſes; imo erga eos benevolum ſe praebuit, & ſollicitum de illorum proſperitate oſtendit, ipſos ſublevando, ac pauperibus tributa, quae Imperatori ante ſolvebant, remittendo, ac etiam eleemoſinis juvando, quae etiam deinde faciebat ipſius filia Amalaſſunta, dum pro filio ſuo parvulo Regnum gubernavit. Horum igitur Regno durante Civitas Aſtenſis ex tot malis, quibus propter particulare odium Gothorum praeſertim affligebatur, reſpirare, ac paulatim ſe reſtaurare coepit.

Quomodo Civitas Aſtenſis de novo ad malum ſtatum fuit redacta, & de Narſete.

CAPUT VI.

SIcuti vivente, ut diximus, Theodorico Rege, & ipſius filio ſub tutela Amalaſſuntae, res Aſtenſium ad bonum ſtatum ſe reducere coeperant; poſtquam ipſa Amalaſſunta iniquiſſime

Digitized by Google

ſime e Regno expulſa fuit, ad priora mala ipſa Civitas rediit. Et hoc non ſolum quia poſtquam fuit ipſa Amalaſſunta nequiſſime occiſa, bella inter Imperatorem, & Gothos, quae prius Italiam totam affligebant, renovata fuere, ſed quia etiam aliae barbarae Nationes, quae in Pedemontio reſidebant, frequenter in territorium huius Civitatis excurrebant, ac milites ipſi Romani Imperatoris pecuniam, & cibaria ab ipſa Civitate in majori quantitate, quam poſſet ſolvere, exigebant. Praeterea cum quodam tempore Gothi viderentur Romanis fortiores, & magna pars Civium, qui militare poſſent, iviſſent ad militandum in exercitu Romanorum, Franci, qui jam ultra Padum multa loca occupaverant, ſub ipſam venerunt: & cum cives, qui remanſerant, non poſſent reſiſtere, nec auxilium ſperarent, ſe ipſis Francis tradiderunt. Eo tempore erat Imperator Juſtinianus, qui poſt mortem Amalaſſuntae miſerat in Italiam contra Gothos quemdam Ducem valde ſtrenuum, nomine Beliſarium; & hic quidem viriliter ſe geſſit, multas Civitates recuperavit, & Gothos repreſſit. Sed cum eum Juſtinianus in Graeciam revocaſſet: Duces exercitus Romanorum, qui pro eo remanſerunt, tam male ſe geſſerunt, ut Gothi facile amiſſum dominium recuperaſſent, niſi illorum loco Juſtinianus miſiſſet alium Ducem Narſetem dictum; qui licet eſſet eunuchus, erat tamen vir magnanimus, & in bello exercitatus. Hic igitur cum bellum contra Gothos adminiſtrare coepiſſet, plures victorias de illis obtinuit, in quarum una cum occiſus fuiſſet Gothorum Rex Totila, res ipſorum ita ruere coeperunt, ut intra breve tempus Narſes illos omnino Romano ſubjugaverit Imperio. Quod cum feciſſet, & vellet etiam ab aliis Nationibus extraneis Italiam liberare, intimavit Regi Francorum, ut deberet reſtituere loca, quae in illa occupaverat. Hoc intelligentes Franci, qui Aſtae in praeſidio erant, & praevidentes quod ipſam Civitatem non eſſent diu poſſeſſuri, cum omni ſeveritate coeperunt tractare Cives, & multa violenter exigere, ac etiam rapere. Quod Cives per ſuos, qui erant in exercitu, ſignificaverunt Narſeti; rogantes ut quam primum vellet mittere exercitum ſuum, ut Imperio recuperaret hanc Civitatem, quae parata erat illum libenter accipere. Quod ipſe Narſes non diſtulit facere, mittens unum Ducem cum tam potenti exercitu, quod non ſolum ipſam Civitatem, ſed omnia alia loca, quae ſunt magis verſus Alpes, recuperavit, & Francam, & omnes alias Nationes externas extra Italiam abire coegit. Narſes vero ipſa Civitate Aſtenſi recuperata, cum intellexiſſet quanta mala ſuper omnes alias a Gothis eſſet paſſa propter ſuam fidelitatem, & ſervitia erga Imperium Romanum, quantum potuit illam ſublevare, & in bonum ſtatum reducere curavit. Nam eos, qui cum ipſo militaverant, cum diverſis muneribus & honoribus domum remiſit; miſit etiam magnam quantitatem pecuniae, partem in beneficium publicum, & partem in pauperiores diſtribuendam. Illis praeterea conceſſit exemptionem per aliquos annos ab omni tributo, ſeu onere verſus Imperatorem. Et denique erga eam ita ſe geſſit, ut huc uſque nomen ejus benedicatur. Itaque hoc modo adjuta Civitas refloreſcere coepit civibus ejus, qui vagi & profugi in Langa, & in aliis partibus morabantur prae timore Gothorum, & aliarum nationum externarum, ad habitandum in ea revertentibus.

De Alboino, & Clephi Regibus Longobardorum
CAPUT VII.

CUm Longobardi ſub Duce Alboino Italiam ingreſſi Mediolanum, & ceteras Inſubriae Civitates ſuo ſubjugaſſent imperio, ipſum Alboinum creaverunt Regem, qui cum etiam alias Civitates ultra Padum, & Papiam denique expugnaſſet, convertit arma ſua contra Aſtam in qua praeter Cives tunc erat validum praeſidium eorum Romanorum, qui in ea ſe receperant ex Derthona, & aliis Civitatibus, quas ex ea parte cedere Alboino coacti fuerant. Cum his igitur egreſſi Cives Aſtenſes, hi cum Alboino, ſed ſemper ob Longobardorum nimiam multitudinem infeliciter, pugnaverunt. Unde ab eis obſeſſa & capta Civitas fuit; & contra eam Alboinus magnam crudelitatem exercuit, multos cives occidendo, & multos captivos ducendo, & eis qui remanſerunt magnam pecuniae ſummam imponendo, & non ſolventes variis tormentis cruciando. Ita quod ipſa Civitas omnino deſolata manſiſſet, niſi paulo poſt occiſus fuiſſet Alboinus.

Nam

Digitized by Google

Nam Clephis, qui illi ſucceſſit, cum Civitas ipſa valde ei placuiſſet, ſtatim omnes Aſtenſes captivos liberavit, & impoſitum ab Alboino tributum remiſit, & inſtituit Ducem ipſius Civitatis filium ſum Autharim.

De Rege Authari, & Regina Theodolinda, & Gondoaldo ipſius fratre Aſtenſi Duce
CAPUT VIII.

MOrtuo Clepho Longobardi per decem annos ſine Rege fuerunt, & triginta Duces, qui totum Regnum inter ſe diviſerant, ipſum gubernarunt. Sed videntes quod propter aemulationes, quae inter ipſos oriebantur, melius illud eſſent conſervaturi per unum Regem, elegerunt in Regem praedictum Autharim filium Clephi, & Ducem Aſtae. Hic motus fama pulcritudinis, & aliarum virtutum Theodolindae filiae Regis Bavariorum, ipſe cum ſuis Oratoribus, quaſi unus ex illis ad eam in matrimonium petendam fuit, & ipſum matrimonium concluſit. Cum autem fuiſſet reverſus Gondoaldus Theodolindae frater, ipſam ad eundem Regem Autharim adduxit; & ipſe Rex, ut apud ſe eundem Gondoaldum in gratiam Theodolindae retineret, ſuum Ducatum Aſtenſem illi ceſſit. Quae res multum honoris & commodi attulit Aſtenſi Civitati, tam quia erat ipſe Gondoaldus optimus Princeps, & Civium amator, quam quia amore ipſius Theodolindae ejſdem multum favebat. Inter cetera autem, quae ipſa ad honorem Civitatis fecit, illud fuit, quod cum aliquando in tranſitu cujuſdam fluminis periculum ſubmerſionis incurriſſet, & ideo voviſſet aedificare Eccleſiam S. Annae matri B. M. V. ipſam Eccleſiam aedificare fecit in Urbe Aſtenſi, hoc eſt in Burgo, qui eſt inter Burburem, & Tanarum, & apud ipſam Eccleſiam conſtrui fecit, ac dotavit monaſterium, in quo poſuit Moniales S. Benedicti regulam profitentes; & ex Eccleſia S. Johannis Baptiſtae, quam aedificaverat in Moditia, miſit ad ipſas Moniales ſubuculam, quam ibi poſuerat inter alias reliquias, quam pro certo acceperat fuiſſe ſubuculam, qua S. Anna erat induta, cum peperit B. Virginem: praeterque beneficia ſeu commoda, duo alia percepit haec Civitas ex eo, quod habuit pro ſuo Duce ipſum Gondoaldum. Et primum ac praecipuum fuit, quod cum Longobardi fere omnes eſſent Ariani, & ideo in aliis Civitatibus, & praeſertim ultra Padum, ipſi Ariani habebant propriam Eccleſiam, & in pluribus proprium Epiſcopum, haec Civitas ab hoc malo libera fuit. Nam cum ipſe Dux Gondoaldus non eſſet minus zelator Catholicae fidei, quam Theodolinda ipſius ſoror, & ejus curia, ac milites praeſidii eſſent Bavarii valde Catholici, nulli fere Longobardi in hac Civitate habitarunt. Ex quo etiam provenit, quod Aſtenſes a Civibus aliarum Civitatum Longobardiae in ſermone omnino differunt. Alterum bonum fuit, quod ex hoc noſtro Duce orti ſunt plures Reges omnes Catholici, & optimi, ut ex dicendis apparebit. Ipſe autem piiſſimus, & omnibus dilectiſſimus Gondoaldus, cum in quadam expeditione aſſiſteret Agibulfo (quem mortuo Authari Theodolinda juxta facultatem ſibi traditam a Ducibus Longobardis, in virum ſibi, & in Regem elegerat) ſagitta vulneratus cum maximo omnium dolore, & praecipue ſororis Reginae, & Civium Aſtenſium interiit, & in ſepulcro, quod illa ſibi paraverat in Eccleſia praedicta S. Johannis Baptiſtae Moditiae, ſepultus fuit.

De Ariperto Aſtenſi Duce, & Longobardorum Rege.
CAPUT IX.

GOndoaldo mortuo, ſucceſſit ei in Ducatu Aripertus filius; qui cum adhuc valde juvenis eſſet, Theodolinda miſit ei viros prudentes, quorum conſilio fuit inſtructus in omni virtute, & exercitio convenienti Principi, & Ducatum prudenter gubernavit; & cum fuit congruentis aetatis, eadem Regina dedit illi in uxorem Vindelindam puellam omni virtute ornatam, ex qua habuit duos filios, & unam filiam. Accidit autem, quod cum mortuus fuiſſet Agibulfus, & illi ſucceſſiſſet Adoloaldus, qui cum matre Theodolinda Regnum gubernabat, quidam Graecus dedit ipſi quamdam potionem, qua illum dementavit. Unde cum multos injuſte occidi faceret, Longobardi ipſo repudiato, elegerunt in Regem Arioaldum, & poſt eum Rotharim, cujus filius Redoaldus cum ei ſucceſſiſſet, & paulo poſt fuiſſet occiſus; congregati Longobardi pro electione novi Regis, omnes unanimi conſenſu, praetermiſſis

Digitized by Google

missis aliis ex sua natione Longobarda dignissimum ea dignitate existimaverunt praedictum Aripertum Astensem Ducem, & eum in Throno Regio collocaverunt cum maxima omnium approbatione, & laetitia (licet jam esset sexagenarius) propter famam bonitatis, & valoris ipsius. Ipse vero cum deberet residere Ticini, constituit Astae Ducem Bertaritum, cui multo ante dederat in uxorem Rodolindam, quae illi pepererat duos filios Cunibertum, & Asprandum, & unam filiam nomine suae aviae, dictam Vindelindam. Nam juniorem filium appellatum Gundibertum, Aripertus secum duxit Papiam cum ipsius uxore, quae illi genuit Ragumbertum, qui deinde factus fuit a Bertarito Dux Taurini. Aripertus itaque expectationi, quam Longobardi Principes, & totum Regnum de ipso habebat, plenissime respondit, Regnum cum benignitate, & justitia gubernando; sed praecipue zelatorem Catholicae fidei exemplo sui patris, & amitae se ostendendo; quia tempore ipsius antecessorum Arioaldi, & Rotharis, qui fuerunt Ariani, Catholica Ecclesia magnum detrimentum passa fuerat. Et quia Ariani Divinitatem Salvatoris Nostri Jesu Christi negabant, ipse aedificavit magnificum Templum, quod nomini ipsius Salvatoris dicavit. Regnavit autem novem annis, & moriturus ordinavit, Bertaritus, & Gundibertus Regnum unanimiter gubernarent; Bertarito Mediolanum, & Gundiberto Papiam, ubi jam manebat, pro sua sede assignando.

De Pertarito Astensi Duce, & Rege.

CAPUT X.

MOrtuo Ariperto, Pertaritus, & Gundibertus juxta dispositionem eorum Patris in Regnum simul successerunt, & Pertaritus sicuti erat placidae & quietae naturae ex parte sua juxta dispositionem patris Regnum administrare coeperat. Sed Gundibertus aurem praebens malis consiliariis, coepit statim cogitare quomodo posset ipse solus Regnum possidere; & cognoscens quod Longobardi, qui erant in his partibus, non essent sumpturi arma contra Pertaritum, qui valde amabilem, & gratum omnibus se exhibebat, communicavit consilium suum cum Garibaldo Duce Taurini, qui sperans ipsorum fratrum ruina conditionem suam meliorare, suasit illi, ut auxilium peteret a Grimoaldo Duce Beneventi, offerens se paratum ad illum adducendum. Quod cum feciisset, & Grimoaldus cum magno exercitu Papiae appropinquaret, successit Garibaldus Gundeberto, qui pro sui securitate sub vestibus loricam induerat, & deinde ad Grimoaldum profectus, significavit illi, quod Gudebertus loricam sub vestibus induerat, quia volebat eum occidere; unde cum Grimoaldus sibi occurrentem Gundebertum amplexatus esset, & eum loricam habere sensisset, illum statim occidit, & Papiam cum suo exercitu ex improviso ingressus Regnum occupavit. Quod intelligens Pertaritus, qui erat Mediolani sine aliquo exercitu, fugit, & Grimoaldus Mediolano etiam obtento, Cunibertum Pertariti filium, & Rodelindam, quos ibi reperit (nam Asprandus, & Vindelinda Astae adhuc infantes nutriebantur, & ad talis rei nuntium fuerant extra fines Regni portati) Beneventum misit; & licet paulo post Grimoaldus Pertaritum redire permisisset, videns tamen quantum ab omnibus diligeretur, illum occidere statuit. De qua re admonitus Pertaritus Astam fugit. Sed cum ibi se non esse tutum cognosceret, profectus est ad Regem Franciae, qui non solum illum honorifice excepit, sed dedit illi exercitum, quo posset suum Regnum recuperare. Cum eo exercitu igitur Pertaritus in Italiam descendit, & ab Astensibus fuit alacriter susceptus. At Grimoaldus, qui ad hujus rei famam exercitum congregaverat, statim venit versus Astam; ubi cum post aliquot parva praelia ad universalem pugnam veniisset, & cognovisset, quod Mediolanenses, & Papienses occulte faverent Pertarito, reliquit Astam, & loco quinque milliariis ab urbe distante castrametatus est magna quantitate ciborum, & optimi vini ibidem adducta. Pertaritus igitur cum exercitu Francorum, & Astensibus contra illum praeliaturus ex urbe egreditur; Grimoaldus vero hostes appropinquare sentiens, timorem simulans quasi fugiendo recessit. Franci itaque credentes quod vere fugisset, illum nequaquam sunt persecuti, sed ingressi castra, reliquum diei bibendo & epulando consumpserunt, & in ipsis castris tamquam securi noctem transigere cogitarunt; sed cum omnes somno,

&

Digitized by Google

& vino eſſent oppreſſi, ſupervenit Grimoaldus, & ingreſſus caſtra, illos fere omnes tamquam pecora occidit, & tanta ſtrages facta eſt, ut in rivum, ſuper quo caſtra erant, ſanguis fluxerit, unde in eodem loco aedificata fuit Eccleſia cum Cimiterio, in quo corpora ſuorum civium, & praecipuorum ex Francis ſepeliri curaverunt; & circa ipſam Eccleſiam proceſſu temporis multi habitare coeperunt, & locus ipſe Rivus Francorum fuit appellatus. Grimoaldus autem cum Aſtam veniens, Pertaritum aufugiſſe cognoviſſet, nullum damnum civibus fecit; imo eorundem fidelitatem laudavit, & Francos vulneratos curari permiſit, ac libere dimiſit.

Quomodo Pertaritus Regnum recuperaverit.
CAPUT XI.

TAnta clade affectus Pertaritus cum nova auxilia petere verecundaretur, & per aliquot annos in Galliis manſiſſet, timens ne tandem Grimoaldo traderetur, voluit in Angliam ſe recipere. Sed cum navis, quam ingreſſus fuerat, a littore aliquantulum elongata eſſet, vox in alto audita eſt tamquam interrogantis: num Pertaritus in ipſa navi eſſet? & cum reſponſum fuiſſet, quod ſic: rurſum eadem vox dicens: Revertatur ad ſuum Regnum. Nam Grimoaldus tribus ante diebus mortuus eſt; & Longobardi illi obviam venient, & in Regnum reſtituent. Statim igitur navis ad littus rediit, & cum in ipſo non appareret a quo fuiſſet illa vox emiſſa, cognoverunt fuiſſe eam de Coelo miſſam. Unde Pertaritus verſus alpes properavit; & cum ex eis deſcendiſſet, reperit, quod Duces Longobardi cum magiſtratibus, & magna nobilium, & Populorum caterva illi obviam veniebant, divinitus etiam ipſi moniti, & ſic omnes illum cum magno gaudio exceperunt, & rejecto Garibaldo filio Grimoaldi Regnum illi reſtituerunt. Ex qua re manifeſte apparuit quantum dilectus eſſet hic Rex Deo, qui poſtquam probaſſet illius patientiam, ipſum rurſus, ac miraculoſe regnare fecit. In qua re tam bene ſe geſſit, ut etiam hodie ipſius bonitatis, juſtitiae, ac pietatis memoria conſervetur. Praecipue vero fuit fidei Catholicae zelantiſſimus, & propter eam ab Arianis maximas moleſtias pertulit, plures Eccleſias aedificavit, & praeſertim unam ad honorem Sanctae Agathae cum Monaſterio Monialium apud Papiam, & aliam in hac ſua Civitate Aſtenſi ſub Caſtro veteri ad honorem S. Michaelis cum monaſterio monachorum; & utrumque ſub regula S. Benedicti. Rodelinda etiam piiſſima Regina aedificavit Eccleſiam Papiae in honorem B. M. V. Recepto regno Pertaritus Cunibertum pro ſe Aſtenſem Ducem inſtituit. Sed cum poſt aliquot annos ipſum Cunibertum in ſocium Regni, ut ſe jam ſenem adjuvaret, recepiſſet, ſubſtituit in ipſo Ducatu Aſprandum ſuum ſecundum genitum. Ragumberto autem Gundiberti fratris ſui filio contulit Ducatum Taurinenſem, ejecto ex eo ob perfidiam patris Anoaldo filio Garibaldi proditoris, qui a quodam ſervo Gundiberti merito fuerat occiſus. Poſtquam autem regnaſſet hic optimus Pertaritus poſt ſuum reditum decem & ſeptem annis, cum maximo omnium dolore hic mortuus, in Coelo regnare coepit. Ejus corpus in praedicta Eccleſia Salvatoris ab Ariperto aedificata ſepultum fuit.

De Cuniperto Aſtenſi Duce, & Rege.
CAPUT XII.

PErtarito defuncto Cunipertus Regnum ſolus adminiſtravit, & ſe in omnibus dignum filium, & ſucceſſorem Pertariti oſtendit, & praecipue in zelo Catholicae fidei: unde etiam ab Arianis Regno fere privatus fuit. Nam quidam Dux fautor Arianorum, Alachais dictus, illorum multitudine confiſus, dum Cunipertus eſſet abſens a Papia, ipſam Civitatem ex improviſo fuit ingreſſus, & a Civibus, & aliis per vim ſibi jurare fidelitatem tamquam Regi fecit. Sed cum eſſet hic non modo haereſi, ſed omnibus vitiis infectus, ac crudelitate & perfidia ſua ſe odioſum reddidiſſet, paulo poſt a Regno fuit expulſus. Nam dum ut ſe venatu oblectaret, moraretur in palatio Redeboſco dicto, a Regibus ob id fabricato in illa magna ſylva, quae a finibus hujus Civitatis ultra Tanarum ſe extendit uſque ad villam Fori, & ob ſuam obſcuritatem propter arborum ſpiſſitudinem Orba dicitur, a praecipuis Longobardorum ſecreto vocatus in ipſam Papiam, & in Regnum fuit redu-

Digitized by Google

ctus. Unde cum Alachis, & Ariani contra eum cum magno exercitu veniſſent, ipſe Cunipertus Gratia Dei victor extitit, & Alachis cum omnibus Arianis occiſus: & ipſe Cunipertus ut ſe gratum pro tanta victoria oſtenderet, in ipſo loco, ubi eam victoriam obtinuit, aedificavit Eccleſiam in honorem Sancti Gregorii; & ut etiam gratum ſe oſtenderet erga Romualdum Ducem Beneventi, quia ipſum cum Rodelinda matre remiſerat ad Pertaritum, quando hic Regnum recuperavit, licet idem Rex ejus fratrem Garibaldum e Regno ejeciſſet, ſororem ſuam Vindelindam tradidit in matrimonium Grimoaldo ipſius Romualdi filio. Et cum duodecim annis poſt mortem Patris regnaſſet, cum fama optimi, & fortiſſimi Regis, cumque omnium moerore ex hac vita diſceſſit, relicto Regni ſucceſſore filio ſuo Luitperto adhuc puero ſub tutela fratris ſui Aſprandi.

De Aſprando Aſtenſi Duce, & Rege, CAPUT XIII.

VIx coeperat Aſprandus nomine Luitperti Regnum gubernare, cum Ragumbertus, cui Pertaritus Regno recuperato Ducatum Taurinenſem dederat, audita Cuniperti morte comparato magno exercitu verſus Papiam feſtinavit. Quod audiens Aſprandus, & ipſe auxilio viciniorum Ducum, & Populorum, quantum potuit, majorem exercitum collegit. Et cum utrinque fortiter pugnatum eſſet, Ragumbertus victoriam, & Regnum obtinuit. Et cum paulo poſt mortuus fuiſſet, ſucceſſit ei ipſius filius Aripertus, qui magnam crudelitatem in ſuosmet propinquos exercuit. Nam Regem Luitpertum puerum occidit: Ligiprando Aſprandi filio oculos eruit: Theodoratae Aſprandi uxori, & Alderadae illius ſorori naſum, & aures amputavit. Aſprandus namque ipſe cum Luitprando filio confugere coactus fuit ad Regem Bavarorum ſuum avunculum, qui licet aliqua etiam affinitate junctus eſſet Ariperto; ob hanc tamen crudelitatem contra eum irritatus, & quia Regnum potius debebatur Aſprando, ipſum protegendum ſuſcepit, & poſt aliquot annos in Regnum etiam reducere ſtatuit. Quare ipſi Aſprando exercitum dedit, cum quo hic in Italiam venire parans, miſit ſecreto nuntios ad Aſtenſes, ut eſſent parati ad ferendum illi auxilium; quod Aſtenſes fecerunt; & ut quidam ex ipſis mihi narraverunt, non ſolum per ſe ipſos, ſed pro amicitia, quam habebant cum Papienſibus, multos ex ipſis ad partem Luitprandi traxerunt. Unde licet Aripertus poſt commiſſum cum Aſprando praelium, victor videretur; cum tamen cognoviſſet multos civium ſibi eſſe contrarios, ideoque iudicaret ſe in Civitate non eſſe tutum, ex ea aufugit, & cum tentaſſet natando tranſire flumen, ob pondus gemmarum, & auri, quibus ſe oneraverat, in eo ſubmerſus periit. Quo audito excercitus Longobardorum junxit ſe exercitui Bajoariorum, & omnes unanimes Aſprandum Regem acclamaverunt, & eum Papiae in ſolio Regni collocaverunt.

De Luitprando Rege. CAPUT XIV.

HIc Rex Luitprandus ſicut longiori tempore Regnum tenuit, nempe triginta & unum annum; ita fama omnes alios Reges Longobardorum ſuperavit; & hoc praecipue imitando ſuos anteceſſores ex Gondoaldo deſcendentes in zelo Catholicae fidei, in optima Regni adminiſtratione, & in piis operibus. Sed de iſtis quod facit ad noſtrum propoſitum tantum tangentes, dicimus: eum S. Evaſii primi Aſtenſis Epiſcopi valde devotum fuiſſe, & ipſius precibus meruiſſe victoriam de Arianis obtinere, & ab eis Eccleſiam omnino liberare. Nam cum Ariani magnum congregaſſent exercitum, ut eum Regno privarent; & ipſe nullum exercitum in promptu haberet, Dei, & ipſius Sancti auxilio invocato cum feſtinatione quotquot potuit milites congregavit. Sed cum intelligeret exercitum Arianorum eſſe longe majorem, & ideo timeret illi ſe opponere, & cum hoc timore obdormiſſet; S. Evaſius illi in ſomno apparuit, & eum hortatus fuit, ut alacri animo contra hoſtes pergeret, & cum eis pugnaret, promittens ei, quod de illis victoriam obtineret. Quod cum ipſe feciſſet; & Arianos vel occidiſſet, vel captivos feciſſet, hocque prope locum, ubi erat Eccleſia, in qua humatum quieſcebat corpus ipſius S. Evaſii, ipſe ad hanc Eccleſiam, ita ut erat armatus, ſtatim perrexit, & ante ſepulcrum ipſius Sancti proſtratus, quas potuit majores

gratias

Digitized by Google

gratias Deo, & ipſi Sancto egit: deinde pro illa parva Eccleſia aliam ampliorem, & multo pulchriorem aedificari curavit; & Praepoſitum cum pluribus Canonicatibus apud eam inſtituit; ac ibi etiam Palatium Regium conſtrui fecit. Unde cum habitatores antiquae Civitatis Sedulae, & aliorum viciniorum locorum circa ipſam Eccleſiam ſuam habitationem multas caſas ibi conſtruendo tranſtuliſſent, ex his factum fuit oppidum, quod idem Rex voluit, ut in ipſius Sancti honorem Caſale S. Evaſii diceretur. Ipſe etiam Luitprandus non longe a muris Civitatis Aſtenſis aedificari curavit Eccleſiam SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, cum monaſterio monachorum S. Benedicti, quod voluit eſſe ſub Abbatia S. Petri in Coelo Aureo Papiae, quam ipſe aedificaverat, & in quam ex Sardinia transferri fecerat corpus S. Auguſtini.

De Theodone, Auſulpho, & Aliprando Ducibus Aſtenſibus
CAPUT XV.

DUm Aſprandus apud Regem Bavariae, uti ſupradictum eſt, moraretur, erat in ipſa curia quidam Princeps propinquus Regis ex parte matris, ex parte vero patris deſcendens ab uno fratre Gondobaldi Ducis Aſtenſis fratris Theodolindae, & patris Ariperti primi; ac proinde ipſius Aſprandi etiam propinquus, dictus Theodo. Hic cum multa ſollicitudine Regi perſuaſiſſet ad tradendum exercitum Aſprando, quo poſſet Regnum de manu Ariperti recuperare, venit cum ipſo Aſprando in Italiam, & cum ſuffocato, uti diximus, in aquis Ariperto Aſprandus Regnum obtinuiſſet, & exercitus Bavarorum in ſuam regionem eſſet reverſurus, idem Aſprandus, qui ſe morti propinquum videbat, retinuit ipſum Theodonem, ut filio ſuo Luitprando adhuc iuveni in ſtabiliendo ac gubernando Regno aſſiſteret. Quod cum ipſe cum maxima prudentia faceret, Luitprandus, ne tam fidelis, & ſtrenui viri aſſiſtentia privaretur, ſed ad manendum ſecum ſemper illum cogeret, tradidit illi in uxorem unam ex ſuis ſororibus Jubergam dictam, & conſtituit eum Ducem Aſtenſem. Hi vero cum aliquanto tempore ſine filiis vixiſſent, tandem habuerunt unum filium, quem Auſulphum appellaverunt, qui ita ſimul aetate, & bonis moribus, ac prudentia creſcebat, quod omnibus chariſſimus erat, & a Luitprando unice diligebatur. Deſtinabatur ad Regni ſucceſſionem. Mortuo vero Theodone cum Auſulphus filius eſſet adhuc adoleſcens, Luitprandus ut ſororem conſolaretur, & nepoti aſſiſteret in ordinando Ducatus regimine, Aſtam venit; cumque ibi aliquo tempore moraretur, quadam die ivit ad venatum in ſylvam Orbam, poſitam uti ſupra diximus ultra Tanarum, ducens ſecum pro ſua mala fortuna ipſum adoleſcentem Auſulphum. Nam cum quidam ex ſociis ſagittam contra fugientem aprum jaculaſſet, Auſulphum, qui in eam partem incaute declinaverat, vulneravit; unde fere ſtatim mortuus eſt cum maximo omnium dolore, & praecipue Regis Luitprandi; qui pro tunc Ducatum ſoroſi regendum relinquens, & paulo poſt moriens nullum Ducem Aſtae conſtituit. Juberga deinde mortua, Rachis Rex ipſum Ducatum contulit cuidam ſuo propinquo Aliprando dicto, qui illum ita bene gubernavit, ut etiam nunc benefactorum ejus maneat memoria: & eo tempore quo Franci contra Deſiderium bellum gerere coeperunt, ipſe ex hac vita migravit ob moeſtitiam conceptam, quia praevidebat, quod Longobardorum Regnum ad lacrymabilem finem intra paucum tempus eſſet perventurum.

De Deſiderio Longobardorum Rege.
CAPUT XVI.

CUm Luitprando fine filiis maſculis mortuo defeciſſet linea noſtri Gondobaldi Longobardorum Regnum rediit ad eoſdem Longobardos, non tamen Arianos, quales antea: praeter Agilulphum a Theodolinda converſum, & Adoloaldum ejus filium, fuerant omnes alii ex hac natione, & eorum ultimus fuit Deſiderius, qui in Regno gubernando non erga populos ſatis bene ſe gerebat. Unde cum intellexiſſet ipſe, quod Carolus Francorum Rex ex Gallia contra ſe deſcenderet, & ipſe vellet eum impedire, ne in Italiam intraret, omnes libenter illum adjuverunt; & ex Aſtenſibus iverunt ad ejus exercitum duo millia peditum, & quingenti equites, ex quibus fere duo millia obierunt. Nam cum ipſe Deſiderius ad excludendos ab Italia Francos murum in valle Secuſiae a monte Portiano ad montem Capunum erexiſſet (unde locus ille dictus fuit Cluſa)

Caro-

Digitized by Google

Carolus per juga montium, & per ſaltus difficillimos verſus meridiem fecit deſcendere ſuos ad Gavium, ut a tergo Longobardos invaderent. Unde Deſiderius deſperans ſe poſſe impedire, ne Franci tranſirent, & timens etiam, ne Bernardus Caroli patruus, qui per montem Jovis in Vallem Auguſtae Praetoriae deſcenderat, via recta verſus Papiam tenderet, & ipſum ab ea excluderet, receſſit a cuſtodia ipſius Cluſae, & aſſumptis ex exercitu tot militibus, qui ad defenſionem ipſius urbis ſufficere poſſent, ad eam feſtinavit, & ipſum exercitum deſeruit. Qui cum etiam ipſe verſus Papiam cum timore, & confuſione, & multis fugientibus pergeret, Franci omnes ſimul juncti ipſum exercitum ſunt ſecuti, & coegerunt ad pugnam venire, quod cum Longobardi magis ex neceſſitate & ex deſperatione, quam ſpe vincendi facerent, multam quidem ſtragem Francorum fecerunt; ſed tandem tot ex ipſis fuerunt occiſi, ut vix aliqua pars ſupervenient nocte evaſerit; e quibus Auricula dicit ſe unum fuiſſe. Et ego Raymundus audivi a multis, quod locus, ubi tunc pugnatum fuit, fuerit praeterea Mortaria appellatus.

De Carolo Magno Rege Franciae & Italiae, & de fundatione Abbatiae Vezzolani.

CAPUT XVII.

CArolus Magnus obtenta ea victoria de exercitu Deſiderii, ſtatim ad eum Papiae obſidendum ivit, & nemine ſe illi ultra opponente, ne Deſiderius evadere poſſet, urbem circumvallavit, & ibi relicto Bernardo cum tanta parte exercitus, quae ſufficeret ad ipſam obſidionem, cum reliquo exercitu ad alias Civitates expugnandas ivit, & cum aliquibus captis, ceterae miſſis Oratoribus ſe paratas oſtenderent illi obedire, ſolum cum ordinaria comitiva ad plures earum pacifice acceſſit. Ad Civitatem autem Aſtenſem veniens, Sanctorum Apoſtolorum Eccleſiam devote viſitavit, & in ipſo Monaſterio hoſpitatus fuit; & loco Ducis Aliprandi defuncti conſtituit ipſius Ducem unum ex praecipuis Curialibus, quos ſecum habebat, virum valde pium, & ſtrenuum Raymundum nomine. Cum autem Aſta diſceſſiſſet, & verſus Padum recta tendens ad Sylvam Vezzolanum dictam decem milliaribus ab Aſta diſtantem perveniſſet, & ibi venatui ſe dediſſet, ante Cellam heremitae, qui eam incolebat, vidit ex improviſo corporis humani oſſaturam omnino ſine carne & pelle rectam ſtantem. Ex qua re cum tam ipſe, quam ejus comites, & ipſi equi, & canes exterrefacti manerent, heremita ad eos exivit, & talia fuit loquutus cum ipſo Carolo, quod hic ſtatuit ibi aedificare Eccleſiam B. V. cui deinde Caſtrum Albugnani, & plura bona aſſignavit pro ſuſtentatione Monachorum, quos dictus heremita ibi collegit. Ipſe deinde Carolus tamdiu Deſiderium obſedit, quod hic coactus fuit ſe tradere in manus eius, & ductus ab eo fuit in Franciam, & ſic ipſe Carolus obtinuit Regnum Italiae, quod erat Longobardorum.

PARS III.

Notabilia de rebus Aſtenſium per me Raymundum Turchum collecta, ſeu ſcripta.

De Privilegio a Carolo Magno conceſſo Civitati Aſtenſi.

CAPUT I.

QUae nos ab electione S. Evaſii hucuſque diximus, accepimus ex Memoriali Thomae Auriculae, qui illud finivit deplorando infortunia Regis Deſiderii, & Longobardorum. Quae vero impoſterum dicemus, accepta ſunt ex libro Catenato, & aliis ſcripturis archivii, vel audita ab iis, qui illis interfuerunt, aut noſtris temporibus evenerunt. In praefatis igitur ſcripturis de eodem Carolo habetur, quod mortuo praefato Duce Raymundo nullum alium Ducem Aſtenſem pro eo conſtituit, ſed voluit, ut eodem modo Aſtenſis Civitas ſe gubernaret, quo aliae Civitates Longobardiae. Unde cum ipſe Carolus anno DCC. Salutis Romae a Summo Pontifice factus fuiſſet Imperator Romanorum, & Auguſtus acclamatus; indeque rediens perveniſſet Papiae, Civitas Aſtenſis miſit ad eum ſuos Ambaſciatores, qui nomine ipſius Civitatis illi gratularentur de nova dignitate, & offerrent illi quinque millia ſolidos auri; & ipſe Carolus, ut oſtenderet ſibi eſſe gratum hunc Civitatis affectum, & volens ipſius commodo & honori, ac etiam publicae utilitati proſpicere, per ſuum praeceptum datum Papiae anno Imperii primo,

&

Digitized by Google

& Regni ſui in Italia XXVIII. Indictione IX. ideſt anno Salutis DCCCIXV. Kal. Julii, conceſſit eidem Civitati, ut bis in anno celebrarentur in ea nundinae per XXX. dies a die X. Martii, & XVIII. Octobris cum magnis privilegiis pro ipſa Civitate, & pro mercatoribus venientibus ex quacumque Mundi parte, quia, ut ipſe dicit, ſitus ipſius Urbis eſt maxime commodus Italiae, Germaniae, & Galliae, & venientibus per mare.

De Roſerio Aſtenſi Epiſcopo.

CAPUT II.

CUm Saraceni ex Hiſpania veniſſent ad litora noſtri maris, & Niciam Provinciæ cepiſſent, ac vaſtaſſent, firmaverunt ſuam habitationem in loco, qui Fraxinetum dicebatur, parum ab ipſa Nicia diſtante, quia ibi eſt grandis portus, ad quem libere ex Africa, & Hiſpania veniebant; & a parte terrae erat magna & horrida ſylva, a qua locus Fraxinetum vocabatur, & valde tutus reddebatur; ex quo exeuntes multa mala, & damna faciebant; non ſolum locis intra montes, & mare conſiſtentibus, ſed etiam in Pedemontio. Nam per Collam Tendae deſcendentes per ipſum excurrebant, omnia depraedantes, & homines etiam, & maxime perſonas religioſas occidentes. Quibus malis cum noſtri Reges in Francia morantes non providerent, Epiſcopi Aſtenſis, & Taurinenſis, ſub quorum dioeceſibus erant ipſa loca a Saracenis infeſtata, coeperunt hortari ſuas Civitates, & populos, ut exercitum congregarent, & contra illos pugnarent, offerentes ſe pro Ducibus: & Roſerius, qui tunc erat Epiſcopus Aſtenſis, acceptis ab ipſa Civitate tribus millibus peditum, & equitum magno numero, & ex aliis locis collecta magna multitudine militum contra eos ivit; & Claudius Epiſcopus Taurinenſis idem fecit ex parte ſua, & tam citra Collam, quam ultra eam pluribus vicibus cum eis pugnarunt, & tot ex eis occiderunt, ut deinde per multum tempus alios moleſtare auſi non fuerint. Idem etiam Roſerius cum domum reverſus audiviſſet, a Saracenis, qui ex Africa venerant, obſideri Savonam, congregato ex Civibus, & hominibus Dioeceſis novo exercitu contra eos rurſum ivit, & eos fugavit, ac Savonam liberavit, ſed dum reverteretur Aſtam ſuperveniente infirmitate quievit in Domino.

De Berengario Rege.

CAPUT III.

POſt mortem Caroli Craſſi, qui ultimus fuit ex his, qui de ſtirpe Caroli Magni hoc Regnum tenuerunt, factus fuit Rex Berengarius Dux Forojulienſis, & Veronenſis. Sed ſtatim habuit competitorem, nempe Vidonem Ducem Spoleti. Unde cum uterque ſtuderet Regni Civitates ad ſuam partem trahere, Aſtenſes partem Berengarii ſunt ſequuti, quia hujus cauſſa juſtior eis videbatur; & ſic continuo auxilium ipſi praebuerunt, mittendo ad eum milites, & ſubminiſtrando pecunias. Pro quibus rebus ipſe conceſſit Aſtenſibus varia privilegia, & remiſit eis diverſos redditus, & rura, quae erant Regibus reſervata; praeſertim . . . . . & pedagia, & ſtatuit, ut eidem Civitati perpetuo ſubditae, & unitae manerent Plebes, ſeu Villae diſtrictus ipſius Civitatis; & ipſe Rex quo tempore pacifice regnabat, aliquoties in ea habitavit, & in colle ultra Tanarum uno milliari diſtante ab Urbe aedificavit Caſtrum illud, quod ideo Caſtrum Berengarii appellatur. In ipſa praeterea Civitate aedificavit Monaſterium S. Anaſtaſii pro Monialibus S. Benedicti; & ſub Azarro Eccleſiam S. Bartholomaei cum Monaſterio pro Monachis ejuſdem Ordinis, & utriſque conceſſit multa bona, & privilegia. Quod etiam fecit Eccleſiae Majori Aſtenſi, ac aliis Eccleſiis, ac multis nobilibus. Etſi autem eſſet Princeps valde pius, & humanus, fuit tamen parum fortunatus. Nam aliquoties fuit Regno ejectus, & tandem iniquiſſime, & proditorie a quodam ſuo Compatre occiſus. Reliquit autem filium ejuſdem nominis, & fortunae, ac affectus in Aſtenſes. Nam cum Regnum obtinuiſſet, illo etiam fuit privatus, & Eccleſiae Aſtenſi ipſe dedit oppidum Quadringenti, cui Eccleſiae Aſtenſi, ſeu ejus Epiſcopo Hugo Comes Arelatenſis, qui poſt Berengarium regnavit, dedit Caſtrum, quod Brennus aedificaverat; & dicitur Caſtrum vetus, ſeu S. Aniani, in quo antea habitabant Duces Aſtenſes, & poſt eos Comites, & alii Judices, quos Reges pro cognoſcendis ſecundis cauſſis mittebant. Unde ex eo tempore Epiſcopi Aſtenſes in ipſo Caſtro habitare coeperunt.

De

Digitized by Google

De malis factis ab Hungaris in Paese Astensi.

CAPUT IV.

DUrantibus dictis discordiis inter Reges, seu ad Regnum aspirantes aliud malum magnum etiam haec pars Italiae passa fuit. Nam Hungari Lombardiam ingressi aliquo tempore per eam excursiones fecerunt, loca depopulantes, Ecclesias demolientes, & personas maxime sacras occidentes. Hi Hungari cum contra Astam veniissent, per dies quadraginta eam obsederunt, & interea vicinas Villas Civitatis, & propinqua Castra spoliaverunt, ac vastaverunt. Inde postea discedentes, quod capere eam non possent, ultra Tanarum progressi plura loca invaserunt, ac spoliaverunt, & maxime Curtemilliam, & in reditu Braydae, & Podivarino idem fecerunt.

De ruina, quam Civitas Ast passa fuit a Saracenis.

CAPUT V.

DUm Berengarius, & alii, ut dictum est, de Regno contenderent, Saraceni, cum ex Fraxineto ejici non potuissent, vires rursum accipientes propter portus commoditatem, iter Pedemontium infestare coeperunt, & eorum potentia, & audacia ita crevit, ut ultra Padum etiam excursiones facerent, & semel usque ad Abbatiam Novalitii pervenerunt, & eam expoliaverunt, ac Monachos, qui in ea remanserant. Quod cum audissent Astenses, congregato statim exercitu illis paraverunt insidias. Et cum Saraceni nihil tale timentes cum praeda flumini Sturiae appropinquassent, Astenses ipsos invaserunt, & multis occisis coegerunt illos abjecta praeda fugam capere. Sed cum Astenses, ut quaedam colligerent huc illucque dispersi, & sine metu discurrerent; Saraceni cum copiis, quae illis obviam veniebant, illos sunt aggressi, & similiter ex eis partim occiderunt, partim fugaverunt. Et sperantes se invenire Civitatem Astensem sine militibus & imparatam, consignata aliquibus Cohortibus praeda, ut in tutum ponerent, ipsi tanta celeritate versus Astam venerunt, ut eam fere sine certamine ingressi fuerint, & domos plurimas expoliaverint, & repertos in eis occiderint, ac in multis aliis ignem iniecerint. Inter alia autem damna, quae dederunt Civitati, illud praecipuum fuit, quod Archivium Communis combusserunt, itemque Bibliothecas Monachorum SS. Apostolorum, & Monasterii S. Benedicti, seu S. Michaelis, in quibus erant millia voluminum. Quotquot etiam lapides inscriptos viderunt, eos fregerunt, & plura alia mala feciissent, nisi timor Civium, & vicinorum populorum, qui contra eos congregabantur, eos fugere coegisset.

Quomodo Episcopus Albae unitus fuerit Astensi.

CAPUT VI.

TEmpore, quo Saraceni loca montibus vicina tam ultra, quam citra eos infestabant, & vastabant, pluribus vicibus Albam iverunt & taliter eam depopulati sunt, ut jam nemo quasi in ea habitaret. Episcopus tamen ipsius vir piissimus nunquam voluit eam deserere. Unde cum non inveniret, qui bona Episcopatus colerent, nec aliter ei subvenirent, cogebatur ipsemet ea laborare, ut posset inde vivere. Cum igitur Otho Magnus hanc partem sui Regni visitaret, & Albae propinquaret, ostensus ei fuit ab aliquibus idem Episcopus in quodam campo laborans. Quae res cum ei multum indigna visa fuisset; ubi Romam pervenit, hoc narravit Summo Pontifici, qui scripsit Archiepiscopo Mediolanensi, ut congregaret consilium suorum Suffraganeorum, & illi Ecclesiae pro ut melius videretur, provideret. Cum igitur consideratum fuisset, quod ob desolationem ipsius Albensis Civitatis Episcopus illius non poterat decenter se sustinere, conclusum fuit, ut ille Episcopatus uniri deberet Episcopatui Astensi. Quod cum factum esset, Episcopus Astensis illius administrationem suscepit. Et Episcopus ille Albensis, qui fuerat ex Monasterio Bremensi assumptus, libenter ad istud rediit. Episcopus autem Astensis tanta sollicitudine dicti Albensis Episcopatus bonum procuravit, Episcopatus sui pecunia bona illius ad culturam reducendo, & perdita recuperando, & aedificia restaurando, ut infra non multum tempus unus Episcopus potuerit decenter vivere. Et sic de novo Albensi Civitati fuit proprius Episcopus concessus.

De

Digitized by Google

De Arduino Rege, & Alderico Epiſcopo Aſtenſi.

CAPUT VII.

DEfuncto Othone tertio Imperatore ſine filiis Arduinus, ſeu Hurduinus, qui erat Marchio Hiporediae, ad Regnum Italiae aſpirare coepit, & multi in hoc illi favebant; quorum auxilio cum Papiam fuiſſet ingreſſus, tanquam Rex ibi acclamatus, & coronatus fuit. De qua re indignatus Archiepiſcopus Mediolanenſis, qui praetendebat, quod ad ſe ſpectaret Regem Italiae confirmare, & coronare, invitavit ad capiendum ipſum Regnum Henricum Secundum; qui cum veniſſet in Italiam, & in ea non potuiſſet permanere ob bella in Germania contra eum exorta, Arduinus eo magis procuravit ſe in Regno ſtabilire. Et cum eo tempore mortuus fuiſſet Epiſcopus Aſtenſis, Arduinus, ut ipſam Civitatem in ſua devotione haberet, & retineret, venit in Aſt; & intruſit in ſedem Epiſcopalem Aldericum fratrem Manfredi Marchionis Secuſiae, & ille ſe a Summo Pontifice conſecrari procuravit. Ex qua re magna diſcordia in Civitate orta eſt. Nam Clerici, & alii, qui jus eligendi Epiſcopum retinere volebant, non poterant pati, quod illud ſic violaretur, & ideo ipſum Aldericum nolebant pro legitimo recognoſcere: & ex alia parte plerique nobilium, & alii, qui Arduino, & Manfredo favebant, illum acceptabant, & protegebant; & quia armis prævalebant, ceteri hanc injuriam tolerare coacti ſunt; donec Rex Henricus poſt aliquot annos in Italiam rediens Arduinum omnino debellavit; ita ut Arduinus confuſus, & ab omnibus derelictus ad Monaſterium Fructuarienſe confugerit, & inter illos Monachos reliquum ſuae vitae egerit. Tunc enim cum Archiepiſcopus Mediolanenſis cum exercitu ſub Aſtam veniſſet in hac diſſenſione Civium maxime confiſus, Clerus cum reliquis ſibi conſentientibus coepit inſtare Alderico, ut Epiſcopatum liberum relinqueret. Et cum alii vellent ipſum manutenere, & Archiepiſcopo reſiſtere, ventum eſt ad arma, & praevalente, aliqui nobiles faventes Alderico fuerunt occiſi, quorum unus fuit Joannes Matthaeus Pater meus. Tandem cum nobilitas non poſſet reſiſtere, ſe interponentibus quibuſdam ex eiſdem nobilibus, qui neutrales permanſerant, concluſum fuit, ut Aldericus, qui alioquin digniſſimus habebatur, & ab omnibus diligebatur, a Populo in Epiſcopum peteretur, & a Clero eligeretur; & deinde tanquam legitime electus exiret ad petendam confirmationem ab Archiepiſcopo; & pro ut inter eos conveniſſet, illi ſatisfaceret. Quae executioni ſtatim fuerunt mandata. Nam poſtquam Aldericus fuit inſtante populo a Clero electus, cum Marchione Manfredo exivit ad Archiepiſcopum, cum quo convenit, quod iret Mediolanum, & in habitu ſimplici Eccleſiam, in qua eſſet Archiepiſcopus, ingrederetur, & ab eodem inſignia Epiſcopalia in ſignum confirmationis acciperet. Quibus peractis, & Aſtam reverſus, cum maxima laetitia, & veneratione a Civibus omnibus receptus fuit, & ipſe in ſuo munere taliter ſe geſſit, ut non modo pro generoſo Principe, & digniſſimo Epiſcopo, ſed etiam pro Sancto viro haberetur, & ipſe diverſis Eccleſiis de ſufficientibus redditibus providit, & Eccleſiae S. Aniani praeſertim; in qua Collegium Canonicorum inſtituit.

De Uberto Epiſcopo Aſtenſi.

CAPUT VIII.

ALderico beatae memoriae Taurini vita functo, orta fuit ob eandem cauſſam nova diſcordia in Civitate. Nam cum inter Conſiliarios Imperatoris Conradi eſſet quidam Eccleſiaſticus nomine Ubertus, eidem Conrado valde charus, ſine partecipatione Cleri, & populi fuit ipſe Ubertus ab eodem Conrado in Epiſcopum Aſtenſem electus. Quam rem Cives ſuorum jurium zelatores, eo magis indigne ferebant, quod videbant ex hoc novo exemplo ſequi, quod idem deinde alii Reges eſſent facturi; & ideo ſtatuerunt nullo pacto eum recipere, ſed alium juxta antiquum morem eligere. Unde cum Cives, qui erant Vaxalli Regis, vellent id quod Rex fecerat ſuſtinere, & ipſum Ubertum pro Epiſcopo acceptare, ad arma inter Cives ventum eſt; ſed cum eo ipſo tempore Papa Benedictus IX. in Lombardiam veniſſet, & eodem tempore Conradus de facto privaſſet ſuo Archiepiſcopatu Archiepiſcopum Mediolanenſem, qui volebat

Digitized by Google

antiquum morem electionis servari, idem Conradus obtinuit a Papa, quod Vice-Archiepiscopus ipsum Ubertum consecraret. Quod cum feciſſet Papa, & eum legitimum declaraſſet, & Astensibus juſſiſſet, ut eum pro tali habere, & recipere deberent, Astenses ob obedientiam, & reverentiam Papae debitam ipsum Ubertum in urbem, & in Episcopum acceperunt.

De Privilegio a Conrado Astensibus conceſſo.

CAPUT IX.

ETiamsi Posse Civitatis Astensis satis late pateret, ipsius Civitatis territorium tamen valde anguſtum semper fuit propter multitudinem & vicinitatem Castrorum, quae a diverſis familiis Civium in feudum a Rege tenentur, ultra quod magna pars ejusdem territorii propter diverſorum Civium pietatem facta paulatim fuerat Eccleſiarum. Quapropter maxima pars Civium non poterat se ſuſtentare niſi vacando mercaturae, cujus rei magnam commoditatem praebebant duae nundinae, quae in ipsa urbe a Carolo Magno inſtitutae fuerant: & ipsemet ſitus Civitatis, qui a reliqua Italia, a Germania, & Gallia fere aequaliter diſtat, & mari eſt proximus. Verumtamen ſive propter invidiam, ſive propter avaritiam dominorum, & officialium locorum, per quae illis erat tranſeundum, aut portandę merces, multa aggravia mercatores Astenses patiebantur. De qua re cum multas querimonias Civium audiſſet Ubertus Epiſcopus, ut hac occaſione Civium animos ob praejudicium paſſum in ejus electione offenſos ſibi benevolos redderet, Conradum Regem adivit, & ab eo obtinuit ampliſſimum privilegium, in quo ſub poena centum librarum auri mandatur, ut nullus Dux, Marchio, Comes, aliave quaevis perſona cujuſcumque dignitatis, vel gradus per totum Regnum, & Imperium audeat, vel praeſumat aliquam violentiam, ſeu moleſtiam inferre mercatoribus Astenſibus, nec aliquid ab eis exigere praeter Thelonea, quae ceteri mercatores Regni ſolvere ſolebant.

De Henrico Imperatore, & Amedeo Comite.

CAPUT X.

HEnricus Conradi Imperatoris filius in Italiam veniens ab Amedeo Comite cum multo honore, & magnificentia receptus, ac tractatus fuit. Cum vero deinde Astam veniſſet, per tres dies hoſpitatus fuit in Monaſterio SS. Apoſtolorum ad burſam Communis Astenſis. Amedeus autem inſtare coepit ipſi Henrico, ut ipsam Civitatem in feudum ſibi concederet. Ipſe vero Henricus, etſi libenter Amedeo complacere cuperet; conſiderans tamen quod magis utile Imperio, ſeu Regno eſſet, quod ab ipſo Rege immediate dependeret, illi minime aſſentiri voluit, allegans, quod jam ab Astenſibus acceperat triginta millia libras argenti, ut ejus conſuetam libertatem, & omnia privilegia, & jura, quae a Regibus ipsius anteceſſoribus illis conceſſa fuerant, confirmaret, & quod etiam per ſuum praeceptum datum in ipſo Monaſterio ipſe jam hoc fecerat.

De bello inter Mediolanenſes, & Papienſes.

CAPUT XI.

POſt mortem praedicti Henrici, cum filius ejus adhuc puer, & ſub tutela matris eſſet, & ſic Civitates Regni quodammodo eſſent ſine Rege, aliquae ex eis alias ſibi ſubjugare cogitare coeperunt; & Civitas Mediolanenſis praecipue confiſa in multitudine populi ſui, conata fuit Papiam ſibi adeo vicinam ſubjugare. Quod ut praecaverent Papienſes, non ſolum cum omni ſuo exforcio ſe defendere ſtatuerunt, ſed oratores ſuos ad alias Civitates miſerunt, per quos illis repraeſentarunt: quod ſi Mediolanenſes Papienſes ſubjugaſſent, de aliis etiam idem facere procurarent, & ſic paulatim totam Lombardiam ſibi ſubjicerent. Quod audientes Astenſes prius propoſuerunt Papienſibus, quod melius foret videre, ſi Mediolanenſes quieſcere vellent, & ſe obtulerunt mittere nuntios ad ipſos Mediolanenſes, qui ſi Mediolanenſes contra ipſos Papienſes aliquam querimoniam haberent, ſe intermitterent, ut eos concordarent. Quod cum Papienſibus placuiſſet, & Astenſes Oratores ſuos ad Mediolanenſes tamquam ad communes amicos miſi-

Digitized by Google

miſiſſent, iſti illos irriſerunt, & contempſerunt. Unde Aſtenſes irritati judicaverunt eſſe omnibus viribus adjuvandos Papienſes; & ſic in horum auxilium miſerunt quinque millia pedites, & mille equites. Papienſes igitur cum etiam ab aliis Civitatibus auxilia accepiſſent, iverunt obviam Mediolanenſibus; & cum uterque exercitus ad generalem pugnam veniſſet; Mediolanenſes tamquam victi ab ipſa recedere, & Papienſes in pace relinquere coacti ſunt. Papienſes ergo ſuis auxiliatoribus magnas gratias egerunt, & praeſertim Aſtenſibus, non ſolum quia eorum adjutorio praecipue vicerant, ſed etiam quia ipſi Aſtenſes dum irent in eorum auxilium, expugnaverunt Lumellum, & Caſtrum S. Angeli, quae Mediolanenſes detinebant, & illa Papienſibus remiſerunt. Perierunt autem de Aſtenſibus in ipſa pugna circa tercentum.

De Gilermo Aſtenſi Epiſcopo, & Amedeo Comite.

HIc Gilermus, ſeu Girlemus pacifice electus fuit, & primis annis ſatis digne ſe geſſit; ſed deinde cum ab Henrico Rege, ſeu ab ejus matre Agnete obtinuiſſet, ut in Civitate Aſtenſi eſſet illius Miſſus, ſeu Nuntius loco Comitis Palatii, qui pro Rege ſolebat Papiae reſidere, coepit eo praetextu ambire dominium Civitatis, & praetendere diverſos redditus, & jura, quae antea erant Regi reſervata, & ipſis Civibus fuerant a Berengario conceſſa, & a diverſis ſucceſſoribus Regibus confirmata. Et cum eodem tempore in Lombardia orta eſſet inter Eccleſiaſticos haereſis Nicolaitarum, qui etiamſi eſſent Subdiaconi, imo etiam Sacerdotes & Epiſcopi, volebant uxores ducere contra votum caſtitatis & ſacros Canones; & plures Epiſcopi etiam haereſim ſequerentur, & nominatim ipſe Girlemus, qui propterea cum aliis a Papa Nicolao excommunicatus fuerat, Aſtenſes ne ipſius exemplum alii ſequerentur, & ſic infinitae rixae & lites inter ipſos, & laicos orirentur, ipſum noluerunt amplius recognoſcere pro Epiſcopo, nec permittere, ut in Urbem ex Caſtro intraret, imo cum nec inde ceſſarent ſcandala in urbe, excitare Caſtrum ipſum coeperunt, & tamquam haereticum, & Papae rebellem ipſum ex illo exire cogerunt. Quapropter ipſe Girlemus ad Amedeum Comitem recurſum habuit; & taliter de Aſtenſibus conqueſtus eſt, quod ipſe Comes credens, quod injuſte & contra obedientiam a Fidelibus Epiſcopis debitam illum ejeciſſent, bono zelo ductus, collecto exercitu venit contra Aſt, & coepit in ejus Poſſe aliqua hoſtiliter agere, ut cogeret Aſtenſes ad illum recipiendum. Sed cum Aſtenſes ad eum miſiſſent Oratores, a quibus intellexit cauſſas, propter quas id egiſſent, tractavit cum eis, ut ipſum Gilermum acceptarent, promittendo pro eo, quod illam haereſim relinqueret, & Cives non perturbaret in poſſeſſione praedictorum jurium, quae ipſe Comes ſciebat fuiſſe a Regibus Civitati conceſſa, & ita Gilermus fuit acceptatus.

Quomodo Aſtenſes Civitatem Pollentiae omnino diruerunt.

CAPUT XIII.

LIcet Civitas Pollentiae fuiſſet ab Alarico Rege capta, & deſtructa, eodem modo ac Aſtenſes, quia tamen illius habitatores omnes incolumes evaſerant, & quia remotior erat a Mediolano, & Papia, ubi Romani, & Gothi longo tempore deinde inter ſe pugnaverunt, & proinde ab exercitibus non erat ita afflicta, ac Civitas Aſtenſis; multo facilius & citius ſe inſtauravit, & antiqua moenia refecit, aliiſque modis ſe munivit, ita ut etiam multo tardius a Longobardis ſubjugari potuerit. Unde cum deſtructa Guarena ſublatus quodammodo fuit terminus, qui ipſarum Civitatum fines, ſeu Poſſe dividebat, Pollentini ſemper deinde conati ſunt ſuos fines verſus Aſtam extendere. Ex qua re quando Italiae Reges propter varia bella non potuerunt Regnum in pace continere, inter utramque urbem plura bella ſunt ſuſcitata, in quibus nunc Aſtenſes, nunc Pollentini praevaluerunt. Noviſſime autem hoc praecipue accidit cum propter pueritiam Regis noſtri Henrici, Civitatibus Regni quodammodo licebat, quibus vellent, bellum movere. Nam a principio Regni ipſius Henrici inter utramque urbem bellum renovatum fuerat ob finium controverſiam; & cum de anno ML. facta fuiſſet tregua inter ipſas, Pollentini ipſa durante machinati ſunt quomodo poſſent Aſtenſem Civitatem omnino deſtruere, & ſic non ſolum ſuos fines ampliare

re, ſed omnia loca ab illa dependentia, & ipſammet Civitatem ſuo dominio ſubjicere, & unire; & ideo ſecreto convenerunt cum habitatoribus vicinarum Vallium & locorum inter ipſos, & Alpes, ac Apenninum, ut certo die omnes Pollentiam armati concurrerent, ut Aſtenſem urbem ex improviſo invaderent, & ex ejus praeda ditarentur. Hoc igitur modo congregato magno exercitu, ita repente venerunt contra Aſtam, ut cum maxima difficultate potuerint cives impedire, ne illam caperent. Quod etiam feciſſent, cum nullis moenibus ſit cincta, ſi ipſe exercitus manere ſub illa potuiſſet. Nam Pollentini confidentes, quod urbem ſtatim eſſent capturi, nulla omnino victualia ſecum tulerunt. Unde cum primo impetu eam capere non potuiſſent, & labore ac jejunio afflicti non audebant ad cibos quaerendos ſe dividere, aut diſpergere, coacti ſunt ab illa recedere. Quam rem conſiderantes Aſtenſes, & timentes, ne quod tunc Pollentini facere attentaverunt, alia vice exequerentur, ſtatuerunt illud facere eorum Civitati, quod ipſi Aſtenſi facere cogitaverant. Et ideo cum a Papienſibus, & Genuenſibus, & aliis confoederatis auxilia accepiſſent, contra Pollentiam cum omni exforcio ſuo iverunt; & cum per aliquod tempus illam obſediſſent, & cum trabuchis in pluribus partibus moenia aperuiſſent, in illam ſunt ingreſſi, & occiſis illis, qui armati reſiſtere eis volebant, & aliis fugientibus ipſam omnino diruerunt; ita quod nullum aedificium in ea manſerit praeter Eccleſiam cum Prioratu Monachorum S. Benedicti, & Caſtrum ipſius Civitatis, quod datum fuerat a Regibus Epiſcopis Aſtenſibus, & meliorem partem materiarum per fluvium Tanari, quando exſcreſcebat, alio portare fecerunt, ex quibus praeſertim Caſtrum vetus, ſeu S. Aniani pro commodiori habitatione Epiſcopi multum auctum fuit, & decretum ſeu ſtatutum fecerunt ſub gravi poena, quod non liceret alicui de Civitate ſeu de Poſſe Aſtenſi aliquod aedificium in eo loco conſtruere, niſi tantum caſſinas pro habitatione Maſſariorum. Itaque Cives Pollentini ad alia loca habitationes ſuas traſportaverunt, & praecipue ad Cheiraſcum, & Braydam.

De Gilermo Epiſcopo, & Comitiſſa Alaxia.

CAPUT XIV.

POſtquam Gilermus Epiſcopus fuit, ut ſupra dictum eſt, in Civitatem receptus, per aliquod tempus, prout promiſerat Comiti Amedeo, & Civibus, ſeſe a turpitudine Nicolaitarum abſtinere ſimulavit. Sed deinde non ſolum ad eandem rediit, ſed in aliud malum ejus majus incidit. Nam cum Curiales Regis Henrici contra legitimum Papam Alexandrum curaſſent eligere Antipapam quemdam Cadalaum, qui Honorium ſe appellabat; miſer Gilermus, ut liberius poſſet in ſuo peccato perſeverare, eidem Antipapae adhaeſit, & ſchiſma fovere coepit. Ob quas cauſſas Civitas Aſtenſis de novo recuſavit eum pro Epiſcopo tenere, & etiam illi ingreſſum in Urbem prohibere. Ipſe igitur ut auxilio Imperatoris poſſet ſuo Epiſcopatu frui, ſe tranſtulit ad illius Curiam: ubi cum multo tempore manſiſſet, tandem remiſſus fuit ad Comitiſſam Alaxiam, ſeu Adelaſiam ipſius Imperatoris propinquam; quam ut magis Gilermus moveret ad praebendum ſibi tale auxilium, quod poſſet Aſtenſes in ſua obedientia continere, ceſſit ei Theloneum Civitatis, & Mercatum, & Diſtrictum ipſius Civitatis, quae ipſe antea praetendebat; dicens quod haec fuerant a quibuſdam Imperatoribus Epiſcopis Aſtenſibus conceſſa, ſeu donata. Quod cum placuiſſet Comitiſſae, ipſa ex ſuis Subditis, & ex aliis, qui partes Henrici ſequebantur, magnum congregavit exercitum, & a Gilermo admiſſa in Caſtrum, quod illi reſtitutum prius fuerat, per illud introduxit exercitum in Urbem, & cum illum diverſas partes ipſius tenere Comitiſſa vidiſſet, incoepit tractare cum Civibus, ut Epiſcopum acceptarent, & etiam ſibi de redditibus Thelonei, & Mercatus, ac Villarum diſtrictus reſpondere contenti eſſent. Sed cum Cives dicerent ſe fore paratos ipſum Epiſcopum, prout conveniens erat, recognoſcere, dummodo id quod antea promiſerat Comiti Amedeo, obſervaret, ſe continendo ab errore Nicolaitarum, verumtamen quod nunquam conſentirent privari ſuam Civitatem illis redditibus, ac juribus, quae a Regibus fuerant illi conceſſa, ſeu potius vendita, & eodem modo pluries confirmata;

Digitized by Google

mata ; tum Comitiſſa coepit minari , quod Civitatem ſuccendere faceret , niſi ſibi conſentirent . Sed cum Cives eo metu minime moverentur , & paratos ſe dicerent omnia potius perpeti , quam talia jura amittere ; ipſa magna excandeſcentia , ac furore correpta fecit a ſuo exercitu in omnibus partibus Civitatis ignem mittere , & diſceſſit . Cum vero ad Portam arcus perveniſſet , ut ei oſtenſa fuit quaedam inſcriptio alludens ad illam Aſtam Pallantis in muro poſita , ita dicens :

Tanus a Gomero genitus genuit mihi nomen antiquū. Mox Aſta nomen dedit . Inde vocata ſum Vindex ; Namque injurias ulciſcor acerbe .

De ea re fuit ipſa Comitiſſa indignata , & ſibi nomen vindicis magis convenire dicens , juſſit lapidem martellis frangi , & e muro tolli , & in ejus loco ſcribi in muro hunc verſum .

Aſta jugum ſubiit : nuncque eſt Alaxia Vindex .

Verumtamen ubi ipſius exercitus elongatus fuit , Cives in Urbem reverſi ipſam inſcriptionem deleverunt .

De electione Ingonis Epiſcopi .
CAPUT XV.

COmitiſſa Alaxia poſtquam faciendo comburi Civitatem Aſtenſem oſtendiſſet , quam verum ſit id , quod dicit Scriptura : non eſt ira ſuper iram mulieris ; in ſe reverſa de hoc facto tam indigno Principiſſa , quae propter ſuam pietatem ab omnibus celebrabatur , tantum confuſa remanſit , ut ad loca frequentata redire erubeſcens , ſtatim profecta fuerit ad quemdam Pagum Caſellae dictum , & ibi aliquo tempore veluti abſconſa manſerit . Ex alia parte Aſtenſes conſiderabant , quantum utile , imo neceſſarium eſſet ſuae Civitati illius bonam gratiam recuperare . Nam cum ipſius Cives praeter feudatarios Regni omnes mercatura praecipue ſe ſuſtentarent , & hanc praecipue exercerent in Galliis , ad quas ire non poterant , niſi tranſeundo per loca ipſius Comitiſſae ; & praecipue per vallem Secuſiae , & Pinerolii ; propterea omnem occaſionem quaerebant illam placandi , ac ſibi propitiandi , ut praecipue liberum tranſitum , & commercium per ejus loca obtinerent . Quare cum ipſa haberet quemdam ſuum cognatum Eccleſiaſticum ſcientia , & dignis moribus ornatum nomine Ingonem , ſeu Ugonem , qui illi cariſſimus , & conſiliarius ſuper alios omnes erat ; & Gilermus omnibus inviſus mortuus fuiſſet ; non multum poſt dictam combuſtionem Civitatis , Aſtenſes fecerunt ſignificari eidem Comitiſſae , quod ſi ipſa hoc gratum haberet , eumdem Ingonem in ſuum Epiſcopum elegiſſent ; ex qua re ipſa multum fuit exhilarata , cum potius credidiſſet quod Aſtenſes occaſionem vendicandi accepta damna eſſent quaeſituri ; & oſtendit quod iſtud illi gratiſſimum eſſet futurum . Unde Aſtenſes cum Clero egerunt , ut praedictus Ingo in epiſcopum Aſtenſem eligeretur , in quo munere ſe optime geſſit , & per eum Aſtenſes quidquid voluerunt a praefata Comitiſſa impetrarunt .

De Othone Epiſcopo Aſtenſi , & Comitiſſa Alaxia .
CAPUT XVI.

CUm Ingo novem annos Epiſcopatum Aſtenſem tenuiſſet , & laudabiliter vixiſſet , in fine anni MLXXIX. ex hac vita migravit ad aliam . Aſtenſes vero , ut magis etiam Comitiſſam Alaxiam ſibi obligarent , in illius locum elegerunt Othonem filium Othonis Marchionis , & ipſius Alaxiae . Quod tamen Aſtenſibus valde damnoſum fuit . Nam cum eadem Comitiſſa filium ſuum ad capiendum poſſeſſionem Epiſcopatus comitata fuiſſet ; Cives cum omni honore illam receperunt ; & exiſtimantes quod ipſa Civitas tam magnae Principiſſae praeſentia multum honoraretur , illam tamquam dominam omnes venerabantur ; & nobilitas omnis illius domum frequentabat ; & cum exiret , illam comitabatur . Ipſa vero cum idem Epiſcopus ad curiam Imperatoris ſtatim ſe tranſtuliſſet , conata fuit obtinere per eum dominium ipſius Civitatis . Et cum Honorius reſpondiſſet ſe hoc facere non poſſe ; quia ipſe Aſtenſibus (qui ad hoc magnam pecuniarum ſummam pro more exburſarant) confirmaverat libertatem gubernandi ſuam Civitatem , cum villis ipſius diſtrictus , & omnia , quae Reges , & Imperatores ipſius anteceſſores illis conceſſerant , ſeu confirmarant ; obtinuit ab eo quoddam dominium , & juriſdictionem ſuper loco Comitatus ejuſdem Civitatis . Quod cum intellexiſſent nobiles Domini eorundem locorum , ſeu caſtrorum , valde contra eam indignati ſunt , & ſe ſe illi oppoſuerunt ; non ſolum recuſando illam

in

Digitized by Google

in aliquo recognoſcere, ſed prohibendo ſuis ſubditis, ne in aliquo hoc facerent, probantes per ſuas Inveſtituras, quod ipſi erant immediate ſubditi Regis, ſeu Imperatoris, tamquam illius Fideles, & Vaxalli, & quod illi ſoli homagium reddere debebant; & quod ipſorum ſubditi non niſi ipſos pro immediatis dominis, & Imperatorem pro ſupremo dominio recognoſcere deberent. Et ſic inter ipſos Nobiles, & Comitiſſam orta fuit altercatio cum damno totius Civitatis. Nam cum homines Comitiſſae viderent Civitatem favere ſuis Nobilibus; & ideo non poſſe eam praevalere, XV. Kal. April. anni MLXXXXI. poſuerunt ignem in multis domibus, qui flante vento maximam partem Civitatis vaſtavit. Unde ipſa Comitiſſa inter confuſa diſcedens ad ſua paterna loca ſe contulit.

Finis Memorialis Raymundi Turchi.

Hic Raymundus cum obiiſſet, ſepultus fuit in Eccleſia S. Antonii, quae nunc dicitur S. Auguſtini in Burgo S. Mariae Novae, & ſuper illius ſepulcrum poſitum fuit hoc Epitaphium, quod ibi videtur.

Raymundo Turco ex Montis Berſarii & Malae Mortis
Dominis. Optimo Civi. Cui nobilitas Generis
Ad Virtutem ſtimulos addidit. Et
Virtus nobilitatem
Adauxit. Et Glorium comparavit.
Robertus Filius Moerens Optimo & Kariſſimo
Patri. Po. Vixit. Ann. LXXXIX. Obiit. die VII.
Martii. An. Domini MXCII.
Hoſpes funde preces Coelo. Ut requieſcat in Arce.

Et prope hoc Epitaphium poſitum eſt Epitaphium filii ejus Roberti, qui certe fuit vir praeclarus, & multis tam animi, quam corporis dotibus ornatus. Erat enim aſpectu pulcher, in loquela facundus, in negotiis prudens, erga alios Patritios officioſus, erga Nobiles minus divites beneficus, erga populares familiaris. Propter quas dotes cum univerſaliter, & plus omnibus aliis honoraretur, multi ex civibus, qui res Communis adminiſtrabant, ſuſpicati ſunt, quod Civitatis dominium affectaret; & haec ſuſpicio tantum crevit, quod jam inter ſe tractabant de illo mittendo in exilium. Sed Deus providit, ut poſſet longe mitti cum ipſius, & totius Civitatis honore, & Dei ſervitio. Nam cum Papa Urbanus praedicare faceret Cruciatam pro recuperanda Terra Sancta; & Aſtenſis Civitas decreviſſet ſuis expenſis, & militibus in ea concurrere, Magiſtratus conſilio, ut ſe a tali ſuſpicione liberarent, elegerunt eum Capitaneum Generalem ſuarum copiarum; licet alii ex patritiis eſſent magis exercitati in bello; & praeſertim Raymundus Pelletta, qui de hoc indignatus, aliis non expectatis ad ſuam burſam illud paſſagium fecit, in quo magnum nomen aquiſivit. Qualiter autem in illo bello ſe geſſerit Robertus, poteſt intelligi ex tenore dicti ipſius Epitaphii, qui talis eſt.

Roberto Turco Aſtenſi Patritio Copiarum
In Recuperatione Hieruſalem Summo
Pro Aſtenſibus Moderatori. Qui in illo Bello
Ita ſe geſſit. Ut admirari magis
Quam imitari potuerit. Et aliis
Pluribus rebus egregie geſtis. Clariſſ.
Tandem ad ſuperos evecto.
Raymundus Fil. Et Maria Uxor.
Patri & Marito Kariſſ.
P P. P. M.
In Cives ſincera fides Genti utilis omni.

In-Quarto.

CODEX DCXLVIII. *d.* I. 3.

Membranaceus, conſtans foliis 178. ſæculi XIV. eſt PSALTERIUM, cujus verſiculi auro, varioque colore diſtincti.

Præfigitur *Kalendarium Eccleſiaſticum*, & in fine adduntur preces cum *Litaniis Sanctorum*, quæ fere ſimiles ſunt *Carolinis*, quas edidit *Dacherius* Tomo IV. pag. 171. Deſinunt autem *Litaniæ* hac invocatione: *Sancta Fides. Sancta Spes. Sancta Caritas. Sancta Caſtitas.*

Poſtea eſt hæc precatio.

„ Suſcipere dignare Domine Sancte
„ Pater miſericordiſſime hos Pſalmos
„ conſacratos. Quos ego indignus &
„ miſer peccator decantavi in honorem Sanctiſſimi Nominis tui & in
„ commemoratione B. M. ſemper Virginis & Omnium Sanctorum tuorum
„ pro

Digitized by Google

„ pro me indigno peccatore pro Patre
„ & Matre mea & pro conſanguineis
„ & benefactoribus meis. & pro om-
„ nibus fidelibus vivis ſive defontis.
„ Concede Domine Deus ut hi pſal-
„ mi & hę orationes nobis omnibus
„ proficiant ad ſalutem & ad vitam
„ eternam conſequendam te auxilian-
„ te Salvatore Mondi qui cum Patre
„ &c.

CODEX DCXLIX. *d.* I. 4.

Chartaceus, cui folia 11. recentioris ævi, continet *Pſalmos* VI. XXXII. LI. CII. CXXX. CXLIII. ex Hebraica in Latinam linguam ab *Anonymo* interprete translatos.

CODEX DCL. *d.* I. 9.

Membranaceus, conſtans foliis 72. ſæculi XIV. in quo *Libri* SALOMONIS, *Parabolæ*, *Eccleſiaſtes*, *Canticum Canticorum*, *Eccleſiaſticus*, *& liber Sapientiæ*. Præmittitur prologus S. HIERONYMI.

In fine.

Finito libro ſit laus & gloria Chriſto. Deſcripto libro benedicat Jeshus Bernardo.

CODEX DCLI. *d.* I. 11.

Membranaceus, ſæculi XIV. ſub initium, habet folia 84. Eſt POSTILLA *Anonymi* explanatoris in *Evangelium S. Johannis*, cujus initium: *Johannes Evangeliſta unus ex diſcipulis Domini qui virgo electus a Domino eſt &c.*

CODEX DCLII. *d.* I. 12.

Membranaceus, conſtans foliis 261. ſæculi XIV. in quo *commentarius* in univerſam Scripturam, prætermiſſo interpretis nomine. Incipit: *Litterarum Sanctarum Latino interprete beato Jeronimo &c.* De hoc commentario iterum ſermo recurret in Codice *d.* III. 27.

Fol. 185. *pag.* 2. LECTIONES pro *diebus feſtis Sanctorum*.

Fol. 228. De *menſibus, ritibus & diebus feſtis* HEBRÆORUM, nec non de varia interpretandi Scripturam ratione.

Fol. 229. Brevis expoſitio HYMNORUM, qui in Eccleſia recitantur, tacito pariter autoris nomine.

Fol. 240. Tabula omnium verborum *S. Scripturæ* alphabeti ordine digeſta.

CODEX DCLIII. *d.* I. 13.

Membranaceus, conſtans foliis 125. ſæculi XIII. continet GLOSSAM in Evangelium *S. Matthæi*, omiſſo autoris nomine. Incipit: *Cum multi ſcripſiſſe Evangelia leguntur &c.*

Fol. 73. Excerpta e Patribus de VII. *Donis Spiritus Sancti*.

Fol. 75. Compendium *Septem Regularum* TICHONII.

Octo ſcripſiſſe Regulas TICHONIUM, quæ exſtant in *Bibliotheca PP.* editionis *Pariſienſis* ann. 1575. & 1589. affirmat Oudinus Tom. I. pag. 889. Septem vero dumtaxat edidit Andreas Schottus in Tomo V. ejuſdem *Bibliothecæ PP.* editionis *Colonienſis*.

Fol. 76. Sermones varii incerti autoris de *diebus feſtis*. Initium primi eſt: *Panem Angelorum manducavit homo. Non lateat vos reverendi Sacerdotes &c.*

CODEX DCLIV. *d.* I. 17.

Membranaceus, foliis conſtans 84. ſæculi XV. characteris lectu perdifficilis, in quo *Summula ſeu Breveloquium ſuper concordia* NOVI & VETERIS TESTAMENTI. Hanc *Summulam*, ſive *Concordiam*, docet ejus autor *Anonymus*, ſe *ex dictis Joannis Joachimi, aliorumque doctorum* excerpſiſſe, & in quatuor capita tribuiſſe.

Primo itaque agit de *Concordiae Veteris, & Novi Teſtamenti definitione*, ſeu *deſcriptione*.

Secundo de *Concordia aliquarum regionum que continentur in Teſtamento Veteri*, cuius

Digitized by Google

cum aliquibus regionibus & nacionibus que gubernantur ſub Novo.

Tertio, *quibus perſonis hec & alia divina miſteria ſint aperienda.*

Quarto, *de partium ordinatione in hoc opere.*

Summula autem incipit: *Cum non ſit neceſſarium in Divina Revelacione noſce tempora &c.*

Innumeras porro cernere eſt tabellas, inexperta ceteroquin manu depictas, genealogiam *Patriarcharum*, *Regum*, atque *Pontificum* ſeriem, nec non *Apocalypſeos* hiſtoriam referentes.

Fol. 83. Leguntur quidam verſus, quibus præfixus eſt hic titulus: *Iſti verſus qui ſecuntur fuerunt inventi in Eccleſia Sancti Sepulcri anno Domini milleſimo* CCC. *quadrageſimo tercio.*

Continetur iis prædictio malorum, quæ futura ſunt in fine Mundi adventante Antichriſto.

In fine.

F. Franciſcus de Suſa hunc veloci calamo ſcripſit Librum ad laudem Dei. & ad legentium conſolationem anno Domini MCCCCLIX. de menſe Junii Veneciis.

CODEX DCLV. *d.* I. 18.

Membranaceus, cui folia 109. ſæculi XIII. Lectiones continet pro *diebus feſtis Dominicis, & Sanctorum.*

CODEX DCLVI. *d.* I. 24.

Membranaceus, ſæculi XIII. conſtat foliis 190. in quo *opus de Coeleſti*, & *Eccleſiaſtica Hierarchia*; item de *Divinis Nominibus*, & de *Myſtica Theologia*, S. Dionysio Areopagitæ falſo adſcriptum, & a Johanne Saraceno in Latinam linguam e Græco idiomate tranſlatum.

Fol. 1. De *Coeleſti Hierarchia*. Præmittitur prologus Johannis Saraceni ad magiſtrum Johannem Sarisberienſem, cujus initium, *Quoniam prudentię veſtrę ſerenitatem &c.*

Fol. 26. De *Eccleſiaſtica Hierarchia*, præmiſſo pariter prologo Johannis Saraceni ad laudatum Johannem Sarisberienſem, qui incipit, *poſt translationem Angelice Hierarchie &c.*

Fol. 55. De *Divinis Nominibus liber*, inſcriptus Odoni *S. Dionyſii Abbati*, cujus initium, *memor hoſpicii & meę ſponſionis &c.*

Fol. 97. *pag.* 2. *Liber de Myſtica Theologia* ad Timotheum *Epheſi* Epiſcopum, cum præfatione ejuſdem Saraceni ad Odonem *S. Dionyſii* Abbatem, quæ incipit: *Ante miſticam Theologiam Symbolica Theologia eſſet trasferenda &c.*

Eundem librum MS. exſtare etiam in *Bibliotheca Bodlejana* n. CXLVIII. refert Oudinus Tomo I. pag. 1370.

Fol. 100. *Epiſtolae decem*, ſub nomine ejuſdem S. Dionysii Areopagitæ, quæ una cum ſupra memoratis libris editæ fuerunt *Coloniæ Agrippinæ* apud *Quentelium* anno 1536. V. Oudinum Tom. I. pag. 1369. ubi plura de *Johanne Saraceno*, ejuſque interpretatione operum *S. Dionyſii* ſcribit.

Fol. 212. *Tractatus de differentia Mundane Theologie atque Divine. & demonſtrationibus earum.* Incipit:

Judei ſigna querunt. Greci ſapientiam que ſapientia videbatur his qui veram ſapientiam non noverant &c.

Et paullo inferius:

Hec de Theologia dixiſſe ſufficiat propter Jerarchiam Dyoniſii in qua exempla narrationis gratia aliqua dicenda ſuſcepimus. Omnis autem Jerarchia Theologie ſupponitur & neceſſe erat introducendis ad lectionem Jerarchie aliqua de Theologia premittere &c.

Tractatus decem libris continetur, & inter opera S. Dionysii editus fuit *Coloniæ* ann. 1536. Ejus autor creditur ab Oudino loco ſupra citato, & a Roſſotto in *Syllabo Scriptorum Pedemontanorum* pag. 6. Thomas Gallus *Abbas S. Andreæ Vercellenſis*, qui floruit initio ſæculi XIII. extremumque diem clauſit anno 1260. ut conſtat ex ejus epitaphio, quod in ædibus *S. Andreæ Vercellenſis* ſic legitur:

Bis

Digitized by Google

Bis tres viginti currebant mille ducenti
Anni cum Thomas obiit venerabilis Abbas
Primitus iſtius templi ſummeque peritus
Artibus in cunctis liberalibus atque Magiſter
In Hierarchia, nunc arca clauditur iſta
Quam celebri fama vegetavit pagina ſacra.

Obiter notamus, perperam ab Oudino THOMAM GALLUM appellari *Canonicum S. Victoris Pariſienſis*, cum *Ciſtercienſi Ordini* certiſſime fuerit addictus, qua de re legere eſt Roſſottum loco ſupra citato.

CODEX DCLVII. *d.* I. 25.

Membranaceus, ſæculi XIV. cui folia 74. eadem omnino opuſcula continet, quæ in antecedenti Codice deſcripſimus.

CODEX DCLVIII. *d.* I. 26.

Membranaceus, conſtans foliis 230. ſæculi XIII. in quo ORIGENIS *Homiliæ* XVI. *in Geneſim*.

Fol. 69. *pag.* 2. Ejuſdem *Homiliæ* XIII. in *Exodum*.

Fol. 128. *pag.* 2. ejuſdem *Homiliæ* XV. in *Leviticum*.

Eadem ubique interpretatio, quam edidit *Carolus de la Rue*, ſi aliquot excipias variantes lectiones, quæ quidem non magni ſunt momenti.

CODEX DCLIX. *d.* I. 26.

Membranaceus, conſtans foliis 59. ſæculi XV. in quo primum LACTANTII FIRMIANI de *Ira Dei ad Donatum liber*.

Fol. 29. Ejuſdem de *Opificio hominis ad Demetrianum*. Additæ ſunt adnotationes in margine.

Fol. 54. Teſtimonia S. AUGUSTINI, & HIERONYMI de *Lactantio*.

Fol. 56. Verſus perperam LECTANTIO attributi de *Phoenice*. V. Joſephum Iſæum in editis *Lactantii* operibus.

In fine.

Abſolutum per me Petrum de Bonitate hoc volumen idibus Januariis anni MCCCCXLVI. Deo gratias Baſilee. quibus anno & menſe me ab eadem abſentavi.

CODEX DCLX. *d.* I. 27.

Membranaceus, foliis conſtans 213. ſæculi XI. in quo S. AMBROSII de *Virginitate libri tres*. Exſtant in tom. II. *operum* editionis *PP. Benedictinorum*.

Fol. 26. Ejuſdem *liber de Viduis*. Ibidem *pag.* 125.

Fol. 42. Ejuſdem liber quartus de *Virginibus*, qui in editione *PP. Benedictinorum* Tom. II. pag. 213. inſcribitur de *Virginitate*.

Fol. 61. Ejuſdem *Exhortatio Virginitatis*. Ibidem *pag.* 277.

Fol. 76. Ejuſdem *Sermo de* SANCTÆ MARIÆ *Virginitate perpetua*, inſcriptus Tom. II. editionis Pariſienſis *PP. Benedictinorum* pag. 249. de *Inſtitutione Virginis, & de Sanctæ Mariæ Virginitate*.

Hic ſermo in Codice Taurinenſi deſinit iis verbis; *Etenim quae ſe dicit eſſe ſeductam medicatur*, quibus quidem verbis concludi plures alios MSS. Codices affirmant laudati Patres citato tomo II. part. I. *pag.* 256.

Fol. 81. Ejuſdem *liber de Iſaac & Anima*, in quo nonnulla occurrunt parumper ab iis diſcrepantia, quæ edita ſunt in tomo I. pag. 355. ut ſtatim ab initio.

In edit.

In Patre nobis Sancti Iſaac vel origo ſatis eſt expreſſa, vel gratia.

In Cod.

In Patre nobis Sancto Iſaac vel origo ſalutis expreſſa eſt vel gratia.

Contulimus hunc Codicem cum altero, ubi eſt idem liber *de Iſaac, & Anima*, & aliquod inter utrumque deprehendimus eſſe lectionis diſcrimen.

Fol. 103. Ejuſdem *liber de Bono mortis*.

Digitized by Google

mortis. Tom. I. pag. 289.

Fol. 118. Ejuſdem *liber de fuga ſeculi*. Ibidem *pag.* 417.

Fol. 138. Ejuſdem *liber de Jacob, & Vita Beata*. Ibidem *pag.* 443.

Fol. 170. Ejuſdem *liber de Paradiſo*, cui tituli loco præponitur *Scripturæ* textus, & quidem rubro colore diſtinctus, *& plantavit Deus Paradiſum &c.*

Eſt & hìc diſſimilis aliquando lectio, E. G.

In edit. tom. I. pag. 145.

De Paradiſo adoriundus ſermo non mediocrem æſtum nobis videtur incutere &c.

In Cod.

De Paradiſo adoriundus ſermo non mediocrem metum nobis videtur incutere &c.

Fol 201. Ejuſdem *liber de Conſolatione Valentiniani*. Tom. IV. pag. 1178.

CODEX DCLXI. *d.* I. 28.

Membranaceus, conſtans foliis 153. ſæculi XII. in quo primum S. Augustini *Homelie de Caritate in Epiſtole Johannis*, ſive, ut in editis operibus tomo III. pag. 826. *Tractatus decem in Epiſtolam Johannis ad Parthos*.

Multæ ſunt lectionis diſcrepantiæ, ut ſpeciminis gratia initio *Homiliæ II.*

In edit.

Scribo vobis, filioli, quia remittuntur vobis peccata per nomen ejus uſque ad iſtum, qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in aeternum, ſicut & ipſe manet in aeternum &c.

In Cod.

Scribo vobis filioli quia remittuntur vobis peccata per nomen ejus uſque ad id. & mundus tranſit. & concupiſcentia ejus. Qui autem fecerit voluntatem Dei manet in aeternum, ſicut & ipſe &c.

Præterea non idem eſt in Codice, quod in editione *Homiliæ quintæ* principium. Nam

In edit. incipit:

Intente audite, obſecro vos, quia res non minima verſatur in medio &c.

In Codice autem.

Primum præponitur textus Scripturæ: *Omnis qui natus eſt ex Deo non peccat. quia ſemen ejus in ipſo manet & non poteſt peccare quia ex Deo natus eſt &c.* Poſtea ſubjicitur: *filioli non diligamus verbo tantum ſed opere & veritate*, quæ verborum interpoſitio in ſequentibus quatuor Homiliis occurrit. Demum ſunt ea verba: *intente audite obſecro vos &c.*

Fol. 88. *Omeliae* S. Cesarii *Epiſcopi Arelatenſis. qualiter Verbum Dei deſiderari debet vel audiri.*

Homiliæ numero ſunt decem, alio, quam in editis exemplaribus, ordine diſpoſitæ. Nam quæ primas ducit in noſtro Codice, XXVI. eſt in *Bibliotheca Patrum* Tom. VIII. pag. 845. præter variantes lectiones, quæ interdum occurrunt, licet non magni momenti. Tum Homilia, quæ eſt numero decima in Codice, exſtat apud Laurentium Barralium in *Chronologia Lirinenſi pag.* 289. inter *Sermones ad Monachos*. Incipit autem; *Sanctus ac venerabilis Pater vir religioſa quidem humilitate &c.*

Fol. 126. *Sermo* S. Hieronymi *Praeſbyteri de immolacione agni in Sabbato Sancto*: perperam ſane tributus S. Hieronymo, ut ſapienter animadvertunt *PP. Maurini* Tom. V. pag. 198.

Fol. 130. *Sermo in Nativitate S. Mariæ*, cujus initium: *Approbate conſuetudinis eſt apud Chriſtianos &c.* Deſideratur autoris nomen.

Fol. 135. *Sermo* B. Oddonis Abbatis *de Cathedra S. Petri*, cujus initium: *Gaudeo dilectiſſimi de religioſo veſtrę devotionis affectu &c.* editus in *Bibliotheca Cluniacenſi* pag. 127.

Fol. 140. *Sermo in Exaltatione Sancte Crucis*, cujus initium: *tempore illo poſtquam Conſtantino Auguſto &c.* Abeſt autoris nomen.

Fol. 143. *Hiſtoria Inventionis Sancte Crucis*, ſine autoris nomine. Incipit: *Anno ducenteſimo trigeſimo tercio Regnante venerabili Dei cultore magno viro Conſtantino in ſexto anno Regni ejus &c.*

Fol. 149. *Vita* S. Benedicti Abbatis

Digitized by Google

TIS ab *Anonymo* ſcripta. Incipit: *Fuit vir vitę venerabilis gratia Benedictus & nomine &c.*

Fol. 140. *Sermo in Aſſumptione S. Marię*; cujus initium. *Eſt igitur Sancta & Venerabilis Virgo Maria Mater Domini &c.* prætermiſſo autoris nomine.

CODEX DCLXII. *d.* I. 29.

Membranaceus, habens folia 125. ſæculi XIII. in quo primum liber S. AUGUSTINI *Epiſcopi ad Paulinum Epiſcopum de cura pro mortuis agenda*. Exſtat in Tomo VI. operum.

Fol. 24. *Expoſitio* BEDE *Presbiteri in Apocalypſi B. Johannis Apoſtoli*, cum ejuſdem prologo.

Fol. 85. *Evangelice ſententie a* BEATO AUGUSTINO *expoſite*. Inter ſuppoſititia S. Auguſtini opera Tom. VI. edita in appendice.

Fol. 114. *Sententia* S. AUGUSTINI *de Samaritana muliere*.

Fol. 118. Ejuſdem de RESURRECTIONE LAZARI.

Fol. 119. Ejuſdem Sermo de IIII. *virtutibus Caritatis*, cujus initium: *deſiderium caritatis veſtre a nobis exigit &c.* Editus eſt in *appendice* Tomi V. pag. 190.

CODEX DCLXIII. *d.* I. 30.

Membranaceus, conſtans foliis 131. ſæculi XIII. in quo primum S. AUGUSTINI *de Doctrina Chriſtiana libri IV.* quibus præmittitur ejuſdem ſententia de *libro Retractationum*, edita in Tom. III. initio *libri primi*.

Fol 51. *Diſputatio contra Felicianum hereticum*, falſo S. AUGUSTINO adſcripta. VIGILIO *Tapſitano Epiſcopo* adtribuunt *PP. Maurini* Tom. VIII. in *appendice* pag. 39.

Fol. 60. S. AUGUSTINI *liber ad Paullum & Eutropium de perfectione juſticię*. Editus in Tomo X.

Fol. 72. Ejuſdem *liber de Natura & Gratia*. Exſtat cit. Tom. X.

Fol. 92. Ejuſdem *Epiſtola ad Valentinum*, cujus initium: *Venerunt ad nos &c.* Eſt num. CCXIV. in Tom. II. pag. 791.

Fol. 93. Ejuſdem *Epiſtola II. ad eundem Valentinum*, cujus initium: *Creſconium Felicem &c.* n. CCXV. ibidem *pag.* 793.

Fol. 95. Ejuſdem *liber de Gratia & libero arbitrio ad Valentinum Monachum*. Itidem Tomo X.

Fol. 96. Ejuſdem *liber de Correptione & Gratia ad Valentinum Monachum*. Eodem Tomo X.

Fol. 125. *Epiſtola* S. PROSPERI ad *B. Auguſtinum*, cujus initium: *Ignotus quidem tibi facie &c.* Tom. II. *pag.* 821.

Fol. 128. *Epiſtola* S. HILARII *Arelatenſis ad B. Auguſtinum &c.* numero CCXXVI. inter Opera *S. Auguſtini* citato Tom. II. pag. 825.

CODEX DCLXIV. *d.* I. 31.

Membranaceus, ſæculi XIV. cui folia 131. Plurima in eo continentur opuſcula.

Fol. 1. S. AUGUSTINI *Confeſſionum libri XIII.* cum adnotationibus in margine.

Fol. 43. *Liber de Theorica ſpeculatione*, qui S. AUGUSTINO perperam a librario tribuitur.

Fol. 66. *Liber de Spiritu & Anima*, falſo olim S. AUGUSTINO adſcriptus, & quem *PP. Maurini* primum *Hugoni Victorino* abjudicarunt, poſtea *Iſaaco Stellæ Abbati*, genuino ſuo autori, reſtituerunt. V. Oudinum Tomo II. pag. 1145.

Fol. 76. S. AUGUSTINI *lib. contra Manichęos*: inter ejus opera Tom. I.

Fol. 84. Epiſtola *ad Fratres de Monte Dei*, ſub nomine S. BERNARDI: ſed *Guilielmo Abbati S. Theodorici* tribuendam eſſe, multis evincit Johannes Mabillonius Tom. II. *Operum S. Bernardi* pag. 197.

Fol. 91. *Liber de diligendo Deo*, de cujus autore conſulendus eſt Oudinus Tomo I. pag. 966.

Digitized by Google

Fol. 100. S. BERNARDI tractatus de XII. *gradibus humilitatis*, cum ejuſdem retractatione. Tom. I. pag. 560.

Fol. 105. HUGONIS DE S. VICTORE *liber de tribus diebus, & de tribus dietis.*

Fol. 110. RICHARDI S. VICTORIS tractatus *ſuper Beniamin de contemplatione*, præmiſſo capitum indice. Incipit: *Beniamin adoleſcentulus &c.* editus in parte prima operum pag. 118.

Fol. 119. HUGONIS *liber de Arra Sponſe*. Exſtat Tomo II. Operum pag. 223. ſub titulo *Soliloquium de Arrha animae.*

Fol. 122. Tractatus de *Gradibus contemplationis*, ſine autoris nomine: cujus initium; *Contemplativorum aquilinos obtutus acui &c.*

Fol. 124. ANICII MALII SEVERINI BOETI. *Exconſularis ordinarii Patricii. Incipit liber quo Trinitas unus Deus. ac non tres Dii. ad Aurelium Menium Simachum virum Cl. & illuſtrem ex Conſulari ordine. atque Patricium.*

Fol. 125. Ejuſdem SEVERINI BOETII *liber, utrum Pater & Filius ac Spiritus Sanctus de Divinitate ſubſtantialiter predicentur. ad Sanctum Johannem Diaconum Eccleſie Romane.*

Multa de his opuſculis *Severini Boetii* habet Albertus Fabricius *Bibliothecæ Latinæ* Tom. II. pag. 155. & alibi.

CODEX DCLXV. *d.* I. 32.

Membranaceus, conſtans foliis 245. ſæculi XIV. in quo S. AUGUSTINI libri IV. de *Doctrina Chriſtiana*. Exſtant Tomo III. operum.

Fol. 36. Ejuſdem *liber de Agone Chriſtiano*. Tomo VI.

Fol. 47. *Liber ad Oroſium de Trinitate*, de cujus autore legere eſt, quæ diſſerunt *PP. Maurini in appendice* Tomi VI. *Operum S. Auguſtini* pag. 7.

Fol. 55. S. AUGUSTINI *Enchiridion de Fide Spe & Charitate*. In citato Tomo VI.

Fol. 72. Ejuſdem *de diverſis conſuetudinibus Eccleſiarum ad Januarium liber.*

Fol. 79. Ejuſdem *ad Caſulanum Preſbyterum Epiſtola*, cujus initium; *Nescio unde ſit factum &c.* Eſt nu. XXXVI. in Tomo II. pag. 70.

Fol. 84. Ejuſdem *Dialogus de Natura vel qualitate vel quantitate anime ad Deodatum filium ſuum*. Incipit: *Quoniam video te abundare &c.* Exſtat in Tom. V.

Ad calcem Dialogi legitur. *Explicit liber Dialogorum B. Auguſtini de magnitudine anime. ad Deodatum filium ſuum bone juventutis ſocium.*

Fol. 99. *Liber de conflictu vitiorum & virtutum*, perperam S. AUGUSTINO adſcriptus; qua de re multa diſputant *PP. Maurini* in *appendice* Tomi VI. pag. 222.

Fol. 104. Ejuſdem *de Baptiſmo libri VII. contra Donatiſtas*. Exſtant in Tom. IX.

Fol. 148. Ejuſdem *liber de Fide & Operibus ad Bonifacium*; editus in Tom. VI.

Fol. 159. Ejuſdem *Retractationum libri II.*

Fol. 182. Sermo *de ſalute Anime*; perperam S. AUGUSTINO adſcriptus. Exſtat inter *ſuppoſititios* Tomo VI. pag. 363. Incipit autem; *Quantum ad anime veſtre deſiderium &c.*

Fol. 183. Ejuſdem *de Symbolo*, ſive *Symboli explicatio*; ut inſcribitur Tomo VI.

Fol. 194. Ejuſdem *liber de Bono conjugali*. Exſtat in eodem Tomo VI.

Fol. 200. Ejuſdem *libri propter diverſas expediendas editi queſtiones*; ſive, ut eſt in editione, *de conjugiis adulterinis ad Pollentium libri duo.*

Fol. 204. Ejuſdem *de Bono viduali ad Julianam viduam*: in citato Tomo VI.

Fol. 217. Ejuſdem *de Nuptiis & concupiſcentia liber ad Valerium Comitem.* Tomo X. operum.

CODEX DCLXVI. *d.* I. 33.

Membranaceus, conſtans foliis 104. ſæculi XIII. in quo primum S. AUGUSTINI *Enchiridion.*

Fol.

Digitized by Google

Fol. 39. *Liber* MAGNI AURELII CASSIODORI SENATORIS *de Anima*.

Decem & octo capita hujus libri in Codice numerantur; in editis autem *Cassiodori* operibus duodecim dumtaxat. Redundant igitur in Codice capita sex, quæ ex multiplici præfationis, & capitis ultimi divisione pullularunt. Nullam tamen nobis utrosque Codices conferentibus contigit deprehendere lectionis discrepantiam, quæ alicujus momenti sit.

Fol. 60. Liber S. AUGUSTINI de XII. *Abusibus*, de quo multa differunt *Patres S. Mauri*, citato Tomo VI. pag. 210.

Fol. 67. *Sermo de* CANTICO ISAIÆ. Cujus initium, *Vinea facta est &c.* Adscribitur S. AUGUSTINO.

Fol. 72. *Sermo ejusdem* AUGUSTINI *ad Probam de orando Deo*; cujus initium: *Et petisse te & promisisse me recolens &c.* Inter epistolas Tomo II. pag. 382.

Fol. 80. *Liber florum, seu flores dictorum S. Augustini*, sine autoris nomine.

Fol. 86. *Liber* S. AUGUSTINI *de diffinitionibus Orthodoxe fidei & dogmatum Ecclesiasticorum*. Inter *supposititios* Tomo VIII.

Fol. 93. *Sermo ejusdem de decem Cordis*. Est numero IX. Tomo V.

Fol. 114. *Dicta de ambiguis pronunciationibus*, quorum initium: *ambigue pronunciationes Scripturarum &c.* Adscribuntur S. AUGUSTINO.

CODEX DCLXVII. *d.* I. 34.

Membranaceus, constans foliis 136. sæculi XII. in quo S. AUGUSTINI *de Charitate Homelie decem*; sive ut in editione, *in Epistolam Johannis ad Parthos tractatus decem*.

Fol. 64. *Liber qui appellatur* PARADISUS. *Exceptus ex Sanctorum vitis Patrum ab* HERACLIDE *ad Lausum Prepositum*. Ejus initium: *In hoc libro quem de Vita Sanctorum Patrum scripturi sumus &c.*

De hoc libro, & ejus autore *Heraclide Cyprio, in Scetensi Eremo Evagrii Pontici sectatore*, plura tradit Albertus Fabricius *Bibliothecæ Græcæ* Tom. IX. pag. 16. & 17.

Fol. 133. *Liber primus Soliloquiorum* YSIDORI *Episcopi Spalensis Urbis*.

CODEX DCLXVIII. *d.* I. 35.

Membranaceus, constans foliis 90. sæculi XIV. in quo commentarius FRATRIS THOMÆ WALLEI *ex Ordine Prædicatorum* in decem primos libros S. AUGUSTINI *de Civitate Dei*.

De *Fratre Thoma Walleo*, ejusque operum editione plura scripsit Eccardus Tom. I. pag. 97. & 99.

Additur in fine Codicis locupletissimus rerum index cum hac hypographe.

Explicit Augustinus de Civitate Dei. Amen anno 1388.

CODEX DCLXIX. *d.* I. 38.

Membranaceus, foliis constans 58. sæculi XIII. in quo *libri tres de Vita contemplativa* sub nomine S. PROSPERI, quos tamen esse fœtum *Juliani Pomerii*, invictissimis probant argumentis *S. Prosperi* operum editores Parisienses in *Appendice*.

Cuique libro prologus præmittitur, & eædem prorsus variantes lectiones occurrunt, quæ in margine *editionis Parisiensis* ex variis Manuscriptis codicibus adnotantur.

Fol. 55. *Sententia quid sit commutaverit veritatem Domini in judicium*; absque autoris nomine. Incipit: *Qui commutaverit veritatem Domini in judicium. Quid est commutaverit veritatem Domini in judicium. in similitudinem scilicet &c.*

CODEX DCLXX. *d.* I. 39.

Membranaceus, foliis constans 170. sæculi XIII. in quo Patrum in *Thebaide Ægypti Eremo* commorantium COLLATIONES.

Præ-

Digitized by Google

Præmittitur JOHANNIS CASSIANI prologus, & unicuique *Collationi* præfiguntur capita.

Fol. 2. *Collatio prima* ABBATIS CEREMONIS, ideſt CHEREMONIS, *de perfectione*.

Fol 12. *Collatio ſecunda Abbatis* CHEREMONIS *de Caſtitate*.

Fol. 26. *Collatio tertia* CHEREMONIS *de protectione Dei*.

Fol. 40. *Collatio prima Abbatis* NESTOROTIS *de Spirituali ſcientia*.

Fol. 52. SENIS, ideſt *Abbatis* NESTOROTIS, *Collatio ſecunda de Chariſmatibus*.

Fol. 58. *Collatio prima Abbatis* JOSEPHI *de Amicitia*.

Nonnullas contigit animadvertere variantes lectiones, ſed non magni momenti, quas propterea miſſas facimus.

Fol. 71. *Abbatis* JOSEPHI *Collatio ſecunda de nichil diffiniendo*. Deeſt in editione vox *nihil*.

Fol. 88. *Collatio* PIAMONIS *Abbatis de tribus abrenunciationibus*: in editis vero, *de tribus antiquis generibus Monachorum, & quarto nuper exorto*.

Sunt & in hac *Collatione* multæ lectionis diſcrepantiæ. E. G.

In edit.

Poſt conſpectum, atque colloquium trium illorum ſenum, quorum Collationes Sancto Fratre noſtro Eucherio compellente utcunque digeſſimus, cum etiam ulterioris Aegypti partes, in quibus amplior atque perfectior Sanctorum numerus commeabat &c.

In Cod.

Poſtquam conſpectum atque colloquium trium illorum ſenum quorum Collationes Sancto Fratre noſtro Eucherio compellente utcumque digeſſimus. cum etiam ulteriores Aegypti partes. in quibus amplior atque perfectior Sanctorum numerus conſiſtebat &c.

Fol. 99. *Collatio Abbatis* JOHANNIS *de fine Cenobite & Heremite*.

Fol. 106. *Collatio Abbatis* PINUFII *de Penitentie fine & ſatisfactionis*.

Fol. 113. *Collatio prima Abbatis* THEONE *de remiſſione Quinquageſime*: cujus initium nonnihil diſcrepat ab editione. Nam

In edit.

Priuſquam verba Collationis hujus habita cum ſummo viro Abbate Theona incipiamus evolvere, neceſſarium reor, ut initium converſionis ejus &c.

In Cod.

Priuſquam verba Collationis hujuſcemodi habita cum ſummo viro Abbate Theona incipiamus evolvere. neceſſarium reor ut initium converſationis &c.

Fol. 129. Ejuſdem *Abbatis* THEONÆ *Collatio ſecunda, quae eſt de nocturnis illuſionibus*.

Fol. 139. Ejuſdem *Abbatis* THEONÆ *Collatio tertia de Anamarteto*: In editione vero, *de eo quod dicit Apoſtolus, non enim quod volo, bonum facio, ſed quod nolo malum, hoc ago*.

Fol. 154. *Collatio Abbatis* ABRAHÆ *de mortificatione*.

Statim in ipſo exordio lectionis diſcrepantia ſe prodit.

In edit.

Quarta atque viceſima iſta Collatio Abbatis Abrahæ Chriſto favente producitur, omnium ſeniorum traditiones concludens &c.

In Cod.

Quarta atque viceſima Collatio Abbatis Abraham Chriſto favente procuditur. omnium ſeniorum traditiones atque inſtituta concludens &c.

Et amplius ſub finem.

In edit.

Supereſt, ut me periculoſiſſima hactenus tempeſtate jactatum nunc ad tutiſſimum ſilentii portum ſpiritalis orationum veſtrarum aura comitetur.

In Cod.

Supereſt ut me periculoſiſſima hactenus tempeſtate jactatum nunc in tutiſſimo ſilentii portu orationum veſtrarum tutela conſervet. amen.

In fine Codicis hæc habentur.

In hoc libro ſunt ſcripte XXIV. Collationes Patrum. II. Moyſi. I. Patnucii. Danielis I. Serapionis I. Theodori I. Sereni II. Iſac II. Ceremonis III. Neſtorotis II. Joſeph II. Piamonis I. Johannis I. Pinuphii I. Theone III. Abrahe I.

Deſunt

Digitized by Google

Deſunt igitur multæ collationes: neque enim XXIV. ſcriptæ ſunt, ut habentur in editione, ſed decem duntaxat, & quatuor. Deſiderantur enim collationes *Moyſis*, *Danielis*, *Serapionis*, *Theodori*, *Sereni*, *atque Iſaaci*. Codex tamen integer eſt, neque ulla ex parte mutilus, aut imperfectus.

CODEX DCLXXI. *d.* I. 40.

Membranaceus, conſtans foliis 155. ſæculi X. in quo S. Gregorii Papæ *Homiliae* XL. *in Evangelia*, hoc titulo: *In nomine Domini incipiunt Omelie B. Gregorii PP. numero quadraginta*: poſt quæ verba eſt *Homiliarum* index, appoſito *Evangelii* textu.

Singulas cum editis *a Patribus Benedictinis* contulimus, & perpetuo variantes lectiones deprehendimus, quarum unam, aut alteram ſpeciminis loco exhibemus.

In edit. ex Homilia I.

Dominus ac Redemptor noſter, Fratres cariſſimi, paratos nos convenire deſiderans, ſeneſcentem mundum quae mala ſequantur, denuntiat, ut nos ab ejus amore compeſcat. Appropinquantem ejus terminum quantae perſecutiones praeveniant, innoteſcit &c.

In Cod.

Dominus noſter paratos nos invenire deſiderans. ſeneſcentem mundum quae mala ſequantur denuntiat. ut nos ab ejus amore compeſcat. Adpropinquante ejus termino. quantę perſecutiones provenient innoteſcit &c.

In edit. ex Homilia VIII. prope finem.

Dii etenim vocati ſunt homines. Defende ergo tibi, o Homo, contra vitia honorem Dei; quia propter te factus eſt Deus homo, qui vivit, & regnat &c.

In Cod.

Dii etenim vocati ſunt homines. Defende ergo tibi o homo contra vitia carnis dignitatem & honorem Dei. quia propter te factus eſt Deus homo. Cui eſt honor gloria imperium.

In edit. ex Homila X.

Sicut in lectione Evangelica, Fratres cariſſimi, audiſtis, Coeli Rege nato Rex terræ turbatus eſt &c.

In Cod.

Sicut in lectione Evangelica Fratres audiſtis. Cęli Rege nato Rex terrę turbatur &c.

Initio Codicis præfigitur *Kalendarium*, quod ſub principium ſæculi X. ſcriptum credimus. Deſunt tamen tres menſes, *October* nimirum, *November*, & *December*. Indicantur *Lunationes*; ac plurimorum Sanctorum feſta notantur, quæ jam dudum obſoleta ſunt. Cuilibet præterea menſi adduntur verſus, qui dies feſtos Sanctorum compendio docent, ut menſe Septembri.

Idus Septimbris ſenas dedicatus honore
Qua meruit naſci felix jam Virgo Maria
Et quinis ſequitur Ciaranus ſcandere Celos
Octavas decimas Cornilius inde Kalandas
Conſecrat & Ciprianus ſimul ordine digno
Eufemia ac ſextas decimas tenet intemerata &c.

CODEX DCLXXII. *d.* I. 41.

Membranaceus, conſtans foliis 151. ſæculi XIII. in quo S. Gregorii Papæ *Dialogorum libri quatuor*.

CODEX DCLXXIII. *d.* I. 42.

Membranaceus, conſtans foliis 153. ſæculi XIII. in quo primum *liber Regule Paſtoralis* B. Gregorii Papæ *urbis Rome*

Fol. 146. *Sermo in Epiphania*, cujus initium; *poſt miraculum Virginei Partus &c.* Perperam Divo Augustino adſcribitur.

Fol. 150. *Hymnus ad honorem S. Thomae Cantuarienſis*, ſine autoris nomine; quem certe ſtudioſum Lectorem non pigeat legiſſe.

Ad

Digitized by Google

Ad honorem ſumi Regis
Fiat feſtum ſacri gregis
Martiris Victoria.
Inde ſint Orationes
Tmni verſus lectiones
Atque reſponſoria.
Digne quidem celebratur
In hominum verſatur
Sanctus hic memoria.
Qui de celis Coronatur
Et eterna ſublimatur
Angelorum gloria.
Hinc exultat hinc letatur
Hinc in Orbe predicatur
Felix Cantuaria.
Felix inquam & beata
Cui ſerva ſunt donata
Patris Sanctuaria.
Pater bonus Paſtor verus
Bonus Pater & ſeverus
In actores ſcelerum.
Scelerati paſſus iram
Paſſionem ſubit diram
Novus heres martyrum.
Thomas martyr Thomas Preſul
In hac terra factus exul
A terrena Patria.
Sic terrena liquit ibi
Ut celeſtis Regni ſibi
Mercaretur atria.
Exulavit Paſtor bonus
Egens quidem ſed non onus
Senſit indigentie.
Quem introrſus dulcorabat
Et habunde ſaciabat
Fructus conſcientie.
Tandem ſedi reſtitutus
Et felices aſſecutus
Exitus exilii:
Vita vixit heremite
Sic ut rigor ejus vite
Palma ſit martyrii.
Jejunabat ut jejunus
Puritatis in ſe munus
Sine labe regeret,
Vigilabat ut orando
Jus divinum a nefando
Principe protegeret.
Racioni mens parebat
Menti caro ſerviebat
Stricta ſub cilicio,
Hoc ſe martyr inſtruebat
Hoc & ſuum percurrebat
Exitum ſuplicio.
Ad extremum mente bona
Ictum tulit in corona
Glorioſi verticis.
Corpus terre comendatur
Spiritus in celo datur
In manibus Angelicis.
Conſumatus eſt in brevi
Ne labentis fluxus evi
Mentis robur ſolveret.
Ne cum maſſa perditorum
Novum Civem Angelorum
Sathanas involveret.
Jam Virtutibus & ſignis
Clarus factus & inſignis
Claram reddit Angliam.
Claram reddidit ibidem
Alexandri Pape fidem
Et Papatus gloriam.
Mens eſt clara clarus cinis
Clari curſus. Clarus finis.
Clara fecit omnia.
Nos in Regnum claritatis
Expiatos a peccatis
Levet ad Celeſtia. Amen.

In principio, & in fine Codicis compacta ſunt neſcio quo caſu, nonnulla folia, quæ fragmentum continent parvæ Iliadis PINDARI THEBANI.

CODEX DCLXXIV. *d.* I. 43.

Chartaceus, foliis conſtans 85. ſæculi XV. in quo primum S. BERNARDI *de contemptu Mundi liber.*

In fine.

Explicit liber Meditacionum Beati Bernardi Abbatis Claravallenſis de contemptu Mundi & appetitu eterne vite. MCCCCLXX. die V. Junii,

Fol. 31. *Epiſtola Anonymi* cujuſdam ad *Franciſcum Petrarcham de diſpoſitione ſue vite*; cujus initium: *Fervet animus te videndi deſiderio &c.*

Fol. 36. *Viſio cujuſdam Monaci*, quæ hiſtoriam aſceticam continet de *Poenis, & Cruciatibus Purgatorii*: Incipit.

Nemeſamenenſi Monaſterio juvenis quidam

Digitized by Google

dam nuper ad vitam Monaſticam fidei devotione &c.

Fol. 62. *Confeſſio quotidiana facta & ordinata in Carthuſia magna.*

Fol. 84. *Epiſtola*, quæ S. THOMÆ DE AQUINO dicitur, & cujus initium eſt: *Quia queſiviſti a me qualiter intendere oporteat &c.*

CODEX DCLXXV. *d.* I. 44.

Membranaceus, conſtans foliis 110. ſæculi XIII. in quo PETRI BLESSENSIS *Epiſtolæ*.

Præfationis loco præmittitur Epiſtola *Henrico II. Anglorum Regi* ſcripta. Contulimus cum edita *Pariſiis* anno 1667. & variantes paſſim nobis ſe ſe obtulerunt lectiones.

Eſt inſuper longe alius in Codice noſtro epiſtolarum ordo. Quæ enim LXXXII. numeratur in editione, quarto loco eſt in Codice, & quæ octava in editione, nona eſt in Codice.

Quod ad variantes lectiones ſpectat, notatu digniſſima eſt ea, quæ occurrit in epiſtola X.

In edit.

Diu eſt, quod rumor inſonuit, & publice jam crebreſcit, quod Dominus tuus Rex Siciliae ſalutis ſuae, & paternae traditionis oblitus cum comite Lorocelli in ruinam, & deſolationem Agrigentinae Eccleſiae conjuravit &c.

In Cod.

Diu eſt quod rumor inſonuit. & publice jam crebeſcit, quod Dominus tuus Rex Francorum ſalutis ſue & paterne traditionis oblitus cum Comite Claromontenſi &c.

Ceterum epiſtolæ ſunt numero LXXXVI. quibus ſubditur Index *ſententiarum*, a recentiore ſcriba exaratus, quas ex iiſdem epiſtolis collegerat, & *Epiſcopo Portuenſi* inſcripſerat *Epiſcopus Caleritanus*, nomine PETRUS, ut conſtat ex prologo, qui eſt Indici præfixus.

Fol 48. Ejuſdem PETRI BLESSENSIS *de Vita B. Job tractatus*, cum *Epiſtola exhortatoria ad Henricum Regem.*

Fol. 55. Ejuſdem *tractatus de Tranſfiguratione* DOMINI. Sunt ubique variantes lectiones.

CODEX DCLXXVI. *d.* I. 46.

Membranaceus, cui folia 64. ſæculi XV. Eſt CELII LACTANTII FIRMIANI *de Opificio Dei, ſeu hominis formatione liber.*

CODEX DCLXXVII. *d.* I. 47.

Membranaceus, conſtans foliis 35. FIRMIANI LACTANCII *de ira Dei ad Donatum liber*. In margine notantur capita, & res, quæ iiſdem comprehenduntur.

CODEX DCLXXVIII. *d.* I. 48.

Membranaceus, foliis conſtans 110. ſæculi XV. in quo SILVIANI *Epiſcopi ad Salonium Epiſcopum de vero Judicio & Providentia Dei liber.*

CODEX DCLXXIX. *d.* I. 50.

Membranaceus, conſtans foliis 22. ſæculi XII. in quo S. PROSPERI *Epigrammatum liber.*

In hoc præſtantiſſimo Codice cum multa aliter leguntur, quam ſunt in editis *Proſperi* operibus, tum longe plura exſtant, quam in editione anni 1711.

Primo loco præfigitur *S. Proſperi* Elogium.

„ Iſte Proſper fuit Equitanicus vir
„ eruditiſſimus omniumque artium dog-
„ mate peritus: Qui primitus canoni-
„ cam ſacre religionis omnibus Eccle-
„ xiis edidit normam. Unde merito
„ Equitanicus dicitur gente & Proſper
„ vocabulo. quia ceteris equitatis
„ viam parare ſtuduit. quam in vo-
„ cabulo proſperitatis ſortitus fuit.
„ Ob hanc cauſam merito & nomine
„ fulget. eo quod equitatis & proſpe-
„ ritatis judicium omnium Ecclexia-
„ rum videtur habere.

Digitized by Google

S. Proſperi Elogium ſequitur Præfatio, ejuſdem fortaſſe autoris, qui Elogium compoſuit. Ea hoc ſe modo habet.

„ Hoc Auguſtini ex Sacris Epigram-
„ mata dictis
„ Dulciſono rector componens car-
„ mine Proſper
„ Verſibus exametris depixit penta-
„ metriſque
„ Floribus ex variis ceu fulget
„ nexa corona.
„ Unde ego te Lector religis qui
„ hec ſedulus oro
„ Intentas adhibere ſonis Celeſtibus
„ aures
„ Iſtec nam viventum animos ſicura
„ ſubintrant
„ Maxime quod doceant ſacre mo-
„ deramina legis
„ Obſervare homines. vel quid fi-
„ bi maxime vitent
„ Sidereum celi cupiunt qui ſcande-
„ re Regnum.

Poſt hæc, ut in editis, eſt ipſius S. Proſperi præloquium

Dum ſacris mentem placet exercere loquelis &c.

Cuilibet Epigrammati præponitur *S. Auguſtini* ſententia. Plurimæ autem occurrunt variantes lectiones, ex quibus unam, aut alteram ſpeciminis loco ſceligimus.

In edit. Ex epigrammate I.
Et cum forte animum non ſit ſubitura facultas.
In Cod.
Et cum forte animum non ſit ſecurata facultas.
In edit. Ex epigr. III.
Non ceptum aut auctum. non hic mutabile quidquam eſt.
In Cod.
Non ceptum aut actum huic non mutabile quicquam eſt.
In edit. Ex epigr. IV.
Verbere nonnunquam caſtigans corde Paterno.
In Cod.
Verbere non nunquam caſtigans corda Paterno.

Fol. 20. *Poema conjugis ad uxorem*: quod quidem inter dubia *S. Proſperi* Opera accenſendum, judicavere *Pariſienſes editores* Operum *S. Proſperi*.

CODEX DCLXXX. *d.* II. 1.

Membranaceus, conſtans foliis 349. ſæculi XIV. univerſos continet *Scripturæ* libros.

Fol. 1. Cernitur ſtemma *Pingonianum*, cum hac Inſcriptione: *Philibertus de Pingon Sabaudus Antiquitatis cultor.* 1545.

CODEX DCLXXXI. *d.* II. 2.

Membranaceus, ſæculi XIV. cui folia 304. Sunt itidem univerſi *Scripturæ* libri, iconibus aptiſſime pictis diſtincti.

In fine adjectæ ſunt Hebræorum nominum interpretationes. Quæ vero ſequuntur, a recentiori manu ſcripta ſunt:

Die Sabbati XV. Aprilis in ſeptimana Paſchali in Caſtro Capuane Neapolis anno D. MCCCCLII. ante prandium in medio Curtis magne in preſentia copioſiſſimarum gentium ſacratiſſimus Dominus Imperator Fredericus Tertius cum magna ſollemnitate & cum impoſitione annuli & birreti manibus ſuis propriis facta creavit me doctorem in Jure Civili. cum jam a longis retro fluxis annis jam eſſem in Decretis. Petii primo licentiam a Sereniſſimo Domino noſtro Rege Alphonſo Piiſſimo atque Chriſtianiſſimo.

CODEX DCLXXXII. *d.* II. 3.

Membranaceus, habens folia 471. ſæculi XIV. in quo iterum *Scripturæ* libri, additis præfationibus S. Hieronymi, & interpretatione Hebræorum nominum.

CO-

Digitized by Google

CODEX DCLXXXIII. *d.* II. 4.

Membranaceus, conſtans foliis 344. ſæculi XIV. in quo pariter *Scripturæ* libri, imaginibus elegantiſſime expreſſis ornati.

CODEX DCLXXXIV. *d.* II. 5.

Membranaceus, cui folia 340. ſæculi XIV. Eſt itidem *Scripturarum* volumen, mutilum tribus poſtremis capitibus *Apocalypſeos*.

CODEX DCLXXXV. *d.* II. 6.

Membranaceus, conſtans foliis 438. ſæculi XIV. in quo iterum *Scripturarum* volumen, cum Præfationibus S. HIERONYMI.

CODEX DCLXXXVI. *d.* II. 7.

Membranaceus, conſtans foliis 121. ſæculi XV. Eſt PSALTERIUM, cujus literæ initiales auro obductæ. Præfigitur *Kalendarium Eccleſiaſticum*.

CODEX DCLXXXVII. *d.* II. 8.

Membranaceus, ſæculi XIII. ad finem, conſtat foliis 126. Eſt itidem PSALTERIUM, mutilum principio, & fine. Singulis Pſalmis præfigitur argumentum.

CODEX DCLXXXVIII. *d.* II. 9.

Membranaceus, habens folia 165. ſæculi XIII. cui titulus eſt, AURORA, ſive libri *Geneſeos*, *Exodi*, *Levitici*, *Numerorum &c.* verſibus Latinis redditi a PETRO DE RIGA *Canonico Rhemenſi*.

Mentionem hujus operis fecerunt Dupinius Tom. X. pag. 187. Jacobus Le Long in *Bibliotheca Sacra*, Albertus Fabricius in *Bibliotheca Latina* Tom. II. pag. 233. Sixtus Senenſis pag. 328. aliique. Sed præ cæteris Oudinus, qui Tomo II. pag. 1551. accuratam ejus analyſim ex diverſis MSS. codicibus conflatam exhibet, imo editioni paratum opus ſe habuiſſe fatetur. Gaſpar etiam Barthius, Chriſtianus Daumius, & Andreas Rivinus eandem editionem moliti ſunt. Sed immaturo abrepti fato eam perficere non potuerunt. Vulgavit tamen Præfationem ſoluta oratione ſcriptam ex MS. Codice Heilsbronnenſi Johannes Ludovicus Hockerus in *notitia MSS. illius Bibliothecæ*. Nonnulli præterea hanc *Bibliorum* metricam interpretationem *Alcimo Avito*, ſed falſo, adjudicarunt; alii totum opus *Petro de Riga* adſcribentes, illius partem deperditam eſſe, neque in Bibliothecis amplius adſervari ſcripſerunt. Sed præter quam quod plures MSS. codices *Petri de Riga* in variis *Galliæ* Bibliothecis exſtantes numerant Oudinus, & Albertus Fabricius *Bibliothecæ Mediæ, & Infimæ Latinitatis* Tom. V. pag. 816. REGIA TAURINENSIS duos, & quidem integros, optimæque notæ ſervat, quorum hoc loco analyſim fuſiorem tradere neque inutile, neque injucundum fore Lectoribus noſtris ſperamus.

Itaque hoc ordine ſe habet in codicibus noſtris AURORA.

Incipit liber GENESEOS. Cujus initium:

Prima facta die duo Celum Terra leguntur.
Fit Firmamenti ſpera ſequente die &c.

Numerantur in libro *Geneſeos* verſus 1557.

Incipit EXODUS. Cujus initium:

Hec duodena Patrum ſunt nomina qui quaſi plebs
Semina Judaice tot tribuere tribus &c.

Numerantur in *Exodo* verſus 1340.

Incipit LEVITICUS; cujus initium:

Vox autem Domini Moyſem vocat. imperat illi
Ut ſua verba ferens plebis in aure ſerat &c.

Numerantur in *Levitico* verſus 773.

Digitized by Google

Incipit liber NUMERI; cujus initium:
Adloquitur Moyſem Deus. & jubet ut numerentur
Omnibus ex tribubus fortis ad arma cohors &c.
Numerantur in libro *Numerorum* verſus 685.

Incipit prologus ſuper DEUTERONOMIO, cujus initium:
Hec ſunt verba quibus Moyſes inſtruxit Hebreos
Et velud altera Lex dicitur iſtud opus &c.
Numerantur in *Deuteronomio* verſus 246.

In fine cujus libri: *Expliciunt quinque libri Moyſi.*

Incipit JOSUE; cujus initium:
Poſt Moyſem Joſue populo dominatur Hebreo
Terram quam Moyſes non dedit ipſe dedit &c.
Numerantur in libro *Joſue* verſus 256.

Explicit Joſue. Incipit liber JUDICUM, cujus initium:
Poſt Joſue de Judicibus narratio fiat
A quibus auxilium ſumpſit Hebrea Tribus &c.
Numerantur in libro *Judicum* verſus 322.

Incipit liber RUTH, cujus initium:
Ad Ruth feſtinat Petri ſtilus. hujus ut actus
Depingat tenui carmine ſermo brevis &c.
Numerantur in libro *Ruth* verſus 70.

Incipit prologus in libris REGUM, cujus initium:
Poſt librum de Judicibus ſacra lectio tractans
De Regum titulis nobile ponit opus &c.

Incipit primus liber REGUM, cujus initium:
Fonte manens Efraim civis de Rhamathe Sophym
Vir fuit unus. & huic Elcala nomen erat &c.
Numerantur in libro I. *Regum* verſus 570.

Incipit ſecundus liber REGUM; cujus initium:
Poſt Jonathe mortem patriſque ſui David unctus
Rex ſupra Juda Regna tenebat ibi &c.
Numerantur in libro II. *Regum* verſus 392.

Nullus libro III. *Regum* præfigitur titulus; initium autem ſic ſe habet.
Rexque David ſenuit. frigeſcere cepit. amictu
Contegitur. Sed non conſulit ille ſeni &c.
Numerantur in libro III. *Regum* verſus 340.

Neque etiam *Regum* libro IV. præmittitur titulus; incipit vero,
Rex Ochoſias qui regnabat ſuper omnem
Iſrael a ſummo lapſus ad ima ruit &c.
Numerantur in libro IV. *Regum* verſus 203. ad quorum calcem:

Expliciunt libri Regum. Incipit liber THOBIE, cujus initium:
Qui legis hiſtoriam Thobie diſcute ſenſum
Qui latet. ex petra larga fluenta bibes &c.
Numerantur in libro *Tobiæ* verſus 510.

Incipit liber DANIELIS, cujus initium:
Poſtquam ſubjectos ſibi Rex Babilonis Hebreos
Vicit & aflixit enſe, dolore, fame &c.
Numerantur in libro *Danielis* verſus 740.

Incipit liber JUDITH, cujus initium:
Euſtochio Pauleque favens Jeronimus actus
Tranſtulit inſignes hiſtoriamque Judith &c.
Numerantur in libro *Judith* verſus 188.

Incipit liber HESTER *Regine* cujus initium:

Donec

Digitized by Google

Donec ad Ethiopum terras veniatur ab Indis
Rege ſub Aſſuero ſubdita terra fuit &c.

Numerantur in libro *Eſther* verſus 264.

In fine legitur : *liber ſextus Regum explicit.*

Incipit prologus in libro MACHABEORUM, cujus initium:

Magnus Alexander quo primum Grecia Rege
Floruit e terris multa trophea tulit &c.

Numerantur in libro *Macchabæorum* verſus 742. ad quorum calcem:

Explicit vetus Teſtamentum,

Incipit prologus ſuper quatuor EVANGELIA, cujus initium:

Poſt legem veterem reſpira Petre, Refulget
Lex nova. fac verſus de novitate novos &c.

Quatuor *Evangelia* verſibus continentur 2231. Pone ſequitur

Paſſio Domini Noſtri JESU CHRISTI *ſecundum IV. Evangeliſtas*, cujus initium;

Juxta Matheum Domini ſacra paſſio noſtri
Incipit hic, Chriſtus ſic ait ergo ſuis &c.

Numerantur verſus 697.

In fine. *Explicit Novum Teſtamentum.*

Incipiunt recapitulationes totius libri & primo ſine A. Primi duo verſus ſunt.

Principio rerum poſt quinque dies homo primus
Conditus in ſexto creditur eſſe die.

Numerantur in *Recapitulatione* verſus 468.

Incipiunt ACTUS APOSTOLORUM; quorum initium:

Tiberii nono decimo regnantis in anno
Dum ſerviret adhuc diro Judea Tyranno &c.

Numerantur in *Actibus Apoſtolorum* verſus 1000. qui omnes hexametri ſunt, ad modum *Leoninum*, ut dicitur, conficti.

In fine Codicis hæc tria barbara prorſus carmina leguntur.

Finito Libro reddatur Gallina magiſtro.
Enſe Sacer Paulus par lux. Dux. Urbs. Cruce Petrus.
Hic liber eſt ſcriptus. qui ſcripſit ſit benedictus.

Floruit PETRUS DE RIGA anno 1150. V. Autores *hiſtoriae literariae Galliarum*, & ſcriptores ſuperius memoratos.

CODEX DCLXXXIX. *d.* II. 6.

Membranaceus, cui folia 197. ſæculi XIII. eſt idem opus PETRI DE RIGA, præmiſſo ſoluta oratione Procœmio, quod incipit; *Frequens ſodalium meorum peticio. cum quibus converſando florem infantie exegi &c.* In hoc Procœmio *Petrus de Riga* opus ſuum AURORA inſcribit.

Frequentiſſimas obſervavimus variantes lectiones alterum cum altero conferentes codicem, quas indicabimus, quum præſtantiſſimum hunc manuſcriptum codicem, ſi vitam, & vires Superi dabunt, publici juris faciemus.

CODEX DCXC *d.* II. 10.

Membranaceus, conſtans foliis 289. ſæculi XIV. in quo *Anonymi* tractatus de *vario verborum uſu in Sacra Scriptura*. Exemplum eſto in voce ACCUBITUS. *Triplex eſt accubitus ſcilicet nature culpe & gratie &c.*

In fine ponitur index vocum omnium, quæ in tractatu explicantur.

CODEX DCXCI. *d.* II. 11.

Membranaceus, conſtans foliis 229. ſæculi XIV. Eſt *Novum Teſtamentum* hoc ordine digeſtum.

Evangelium Secundum MATTHÆUM
- - - - - - - - MARCUM
- - - - - - - - LUCAM
- - - - - - - - JOHANNEM

ACTUS

Digitized by Google

Actus Apostolorum.
Epistola Jacobi.
Epistola I. & II. Petri.
Epistola I. II. & III. Johannis.
Epistola Judæ.
Apocalypsis.
Epistolæ S. Paulli.
Litere initiales sunt auro splendentissimo obductæ.

CODEX DCXCII. *d.* II. 12.

Membranaceus, habens folia 172. sæculi XIV. continet *Quatuor Evangelia*, cum *Epistolis Canonicis*, *Apostolorum Actibus*, *& Apocalypsi*.

CODEX DCXCIII. *d.* II. 13.

Membranaceus, constans foliis 102. sæculi XIII. in quo *quatuor Evangelia*, præmissa præfatione S. Hieronymi.

CODEX DCXCIV. *d.* II. 14.

Membranaceus, constans foliis 178. sæculi XIV. continet *quatuor Evangelia*, *Actus Apostolorum*, *Epistolas Canonicas*, ita tamem ut *Apocalypsis* inter *Epistolas S. Johannis*, *& S. Paulli* media sit: librum *Proverbiorum Salomonis*, *Ecclesiasten*, quem sequitur index *Evangeliorum*, *& Epistolarum pro diebus festis totius anni*.

CODEX DCXCV. *d.* II. 15.

Membranaceus, habens folia 70. sæculi XIII. in quo *Epistolæ* VII. *Canonicæ*, cum prologo S. *Hieronymi*: *Apocalypsis*, *& Actus Apostolorum*, cum præfatione itidem *S. Hieronymi*.

Fol. 65. *Epistola* B. Benedicti *Abbatis de Monte Casino ad B. Remigium Remorum Archiepiscopum*, cujus initium: *Dominico Sacerdoti Remigio frater & conservus Christo Jesu Cenobialis vite institutor* (in editione *cultor*) *Benedictus eterne benedictionis munus &c. Sanctissimo tuo congratulans profectui &c.*

Hanc epistolam alii Benedicto tribuit Baronius *Annal.* Tomo VI.

Fol. 66. Concilii Pictaviensis *Canones XIV.* Exstant in Tomo XII. *Labbei* pag. 187. alio tamen, quam in Codice Taurinensi, ordine: nam in editione, qui octavus est, in Codice nostro XIII. numeratur, & qui in editione numero IX. in Codice comprehenditur citato Canone XIII. Inde factum est, ut in editione recensentur Canones XVI. in Codice vero tantummodo XIV.

Fol. 67. Excerpta ex operibus S. Augustini, Isidori, aliorumque Patrum de *Pœnitentia*, *& Sacramentis*.

Fol. 68. Nonnulli subjiciuntur *Versus de Eucharistia*, non ineleganter scripti.

Tollimur e medio fatis urgentibus omnes
Et trahimur quo nos vita peracta vocat.
Hii nunquam. hii semper alii plectuntur ad horam
Purgatisque datur transitus ad requiem.
Perfectos valdeque malos nil vota suorum.
Nil impensa precum nil holocausta juvant.
Nam nec justus eget. nec pessimus justa meretur.
In medio est. veniam cui sacra mensa parat.
Inde fit ut quotiens sacris accedimus aris
Particulis cedat hostia fracta tribus.
Pars intincta mero pro vivis orat. opusque
Sanguinis & carnis. expiat ipsa caro.
Ipsa tamen vivos a vite calle vagantes
Ut redeant saltim sero. juvare solet.
Hostia pro justis laus est. pro justificandis
Mentio. pro reliquis causam agit alterius.

Fit

Digitized by Google

Fit cibus hic ex pane caro Deus ex elemento
Miſterio ſimplex. utilitate triplex.
Fit cibus hic ovis in ligno. Leo fortis in urna.
Rex ſuper aſtra ſedens. Ales ad aſtra volans.
Neve putes illic tumulumque deeſſe crucemve
Ipſe calix tumulum. denotat ara crucem.
Utque fides adſit. terrorque recedat. & horror
Fit cibus ipſe caro. panis imago manet.

CODEX DCXCVI. *d.* II. 16.

Membranaceus, conſtans foliis 82. ſæculi XIV. in quo EPISTOLÆ S. PAULLI cum præfatione S. *Hieronymi*.

Fol. 62. CANTICUM CANTICORUM

Fol. 65. LAMENTATIONES JEREMIÆ PROPHETÆ.

Fol. 69. EPISTOLÆ CANONICÆ, cum prologis *S. Hieronymi*.

CODEX DCXCVII. *d.* II. 17.

Membranaceus, habens folia 113. ſæculi XIV. in quo liber NUMERORUM, cum commentariis ex SS. Patribus ab *Anonymo* explanatore decerptis, & *Gloſſa interlineari*.

Præmittitur præfatio, quæ incipit; *Divinis Numeris non omnes digni ſunt. Sed certis prerogativis deſignati. &c.*

CODEX DCXCVIII. *d.* II. 18.

Membranaceus, conſtans foliis 157. ſæculi XIV. Eſt liber GENESEOS, cum commentariis, & *Gloſſa interlineari*, ex operibus S. *Auguſtini* præſertim, *Hieronymi*, *Iſidori*, & *Bedæ* excerptis.

CODEX DCXCIX. *d.* II. 19.

Membranaceus, cui folia 120. ſæculi XIII. Eſt liber LEVITICI, cum commentariis, & *Gloſſa interlineari*. Singula ex Patribus excerpta videntur.

CODEX DCC. *d.* II. 20.

Membranaceus, conſtans foliis 124. ſæculi XIII. ad finem. Eſt liber JOBI commentariis allegoricis, myſticis, & moralibus illuſtratus ab *Anonymo* autore.

Præmittitur præfatio, in qua de JOBO, ejuſque libro multa diſſeruntur.

Incipit. *Job gentilis plurimorum aſſercionibus exſtitiſſe perhibetur. & ſicut mos eſt antiquorum qui quoslibet divites Reges vocabant. Rex fuiſſe confirmatur &c.*

Fol. 65. *Anonymi* ſcriptoris Tractatus de *fide*, & *ſpe*, cujus initium: *De fide & ſpe que in nobis ſunt omni petenti reddere &c.*

Fol. 102. Tractatus de *Sacramentis* ignoti pariter autoris. Hi duo tractatus a recentiori manu ſcripti videntur.

In fine hi leguntur verſus.

Scriptorem Domino Fratres conjungite Chriſto
Veſtris purgatum lacrimis precibuſque beatum
Ut capiat rite Marcus tunc gaudia vite.
In Brigide feſto pſallamus carmina Chriſto
Virginis en nato qui jam regit omnia Celo.
Sicut ſol Mundo. Sic fulget femina cuncto.
Ora cara Deo pro grege nunc Domino,

CODEX DCCI. *d.* II. 21.

Membranaceus, conſtans foliis 152. ſæculi XIV. in quo Liber ISAIÆ PROPHETÆ cum commentariis tropologicis, allegoricis, & anagogicis, tacito interpretis nomine.

Deficiunt poſtrema quinque capita.

CO-

Digitized by Google

CODEX DCCII. *d.* II. 22.

Membranaceus, cui folia 75. ſæculi XIV. Eſt Apocalypsis *B. Johannis Apoſtoli* cum *Gloſſa Anonymi* autoris. Præmittitur Præfatio, cujus initium; *Deus Pater providens &c.*

Fol. 46. Canticum Canticorum pariter cum *Gloſſa*.

CODEX DCCIII. *d.* II. 23.

Membranaceus, conſtans foliis 62. ſæculi XIII. Eſt commentarius in *Evangelium* S. Marci ex *Divo Hieronymo* excerptus.

CODEX DCCIV. *d.* II. 24.

Membranaceus, cui folia 160. ſæculi XIV. eſt commentarius in *Evangelium* S. Matthæi, addita *Gloſſa interlineari* incerti autoris.

Fol. 108. *Incipit* Marbodi *liber de Lapidibus*.

Nonnullas diſcrepantes lectiones ab edito poemate inter opera *Venerabilis* Hildeberti colum. 1637. notavimus. E. G.

In edit. *verſ.* VI.
Hoc opus excipiens.
In Cod.
Hoc opus excerpens.
In edit. *verſ.* XIII.
Occultas etenim lapidum cognoſcere vires.
In Cod.
Occultas etenim lapidum cognoſcere cauſſas.
In fine.
Explicit liber Marbodi de Lapidibus habens verſus ſeptingentos XXX.

De Marbodo V. plura in Codice *i.* II. 7.

Fol. 11. Tractatus de *Conſecratione Lapidum*, abſque autoris nomine. Incipit; *Omnis creatura in propria natura in qua a Domino condita eſt &c.*

Fol. 113. Tractatus *Anonymi* autoris, & a recentiore ſcriba exaratus, *de Unitate, & Trinitate Dei*.

Fol. 130. *Epiſtola a Familiaribus Comitiſſae* Mathildis *ſcripta ad Imperatorem*. Integram exſcribere voluimus; quia ſingulare continet hiſtoriæ monumentum, quod ſi germanum ſit, eſt profecto, cur nobis de eo gratulemur.

„ L.... * Dei gratia Romanorum
„ Imperatori Auguſto inclito triumphatori magnificentiſſimo. Capitanei. Vavaſſores & omnes de domo Comitiſſe Matildis. adverſas hoſtium phalanges ſuperare. & cum Sanctis Regibus coronari. Ex quo Sereniſſime & Clementiſſime Pater Imperator veſtram electionem audivimus. & nos adeptum Regni gubernacula cognovimus. quanto gaudio gaviſi ſumus. humana lingua non valet dicere. ſtilus nequit exprimere. per vos & nos & Regni ſtatum erigendum. & honorem noſtre domus retinendum. ac reſtaurandum eſſe credimus. & ſperamus. Quo circa deinceps vobis fideles exſtitimus. & veſtrum adventum deſideravimus. Sicut antiqui fideles in inferno poſiti deſiderabant. quia per eum a penis ſe liberari ſperabant. Unde ad ea que de Comite Alberto nobis ſcripſiſtis. humiliter ac veraciter reſpondemus. Nos eum putantes eſſe virum ſtrenuum noſtrum dominum fecimus. fidelitatem ei integram & inviolatam ſervavimus. Sed bona quam de illo habuimus opinio nos fefellit. Nos ..... dominationi veſtre non imponimus. Sed que pene tota novit Italia veritatem loquimur. Cum multa & varia negotia velut in tam magna domo imminerent. diffidens ſe terram poſſe tenere. clandeſtinum cum Mediolanenſibus veſtris infeſtiſſimis inimicis fedus inſtituit. ut pro accipienda ab eis pecunia. arces illis traderet & Conradus invaſor Regii nominis in eis maneret. bellum vobis & Imperio veſtro faceret. ipſe vero in patriam ſuam cum auro & argento multo rediret. Uxor vero hoc cognoſcens. ſupra modum facta

Digitized by Google

„ cta meſtiſſima. nobis confeſſa eſt.
„ Nos autem retinendo pro honore
„ ipſius & pro terra conſervanda ve-
„ ſtre fidelitati. Comitiſſam ex ſua
„ voluntate in arce poſuimus. & ne
„ tale ſcelus ad effectum duci potuiſ-
„ ſet. diligentiſſime cavimus. Poſt hoc
„ ſecuritate ab eo recepta. ne hoc
„ pactum omnino faceret. nec aliud
„ ſine noſtro conſilio. eum cum uxo-
„ re pacificavimus & quamdiu ſtare
„ voluit. ei diligenter ſervivimus. Sed
„ poſt parvam moram patria receſſit.
„ & nuſquam apud nos ultra compa-
„ ruit. Sepe illum per nos. & per
„ nuntios noſtros revocavimus. & eum
„ habere nequivimus. Filii vero ejus
„ concubinarii in arce Canuſii rema-
„ nentes. Girardinum filium Girardi
„ filii Boiſonis cum magna proditione
„ ceperunt & turpiter in carcerem
„ vinctum diutiſſime tenuerunt. Do-
„ nec uxor predicti Girardi conſilio
„ accepto cum filiis Rainerii arcem
„ & illos cepit. & dignam viciſſitu-
„ dinem eis retribuit. Talis inter nos
„ & illum verſatur ratio. Quando-
„ cumque ad nos ei placuerit venire.
„ parati ſumus ſervire.. Si vero no-
„ luerit eum nec cogere poſſumus.
„ nec debemus. Oramus itaque Excel-
„ lentiam veſtram. ut ſicut litteris ſi-
„ gnificaſtis conſtituto termino venia-
„ tis: Nos vero Veronam vobis ob-
„ viam occurremus. Parati in expedi-
„ tionem Romanam vobiſcum venire.
„ & veſtris mandatis pro viribus obe-
„ dire. faciem veſtram tamquam An-
„ gelum Dei deſideramus videre.

Hæc epiſtola in reſponſionem illius ſcripta videtur, quam *Comitiſſæ Familiares* ab Imperatore acceperant, cujus fragmenta quædam in mutilo Codice noſtro adhuc ſuperſunt; .... *feudo aut pro cuſtodia illam habuerit inveſtigabimus. ac delibabimus. de reliquo vos diligentiſſime preparate. Sicut mos eſt noſtris anteceſſoribus facere. ante octavum diem* Kalendarum Octubrium *Romanam expeditionem nobiſcum venire.*

* Non alius profecto Imperator *litera* L..., quæ eſt ab initio epiſtolæ, indicari poteſt, niſi aut *Ludovicus*, aut *Lotharius*, quorum uterque longe abeſt ab ætate *Mathildis*, quæ vixit ſæculo XII. imperantibus Henricis IV. & V. Quare apertiſſimus eſt error librarii, & pro litera L... reponenda litera H... Quod vero ad ea, quæ in ipſa litera continentur, nos eorum veritatem ſapientis Lectoris judicio ſubjicimus. Certe nullibi legimus, Mathildem cuipiam Alberto nupſiſſe, qui Mediolanenſibus adverſus Imperatorem faveret, aut a ſuis in arce Canuſii hujus rei cauſſa cuſtoditam fuiſſe. Legere eſt Cl. Maſcovium in commentariis nuper editis de *rebus Imperii Romano-Germanicis*.

Pone ſuperius enarratas epiſtolas, ſequitur alia, quæ FORMATA COMMENDATITIA, ſive DIMISSORIA appellatur. Hanc quoque integram damus.

„ H...* Dei gratia Sancte Bono-
„ nienſis Eccleſie humillimus Epiſco-
„ pus Dodoni * Mutinenſi Venerabili
„ Epiſcopo & in Chriſto Domino
„ fratri dilectiſſimo ſalutem & oratio-
„ nem in Domino. Evangelica pre-
„ ceptione jubemur & Apoſtolica in-
„ ſtitutione monemur honera fratrum
„ viciſſim portare. & eorum neceſſi-
„ tatibus fraterna caritate communi-
„ care. Ea propter Venerabilis frater
„ cum univerſe Baſilice totius mundi
„ climate conſtitute qui unus Chriſti
„ ſunt thalamus. juxta id quod in
„ Canticis Canticorum legitur. una
„ eſt colomba mea. matris ſue filia.
„ preſentium latorem Johannem no-
„ mine confidenter Fraternitati veſtre
„ dirigimus. quem noveritis fide ple-
„ num. caritate fulgidum. caſtitate
„ nitidum. ceteris bonis moribus or-
„ natum. ſacris litteris eruditum. per
„ ſingulos gradus ad Presbiteratus Or-
„ dinem in Eccleſia noſtra promotum.
„ non pro ſua nequicia expulſum.
„ Sed juſta & rationabili cauſa cano-
„ nice a nobis dimiſſum. Fraternita-
„ tem itaque veſtram rogamus & ob-
„ ſecramus. ut eum benigne ſuſcipia-
„ tis. Et in veſtra Parrochia Sacra
„ Miſſarum ſolempnia celebrare per-
„ mittatis. Et ſi veſtra cum illius vo-
„ luntate conſenſerit. in veſtris Baſi-
„ licis illum ordinandi licentiam ha-
„ beatis. Quod ut verius credatis Sa-

Digitized by Google

„ cris litteris Canonicis more munivi-
„ mus. & noſtro ſigillo inſigniri juſ-
„ ſimus.

* Ideſt Henricus Epiſcopus Bononienſis anno 1130.

* Dodo Epiſcopus Mutinenſis obiit anno 1135. V. Ughellium Tomo II. pag. 18. & 116.

Fol. 132. Quædam de *Jejunio* Conſtitutiones.

Fol. 137. Tractatus de *Angelis*, abſque autoris nomine.

CODEX DCCV. *d.* II. 25.

Membranaceus, conſtans foliis 120. ſæculi XIII. Eſt primum in eo *Evangelium* S. MATTHÆI cum *Gloſſa*, & commentario ex variis autoribus excerpto.

Fol. 68. *Liber qui dicitur* SCINTILLARUM, ſive *tractatus de diverſis Virtutibus*. Autor eſt BEDA, editumque legimus inter ejus opera Tom. VII. pag. 370.

Fol. 119. Sermo S. AUGUSTINI de *Nativitate Domini*. Eſt CXVIII. in *Appendice*.

CODEX DCCVI. *d.* II. 26.

Membranaceus, conſtans foliis 70. ſæculi XIII. in quo *Evangelium* S. MARCI, cum expoſitionibus SS. Patrum, præſertim HIERONYMI, & BEDÆ, addita *Gloſſa interlineari*.

CODEX DCCVII. *d.* II. 27.

Membranaceus, ſæculi XIII. habet folia 72. Eſt *Evangelium* S. MARCI, cum variorum *Gloſſa*, & commentariis.

CODEX DCCVIII. *d.* II. 28.

Membranaceus, conſtans foliis 89. ſæculi XIII. in quo *Evangelium* S. LUCÆ cum variorum expoſitione, & *Gloſſa interlineari*.

CODEX DCCIX. *d.* II. 29.

Membranaceus, conſtans foliis 103. ſæculi XIII. in quo *Evangelium* S. JOHANNIS, itidem cum *Gloſſa*, & variorum commentariis.

CODEX DCCX. *d.* II. 30.

Membranaceus, habens folia 92. ſæculi XII. in quo *Evangelium* S. JOHANNIS cum variorum commentariis, & *Gloſſa interlineari*.

In poſtremo folio hæc a recentiore librario ſcripta leguntur.

Ego G.... Praesbyter Cardinalis tituli paſtoris cognoſcens ex delegatione Sedis Apoſtolice de negocio quod vertitur inter Gryphonem* Epiſcopum Ferrarie. & Rodulphum Abbatem Monaſterii S. Johannis Evangeliſte. quod eſt ſitum Ravennis. Eum dictum Gryphonem habitum pro confeſſo de reſtitutione Ville Triſigalis & Plebis ibi diſpoſite ſupraſcripto Abbati condepno.*

* Floruit Gryphon Ferrariæ Epiſcopus anno 1141. V. Ughellium Tom. II. pag. 536.

CODEX DCCXI. *d.* II. 31.

Membranaceus, conſtans foliis 162. ſæculi XIII. in quo commentarius in *Epiſtolas* S. PAULLI ex SS. Patribus excerptus, addita *Gloſſa interlineari*.

CODEX DCCXII. *d.* II. 32.

Membranaceus, conſtans foliis 220. ſæculi XIII. elegantiſſimis imaginibus, literiſque auro varie pictis ornatus, in quo *poſtilla* in *Epiſtolas* S. PAULLI, ex commentariis ut plurimum *S. Ambroſii* conflata.

CODEX DCCXIII. *d.* II. 33.

Membranaceus, cui folia 158. ſæculi XIII. literis vario colore delineatis conſpicuus. Habentur in eo S. PAULLI *Epiſtolæ*, cum variorum commentariis,

Digitized by Google

mentariis, & *Gloſſa interlineari*.

CODEX DCCXIV. *d.* II. 34.

Membranaceus, conſtans foliis 119. ſæculi XIII. in quo pariter *Epiſtolæ* S. PAULLI cum *Gloſſa*.

Singulis Epiſtolis præfigitur argumentum. Prima, & poſtrema codicis folia deſiderantur.

CODEX DCCXV. *d.* II. 35.

Membranaceus, ſæculi XII. habet folia 109. ubi primum EPISTOLÆ CANONICÆ cum *Gloſſa*.

Fol. 54. THRENI, ſive LAMENTATIONES *Jeremiæ Prophetæ* cum *Gloſſa* ex SS. Patribus excerpta a GISLIBERTO *Altiſiodorenſis Eccleſiæ Diacono*, ut dicitur *fol.* 104. *pag.* 2. *Sufficiant ad expoſitionem Lamentationum Jeremie. quod Patrum fontibus hauſi ego Gislibertus Altiſiodorenſis Eccleſie Diaconus*.

Hoc *Gilberti*, ſive *Gisliberti* opus MS. ſervari in plurimis Bibliothecis, & præſertim in *Bibliotheca Collegii Caii & Gonelli Cantabrigiae*, & quidem eadem ornatum hypographe, ſcribunt Lelong in *Bibliotheca Sacra* pag. 744. & Oudinus Tomo II. pag. 115.

Floruit GILBERTUS ſæculo XII. & anno 1127. ex *Altiſiodorenſi Canonico* conſecratus fuit *Londinenſis Epiſcopus*.

Fol. ultimo ſunt nonnullæ preces ad CHRISTUM metrico carmine exaratæ, ad incendendam animi pietatem accommodatiſſimæ, quas propterea libenter ſubjicimus.

Juſte judex Jeſu Chriſte Rex Regum & Domine.
Qui cum Patre regnas ſemper & cum Sancto ſpiramine.
Tu digneris preces meas clementer ſuſcipere.
Tu de celis deſcendiſti Virginis in uterum
Unde ſumens ſuam Carnem viſitaſti ſeculum
Tuum plaſma redimendo Sanguinem per proprium.
Illa queſo Deus meus glorioſa paſſio
Me defendat inceſſanter ab omni periculo.
Ut valeam permanere in tuo ſervicio.
Adſit mihi tua virtus ſemper & defenſio.
Mentem meam ne perturbet hoſtium incurſio
Nec damnetur corpus meum fraudolenti laqueo.
Dextra forti qua fregiſti Acherontium
Frange meos inimicos nec non inſidias.
Quibus volunt occupare cordis mei ſemitas.
Audi Chriſte me clamantem & peccantem miſerum.
Et querenti pietatem porrige ſolacium.
Ne inſurgant inimici mei in opprobrium.
Deſtruatur & tabeſcat qui me voluit perdere.
Fiat illis in ruinam laqueus invidie.
Jheſu pie Jheſu bone noli me relinquere.
Tu defenſor & protector tu ſis mihi clipeus.
Ut reſiſtam te victorem mihi detrahentibus.
Et eiſdem ſuperatis gaudeam diucius.
Mitte mihi ſanctum de ſupremis ſedibus Paraclitum.
Suo meum qui illuſtret ſplendore conſilium.
Odientes me repellat & eorum odium.
Sancte Crucis tue ſignum ſenſum meum muniat.
Et vexillum triumphale me victorem faciat.
Ut devictus inimicus viribus deficiat.

CODEX DCCXVI. *d.* II. 36.

Chartaceus, foliis conſtans 108. ſæculi XV. in quo S. JOHANNIS CHRYSOSTOMI de *Reparatione lapſi libri duo ad Theodorum*. Initium fit his verbis: *Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lacrimarum. Opportunius nunc a me quam tunc a Propheta diceretur. licet enim non urbes multe. nec gens integra lamentanda mihi ſit &c.*

Fol. 60. Ejuſdem *liber primus ad Demetrium de compunctione cordis*. Incipit:

Digitized by Google

Cum te intueor B. Demetri frequenter insistentem mihi & omni cum vehementia exigentem &c.

Fol. 85. ejusdem *liber secundus de compunctione cordis ad Stelechium*. Incipit: *Et quomodo poterit fieri quod imperas o homo Dei Stelechi. ut anima infirma & frigida compunctionis verba pariat &c.*

Fol. 104. ejusdem *Tractatus quod nemo leditur nisi a se ipso*; cujus initium; *Scio quod crassioribus quibusque ex presentis vite illecebris hiantibus. atque his qui per omnia terre adherent &c.*

Fol. 135. *Sermo de Pœnitentia*, absque autoris nomine. Incipit; *Provida mente & profundo cogitatu cognosci debent duo rerum distincta negocia &c.*

CODEX DCCXVII. *d.* II. 37.

Chartaceus, folia habens 109. sæculi XV. in quo S. JOHANNIS CHRYSOSTOMI *de compunctione cordis ad Demetrium liber*,

Fol. 37. ejusdem *liber de Reparatione lapsi*.

Fol. 79. ejusdem *super illo verissimo verbo. quod nemo leditur nisi a se ipso*.

Fol. 103. *De vita Sacerdotum autoritates varie Sanctorum doctorum* ab *Anonymo* scriptore congestæ. Initium fit his verbis.

O vos Sacerdotes Pincerne &c.

CODEX DCCXVIII. *d.* II. 38.

Membranaceus, constans foliis 57. sæculi XIV. in quo *liber* S. AUGUSTINI *Episcopi Patris nostri de vita Christiana*. Inter supposititia opera adnumeratur a *PP. Maurinis* in Tomo VI.

Fol. 19. *liber de vita contemplativa*. Est JULIANI POMERII: edituſque legitur inter opera S. PROSPERI, ut alias monuimus. Intercedunt variantes aliquot lectiones, quæ parvi tamen momenti sunt.

Fol. 50. *Expositio Missæ*, sine autoris nomine. Incipit præfatio; *dicit Apostolus ad Ephesios induite vos armatura Dei ut possitis stare adversus insidias diaboli &c.*

CODEX DCCXIX. *d.* II. 39.

Chartaceus, habens folia 55. sæculi XV. continet S. AUGUSTINI *sermones* XIX. *ad Fratres in Eremo*, qui inter suppositititios accensentur in citato superius Tomo VI. *operum Augustini*.

Fol. 31. *Sermo in* NATIVITATE DOMINI, prætermisso autoris nomine. Incipit; *Fratres dilectissimi homo non solum &c.*

Fol 33. Ignoti autoris *Sermo de vario Monachorum genere*, cujus initium: *Ut nobis per litteras declaravit S. Pater Hieronymus. tria fuerunt in Egypto genera Monachorum &c.*

Fol. 38. Sermones duo *de Jejunio*, tacito etiam autoris nomine. Primus incipit: *frequenter audistis quod jejunium est res sancta &c.*

Secundus, qui est fol. 39. incipit: *scire namque debetis &c.*

His interponitur sermo suppositititius de *S. Hieronymo, quomodo fuit Cardinalis, & reliquit Cardinalatum &c.*

Fol. 40. sequuntur alii quinque *sermones ad Fratres in Eremo*, qui in Tomo VI. supra citato *operum S. Augustini*.

CODEX DCCXX. *d.* II. 40.

Membranaceus, constans foliis 51. seculo X. scriptus, in quo S. AUGUSTINI *de quantitate Animæ liber*; cujus initium: *Retractatio S. Augustini de animæ quantitate &c.*

Passim occurrunt lectionis discrepantiæ, quarum pleræque haud magni momenti sunt.

CODEX DCCXXI. *d.* II. 41.

Membranaceus, constans foliis 60. sæculi XV. in quo FULGENTII *Episcopi Cartaginensis secundum philosophiam moraliter expositarum ad Catum Presbiterum Carta-*

ginensem

Digitized by Google

ginenſem libri mitologiarum. Craſſiſſium eſt mendum. Neque enim FULGENTIUS autor hujus operis, quem Voſſius *Inſtit. Orat.* lib. IV. pag. 198. FABIUM PLANCIADEM nomine appellat, fuit Epiſcopus Carthaginenſis, ſed *Clariſſimatus dignitate* inſignis, ut ſcribit Modius *novar. antiq. lect.* epiſtola LXI. qua de re plura legi poſſunt apud Albertum Fabricium, qui variis in locis ſuæ *Bibliothecæ Latinæ* loquitur de *Fulgentio mythologiarum* ſcriptore.

Ceterum *Mythologiarum* libris præmittitur præfatio, quam ſequuntur capitula. Fabulas contulimus cum editis ab *Auguſtino Vanſteveren*, & nonnullas, exigui tamen momenti, animadvertimus variantes lectiones. At notatu maxime dignæ ſe obtulerunt *in expoſitione ſermonum antiquorum*, quarum idcirco ſpecimen unum, aut alterum præbemus.

In edit.

Ne de tuorum præceptorum ſerie, Domine, noſtra quidquam curtaſſe inobedientia putaretur, libellum, quem de abſtruſis ſermonibus parari juſſiſti, in quantum memoriæ entheca ſubrogare potuit, abſolutum retribui, non tam phaleratis ſermonum ſtudentes ſpumis, quam rerum manifeſtationibus dantes operam dilucidandis.

In Cod.

Ne de tuorum Domine preceptorum ſerie. noſtra quicquam cur tacuiſſe inobedientia putaretur. libellum etiam quem de abſtruſis ſermonibus parare juſſiſti. inquantum memorie entheca ſubrogare potuit abſolutum retribui. non tam faleratis ſermonum ſtudentes ſpumis. quam rerum manifeſtationibus dantes operam dilucidandis.

In edit. *v.* VISPILLIONES n. 3.

Mnaſeas tamen III. Europæ libro ſcripſit Apollinem, poſtquam ab Jove ictus, atque interfectus eſt, Viſpillionibus ad ſepulturam elatum eſſe.

In Cod.

Tamen Naſeas ſcribit in Europe libro Apollinem poſtea quam ab Jove victus atque interfectus eſt. a Viſpillionibus ad ſepulturam elatus eſt.

In fine Codicis hæc habentur; ubi iteratur mendum:

Fulgentii Epiſcopi Cartaginenſis Expoſitio ſermonum antiquorum ad Calcidium Grammaticum finis feliciter.

Iſte Fulgentius primo quidem vir clariſſimus. Philoſophice diſcipline affatim deditus. cunctis ſapientibus amabilis & carus. Poſtea verò tempore Anaſtaſii Imperatoris Epiſcopus Cartaginenſis eſt ordinatus.

CODEX DCCXXII. *d.* III. 4.

Chartaceus, conſtans foliis 174. ſæculi XV. in quo liber TOBIÆ cum prologo S. HIERONYMI.

Fol. 16. Liber JOBI.
Fol. 44. PARABOLÆ SALOMONIS.
Fol. 71. ECCLESIASTES.
Fol. 79. CANTICUM CANTICORUM.
Fol. 83. Liber SAPIENTIÆ.
Fol. 99. ECCLESIASTICUS.
Fol. 140. Privilegia ab EUGENIO IV. NICOLAO IV. aliiſque ſummis Pontificibus *Ordini Prædicatorum Congregationis Lombardiæ* conceſſa.

Fol. 146. PLANCTUS, qui B. BERNARDO perperam tribuitur. Ejus initium eſt: *Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis imbrem lacrimarum ut poſſim flere &c.*

Fol. 152. *Copia brevis epiſtole* EUGENII PAPE IV. *dilecto filio fratri Johanni de Capiſtrano Ordinis Minorum de Obſervantia Regulari.*

Latuit hæc epiſtola Wadingum, qui plures tamen refert ſcriptas ab EUGENIO IV. *Johanni Capiſtrano*, in tomo XI. *Annalium*. Integram quapropter exſcribere hoc loco voluimus.

„ Dilecto Filio Fratri Johanni de
„ Capiſtrano Ordinis Minorum de Ob-
„ ſervantia Regulari.
„ Dilecte Fili ſalutem. & Apoſtoli-
„ cam Benedictionem. Fide digna re-
„ latione percepimus in Civitate Licii
„ non parvam per hæc tempora excita-
„ tam fuiſſe comotionem de die debite
„ perceptionis Sacratiſſimi Corporis Do-
„ mini Noſtri Jheſu Chriſti. Et quod
„ per aliquos religioſos ſit afirmatum.
„ non communicantes actualiter in die
„ Reſurectionis Dominice mortaliter
„ pec-

Digitized by Google

„ peccare etiam ſi in die Jovis ſancta
„ & ab aliis quibuſcunque diebus infra
„ annum pluries & frequentatis vici-
„ bus communicaviſſent. Quod piis
„ auribus eſt audire moleſtum. Recoli-
„ mus alias per quoddam Breve ſcripſiſſe
„ venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Li-
„ cienſi. quod intelligebamus ſatis fa-
„ ctum eſſe. Si paulo ante vel paulo
„ poſt diem Reſurectionis Domini quis
„ communicet. Mirati ſumus quod
„ poſtmodum nova controverſia revi-
„ xerit. Sed inimicus homo ſuperſe-
„ minavit zinzaniam. Nos igitur cu-
„ pientes purgatum triticum in oreum
„ Domini congregare. actendentes
„ juxta doctrinam Beati Aguſtini quod
„ ſolent circumſtantie Scripturarum il-
„ luminare ſubſtanciam veritatis. &
„ non ſolum adiectencia ſed etiam pre-
„ cedencia & ſubſequencia verba ſunt
„ conſideranda prudenti. cum dicat
„ Canon Eccleſie omnes utriuſque ſexus
„ Fideles ſaltem ſemel in anno confi-
„ teantur. & infra ſuſcipiens reveren-
„ ter ad minus in Paſcha Eucariſtie
„ Sacramentum. & ſequitur. niſi de
„ proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam
„ rationabilem cauſam duxerit abſti-
„ nendum. dicimus expreſſe non eſſe
„ intentionis legislatoris animas illa-
„ queare Fidelium culpa mortali ad
„ communicandum preciſe in die Do-
„ minice Reſurectionis. ſed termi-
„ num ſtatuiſſe a Paſca ad Paſca.
„ Cum dicit ſemel in anno & infra ad
„ minus in Paſca niſi &c. mens ejus
„ magis quam verborum ſonus eſt at-
„ tendenda diſcrete. Intelligimus itaque
„ optimo jure ſatis factum Canoni cum
„ in ebdomada ſancta vel infra octa-
„ vam Paſce Reſurectionis Dominice
„ ſecundum meliorem diſpoſitionem
„ conſcientie & apetitus mentis devo-
„ tionem Fideles preparatione debita
„ ſanctum Eucariſtie pignus accipiunt.
„ & cum domini Paſca celebrant ad
„ ſalutem. Et huic ſententie omnes vo-
„ lumus aquieſcere. Quare Devotioni
„ veſtre committimus ut predicta ubi
„ opportunum intelligas populis nota
„ facias. Datum Rome. apud Sanctum
„ Petrum ſub annulo noſtro ſecreto die
„ VIII. Julii MCCCCXXXXVI.
„ Pontificatus noſtri anno XVI.

Fol. 161. *Exhortatio Paupertatis exemplo Chriſti*, ſine autoris nomine: Incipit; *Imitatores paupertatis eſtote*.

CODEX DCCXXIII. *d.* III. 5.

Membranaceus, ſæculi XIV. conſtans foliis 136. Habetur in eo *Poſtilla* MAGISTRI NICOLAI DE LYRA *ſuper Pſalterio*.

In fine hæc leguntur.

Explicit Poſtilla ſuper Pſalterium librum Pſalmorum edita a Fratre Nicolao de Lira de Ordine Fratrum minorum Sacre Theologie Doctore anno Domini milleſimo CCCXXVI.

CODEX DCCXXIV. *d.* III. 6.

Membranaceus, folia habens 91. ſæculi XIV. in quo *Diſtinctiones in Pſalmos*, abſque autoris nomine. Præmittitur præfatio, cujus initium: *Quiſquis ad divine pagine lectionem erudiendus accedit &c.* Sunt paſſim adnotatiunculæ in margine.

CODEX DCCXXV. *d.* III. 7.

Membranaceus, ſæculi XIV. habens folia 76. eaſdem continet *Diſtinctiones in Pſalmos*, cum iiſdem omnino adnotationibus in margine, & ab eodem forte ſcriptas librario.

CODEX DCCXXVI. *d.* III. 8.

Membranaceus, conſtans foliis 76. ſæculi XIV. in quo interpretatio PSALMORUM VI. XXXI. XXXVII. L. CI. CXXIX. & CXXXXII. Quæ eſt PSALMI VI. expoſitio ita incipit: *In precedenti Pſalmo verba mea egit de eterna hereditate danda filiis Eccleſie. hic agit de adventu ad judicium &c.* Deſideratur interpretis nomen.

Fol.

Digitized by Google

Fol. 49. *Tractatus compendioſus de Divinis & humanis legibus*, prætermiſſo autoris nomine. Incipit: *Jus eſt genus & lex eſt ſpecies. Quid eſt lex. quid mos. quid conſuetudo &c.*

Fol. 65. Quæſtiones variæ de rebus ad *Jus Canonicum* ſpectantibus, ex ipſius *Juris* fontibus explicatæ, & ab ignoto autore collectæ.

CODEX DCCXXVII. *d.* III. 9.

Membranaceus, foliis conſtans 88. ſæculi XIV. in quo *Diſpoſicio* MAGISTRI RODULFI *ſuper Tobiam in* XXX. *diviſa ſermonibus*.

Scribit Trithemius *Chronici Hirſaugienſis* Tomo I. pag. 38. RODULPHUM floruiſſe anno 587. in Monaſterio S. *Aurelii Hirſaugienſis*. Jacobus autem Lelong *Bibliothecæ Sacræ* pag. 935. hanc a Monacho Benedictino RODULPHO ſcriptam in TOBIAM commentationem ait ineditam eſſe, neque ſatis conſtare, an in quapiam adſervetur Bibliotheca. In Taurinenſi certe adſervatur, atque his incipit verbis: *Divinam volentibus inveſtigare Scripturam, duo inveſtigandi genera occurrunt. unum ſimplex. alterum miſticum. In primo nuda ſuperficies littere: in ſecundo integumentum ſpiritualis intelligentie invenitur.*

Fol. 28. Eſt Epiſtola ejuſdem RODULPHI ad *Inſulanum Abbatem* de ſuo in Tobiam commentario; cujus initium: *Eximie honeſtatis & ſapientie viro B. Inſulano Abbati &c. Quam pervalida ſit intime virtus* Karitatis *quantaque ſit ejus efficatia &c.*

Pone epiſtolam ſequuntur quamplurimi Sermones, quorum autor non indicatur. Eorum propterea titulos, & initia exſcribimus.

Fol. 29. *Sermo ſuper illis verbis* Homo cum in honore eſſet. Incipit: *primi hominis ſemper dolenda ſunt &c.*

Fol. 31. *pag.* 2. *Sermo ſuper illis verbis* Beati mites &c. cujus initium: *Inter cetera virtutum inſignia &c.*

Fol. 34. *Sermo in Dedicatione Eccleſiæ.* Incipit; *Hec eſt Domus Domini &c.*

Fol. 34. *pag.* 2. *Sermo ſecundus de eadem Eccleſiæ dedicatione*, cujus initium: *Omnia fratres Kariſſimi facta antique legis &c.*

Fol. 35. *Sermo tertius inter Clericos* de eadem *dedicatione*. Incipit: *Audite fratres dilectiſſimi &c.*

Fol. 36. *Sermo quartus* de eadem *dedicatione*, cujus initium: *Venite ad me omnes &c.*

Fol. 38. *Sermo de mortuis*, cujus initium: *Quoniam fratres multi &c.*

Fol. 38. *pag.* 2. *Sermo ſecundus de mortuis*. Incipit: *Vir fortiſſimus Judas &c.*

Fol. 39. *Sermo de Decimis*; cujus initium: *Filii hominum &c.*

Fol. 40. *Sermo in Adventu Domini*. Incipit: *Audite Verbum Domini &c.*

Fol. 41. *Sermo ſecundus in Adventu Domini*, cujus initium: *Oritur Stella ex Jacob &c.*

Fol. 41. *pag.* 2. *Sermo tertius in Adventu Domini*. Incipit: *Ecce veniet Rex &c.*

Fol. 42. *Sermo quartus in Adventu Domini*, cujus initium: *miſerunt Judei &c.*

Fol. 43. *Sermo quintus in Adventu Domini*. Incipit: *egredimini filie Syon &c.*

Fol. 43. *pag.* 2. *Sermo ſextus in Adventu Domini*, cujus initium: *Refert fratres Kariſſimi &c.*

Fol. 44. *Sermo ſeptimus in Adventu Domini*. Incipit: *erit in noviſſimis diebus &c.*

Fol. 45. *Sermo de Nativitate Domini*, cujus initium: *Apprehendent* X. *homines &c.*

Fol. 45. *pag.* 2. *Sermo ſecundus de Nativitate Domini*. Incipit: *Eſt inregreſſibilis lex &c.*

Fol. 46. *Sermo tertius de Nativitate Domini*, cujus initium: *Vidi Angelum &c.*

Fol. 47. *Sermo quartus de Nativitate Domini*. Incipit: *Puer natus eſt nobis &c.*

Fol. 47. *pag.* 2. *Sermo de S. Stephano*, cujus initium: *Cantate Domino Canticum &c.*

Fol.

Digitized by Google

Fol. 48. *Sermo ſecundus* de eodem *Sancto Stephano*. Incipit ; *Heſterna die &c.*

Fol. 48. *pag.* 2. *Sermo in feſto S. Johannis Evangeliſtæ*, cujus initium: *Bonus Homo &c.*

Fol. 48. Ibidem. *Sermo ſecundus de S. Johanne Evangeliſta*. Incipit. *Vidi quatuor Animalia &c.*

Fol. 49. *Sermo in Circumciſione Domini*. Incipit : *poſtquam conſumati ſunt &c.*

Fol. 49. *pag.* 2. *Sermo in eodem die feſto*, cujus initium : *Ecce jam venit plenitudo &c.*

Fol. 50. *Sermo in Epiphania*, cujus initium : *Reges Tharſis &c.*

Fol. eodem *pag.* 2. *Sermo ſecundus in Epiphania*, cujus initium. *Surge & illuminare &c.*

Fol. 51. *Sermo in Purificatione Sanctæ Mariæ*. Incipit : *fecit ſibi Rex Salomon &c.*

Fol. 52. *pag.* 2. *Sermo in Septuageſima*, cujus initium. *Audi Iſrael manda-ta &c.*

Fol. 53. *Sermo ſecundus in Septuageſima*. Incipit : *Tulit Deus hominem &c.*

Fol. 53. *pag.* 2. *Sermo in Annuntiatione S. Mariæ*. Incipit : *Ave Maria gratia plena &c.*

Fol. 54. *Sermo ſecundus in eodem die feſto*, cujus initium. *Miſſus eſt Angelus &c.*

Fol. 54. *pag.* 2. *Sermo in Quadrageſima*. Incipit : *Naaman Princeps &c.*

Fol. 55. *pag.* 2. *Sermo ſecundus in Quadrageſima*, cujus initium : *Beati qui lugent &c.*

Fol. 56. *Sermo tertius in Quadrageſima*. Incipit : *Convertimini & agite penitentiam &c.*

Fol. 56. *pag.* 2. *Sermo quartus in Quadrageſima*, cujus initium : *Vade ad formicam &c.*

Fol. 57. *Sermo quartus in Quadrageſima*. Incipit. *Ecce nunc tempus &c.*

Fol. 58. *pag.* 2. *Sermo in ſexta feria Lazari*, cujus initium : *Beatus qui habet &c.*

Fol. 59. *Sermo in Ramis Palmarum*. Incipit. *Cum appropinquaſſet &c.*

Fol. 60. *Sermo ſecundus in Ramis Palmarum*, cujus initium. *Venit Jeſus ad Montem &c.*

Fol. 61. *Sermo in Coena Domini*. Incipit : *Venite filii audite me &c.*

Fol. 61. *pag.* 2. *Sermo ſecundus in Coena Domini*, cujus initium : *Sicut portavimus &c.*

Fol. 62. *Sermo tertius in Coena Domini*. Incipit : *Cum ſederis ad menſam &c.*

Fol. 63. *Sermo quartus in Coena Domini*, cujus initium. *Comedite amici &c.*

Fol. 64. *Sermo in Paraſceve*, cujus initium : *Sicut exaltavit Moiſes &c.*

Fol. 66. *Sermo ſecundus in Paraſceve*. Incipit: *Sic dilexit Deus mundum &c.*

Fol. 66. *Sermo de Paſchate*, cujus initium : *Paſca noſtrum &c.*

Fol. 68. *Sermo ſecundus de Paſchate*. Incipit. *Maria Magdalena &c.*

Fol. 68. *pag.* 2. *Sermo tertius de Paſchate*, cujus initium. *Ecce vicit Leo &c.*

Fol. 69. *pag.* 2. *Sermo quartus de Paſchate*. Incipit. *Reſurrexit &c.*

Fol. eodem, *pag.* 2. *Sermo quintus de Paſchate*, cujus initium. *Gaudete & exultate &c.*

Fol. 70. *Sermo in Letaniis*. Incipit. *Confitemini &c.*

Fol. eodem *pag.* 2. *Sermo ſecundus in Letaniis*, cujus initium : *Scrutemur vias noſtras &c.*

Fol. 71. *Sermo in Aſcenſione Domini*. Incipit : *nemo aſcendit in Celum &c.*

Fol. eodem. *Sermo ſecundus de Aſcenſione*, cujus initium : *Oritur Sol &c.*

Fol. 71. *pag.* 2. *Sermo tertius de Aſcenſione*. Incipit : *exaltate ſuper Celos &c.*

Fol. 72. *Sermo in Pentecoſte*. Incipit : *In veteri hiſtoria &c.*

Fol. 72. *pag.* 2. *Sermo ſecundus in Pentecoſte*, cujus initium : *feſtivitatem hodiernam &c.*

Fol. 73. *Sermo in die Natali S. Johannis Baptiſtæ*. Incipit. *Inter natos mulierum &c.*

Fol.

Digitized by Google

Fol. eodem. *Sermo ſecundus de eodem die feſto*, cujus initium : *at ubi venit plenitudo &c.*

Fol. 74. *Sermo in die feſto SS. Petri & Pauli*. Incipit : *Vidi Civitatem &c.*

Fol. 74. *pag.* 2. *Sermo ſecundus de iiſdem Sanctis*, cujus initium : *State in viis &c.*

Fol. 75. *Sermo in Aſſumptione S. Mariæ*. Incipit : *intravit Jeſus &c.*

Fol. eodem. *Sermo ſecundus in Aſſumptione*, cujus initium : *Sapientia hedificavit &c.*

Fol. 66. *Sermo in Nativitate S. Mariæ*. Incipit : *Egredietur virga &c.*

Fol. 66. *pag.* 2. *Sermo ſecundus de eodem die feſto*. Incipit : *Gaudete in Domino &c.*

Fol. 76. *pag.* 2. *Sermo in die feſto S. Michaelis*, cujus initium : *feſtivitatem hodiernam &c.*

Fol. 77. *Sermo ſecundus de eodem die feſto*. Incipit : *Beati Michaelis &c.*

Fol. 77. *pag.* 2. *Sermo in die feſto omnium Sanctorum*, cujus initium : *Dilectus meus &c.*

Fol. 78. *Sermo ſecundus de eodem die feſto*. Incipit : *Caritati veſtre &c.*

Fol. 78. *Sermo in die feſto Apoſtolorum*, cujus initium : *Nimis honorati ſunt &c.*

Fol. 78. *pag.* 2. *Sermo ſecundus de die feſto Apoſtolorum*. Incipit. *Ab Aquilone nubes &c.*

Fol. 79. *Sermo de Martyribus*, cujus initium : *Beati pauperes ſpiritu &c.*

Fol. 79. *pag.* 2. *Sermo ſecundus de Martyribus*. Incipit : *Ecce quam bonum &c.*

Fol. 80. *Sermo de Confeſſoribus*. Incipit : *Sint lumbi veſtri &c.*

Fol. 80. *pag.* 2. *Sermo ſecundus de Confeſſoribus*, cujus initium : *Nemo accendit &c.*

Fol. 81. *Sermo de S. Nicolao*, cujus initium : *Homo quidam &c.*

Fol. 82. *Sermo habitus in Conventu Clericorum*. Incipit. *Initium vie bone &c.*

Fol. 83. *Sermo ſecundus in Conventu Clericorum*. Incipit. *Initium Sapientie &c.*

Fol. 84. *Sermo in medio Quadrageſimæ utilis*. Incipit : *Beati qui audiunt &c.*

Fol. 84. *pag.* 2. *Sermo in Ramis Palmarum*, cujus initium : *In Veteri Teſtamento &c.*

Fol. eodem. *Sermo in Conſecratione Eccleſiæ* : Incipit : *Domum tuam decet &c.*

Fol. 86. *Sermo Religioſis competens*, cujus initium : *Quis dabit mihi pennas &c.*

Fol. 87. *Sermo alter eiſdem competens*. Incipit : *Diſpoſui aſcenſiones &c.*

Fol. 88. *Sermo bonus & utilis omnibus*, cujus initium : *In die illa ſibilabit Dominus. &c.*

Initio Codicis duo folia compacta ſunt, ſæculo undecimo ſcripta, quæ fragmentum continent commentarii *Anonymi* in *Geneſim*.

CODEX DCCXXVIII. *d.* III. 9.

Membranaceus, conſtans foliis 168. ſæculi XIII. in quo *liber* DANIELIS PROPHETÆ. Præmittitur index capitum, & *Sancti Hieronymi* prologus.

Fol. 23. *Liber* EZECHIELIS PROPHETÆ, præmiſſis pariter capitum indice, & *S. Hieronymi* prologo.

Fol. 84. uſque ad folium 144. PROPHETÆ MINORES, quibus itidem præfigitur prologus *S. Hieronymi*.

Fol. 145. *Liber* ESDRÆ, cum præfatione ejuſdem S. Doctoris.

CODEX DCCXXIX. *d.* III. 11.

Membranaceus, conſtans foliis 18. ſæculi XV. continet *Fratris* HIERONYMI A PARADISO expoſitionem Pſalmi, *Benedic anima mea Domino &c.* inſcriptam *Franciſco II. Sfortiae Vicecomiti*, & *Mediolanenſi Duci*. Epiſtolæ initium eſt hujuſmodi : *Marcus Tullius Cicero Romanę fons uberrimus eloquentię inclyte Princeps &c.*

Verſiculi Pſalmi auro deſcripti ſunt, & auro pariter pictum præfigitur ſtemma *Gentis Sfortiadae, & Ducatus Mediolanenſis*.

Digitized by Google

CODEX DCCXXX. *d.* III. 12.

Membranaceus, ſæculi XIV. habet folia 111. Eſt *expoſitio* CANTICI CANTICORUM. *Incipit*: *Sallomon inſpiratus divino Spiritu compoſuit hunc libellum &c.*

CASSIODORI nomen huic opuſculo præfixum, præſeferunt quamplurimi MSS. Codices, & CASSIODORO non pauci Scriptores attribuunt; de qua re conſulendus Johannes Garotius in tomo II. *Operum Caſſiodori* pag. 479.

Fol. 50. Tractatus Theologici *de Unitate, & Trinitate Dei, de opere Creationis, de Angelis &c.* prætermiſſo autoris nomine.

Fol. 86. *Epiſtolæ* B. HIERONYMI *ad Papam Damaſcum*, ideſt *Damaſum*.

Fol. 94. *Anonymi* Sermo, qui incipit: *quomodo didicimus per Moiſem &c.*

Fol. 103. Eſt commentarius in CANTICA CANTICORUM. Incipit: *Omnes anime munitiones* (ideſt *motiones*) *univerſitatis conditor Deus creavit ad bonum &c.*

Deſideratur nomen explanatoris.

CODEX DCCXXXI. *d.* III. 13.

Membranaceus, conſtans foliis 145. ſæculi XIV. in quo idem omnino commentarius in CANTICA CANTICORUM, qui eſt in præcedenti Codice. *Omnes anime motiones &c.*

Fol. 57. Sermo *de dignitate Clerici*. Incipit: *Cleros Grece ſors dicitur &c.* Abeſt autoris nomen.

Fol. 61. Sermo *de VII. Honoribus*, cujus initium: *primus honor erit &c.* Abſque autoris nomine.

Fol. 62. Sermo *de futuro Judicio*. Incipit: *Age jam &c.* tacito autoris nomine.

Fol. 64. Sermo *de laude Caritatis*, cujus initium: *Caritas eſt ut mihi videtur &c.* Nullibi autor ſe prodit.

Fol. 68. Sermo in ADVENTU DOMINI. Incipit: *Si devote celebramus &c.* Et hic deſideratur autoris nomen.

Fol. 71. Sermo in DIE NATALI DOMINI, cujus initium: *Grandis quidem eſt &c.* non indicato autoris nomine.

Fol. 73. Aſcetica quædam tumultuarie a neſcio quo collecta, ad monaſticam vitam potiſſimum ſpectantia, in quorum fine hæc leguntur:

Anno MCCCXX. primo celebratum Corporis Officium. Qui ipſum Officium in feſto celebrat. Urbanus V. PP. dat Indulgentiam mille & XXX. dies.

Fol. 84. *Paſſio* SANCTE MARGARITE *Virginis & Martiris*, ab ignoto autore ſcripta, cujus initium: *Poſt paſſionem Domini Noſtri Jeſu Chriſti & glorioſam Aſcentionem ejus in Celo ad Patrem Omnipotentem in illius nomine multi martires paſſi ſunt. Et Apoſtoli coronati ſunt in nomine Domini Noſtri Jesbu Chriſti Salvatoris &c.*

Fol. 96. *Hiſtoria* TITI & VESPASIANI, ſine ſcriptoris nomine. Incipit: *In diebus Tiberii Juliani Ceſaris Romani Imperatoris Tetrarcha ſub Poncio Pilato traditus fuit Jeshus Chriſtus Deus & Dominus Judeis &c.*

Fol. 99. uſque ad finem codicis ſunt Homiliæ, ſive ſermones abſque titulo, & autoris nomine, numero XLIII.

CODEX DCCXXXII. *d.* III. 14.

Membranaceus, habens folia 70. ſæculi XIV. in quo THOMÆ GALLI *Abbatis S. Andreæ Vercellenſis* commentarius in CANTICUM CANTICORUM. Plura de *Thoma Gallo* differit Roſſottus in Syllabo *Scriptorum Pedemont.* Floruit ſæculo XIII. & ejus *opus Pariſiis* publici juris factum eſt anno 1521. *Typis Aſcenſianis*.

CODEX DCCXXXIII. *d.* III. 15.

Membranaceus, cui folia 37. ſæculi XIII. eandem continet expoſitionem CANTICI CANTICORUM, quæ fuit in codicibus *d.* III. 11. & 12.

In fine:

Explicit liber Tractati de Canticis Canticorum Deo gratias amen. Anno Dominice Nati-

Digitized by Google

Nativitatis milleſimo ducenteſimo nonageſimo.

CODEX DCCXXXIV. *d.* III. 16.

Membranaceus, conſtans foliis 83. ſæculi XIV. Eſt *Poſtilla* MAGISTRI ROBERTI OLCOTII *maxime pagine profeſſoris de Ordine Fratrum Predicatorum ſuper librum Sapientie.*

Plures refert Eccardus tomo I. *Biblioth.* pag. 630. MSS. Codices OLCOTII, ſive KOLKOTII; nullum tamen legere eſt, cui præfixus ſit titulus, qui in Regio Codice Taurinenſi.

In fine.

Explicit Tabula de moralitatibus, atque predicabilibus ſuper librum Sapientie abbreviatis. Deo gratias. Anno Domini MCCCLXXIII. de menſe Februario.

CODEX DCCXXXV. *d.* III. 17.

Membranaceus, conſtans foliis 174. ſæculi XIII. Eſt commentarius *Anonymi* interpretis in ECCLESIASTICUM. Incipit: *Ad preſens ego pro ut ętas mea jam vergens in ſenium proteſtatur ingreſſurus viam univerſę terrę propoſui nonnullos flores decerpere ex libro Jeſu filii Sirach ſecundum puſſillitatem ingenii mei &c.*

Fol. 165. *Incipiunt Benedictiones quibus benedixit Moyſes filios Iſrahel.* Initium fit his verbis: *Tandem ventum eſt ad Benedictiones filiorum Iſrael &c.*

Deſideratur interpretis nomen.

CODEX DCCXXXVI. *d.* III. 18.

Membranaceus, cui folia 329. ſæculi XIII. Eſt HAYMONIS *commentarius in Iſayam prophetam*, cujus initium: *mos & uſitata conſuetudo eſt ſcriptorum qui nobis ſacras litteras miniſtrarunt &c.*

Fol. 187. *Liber* ISAYÆ *Prophetæ.*

Fol. 216. JOHELIS *Prophetia.*

Fol. 217. pag. 2. ABDIÆ *Prophetia.*

Fol. 219. Ejuſdem HAYMONIS *commentarius in Joelem.* Incipit: *Verbum Domini quod factum eſt ad Johel filium Fatuel. Dicit B. Hieronimus in LXX. interpretibus Bathuel. Sed melius ut legamus Fathuel &c.*

Fol. 228. *Commentarius* ejuſdem HAYMONIS *in Amos Prophetam.* Prima verba ſunt: *Amos Propheta qui tercius in XII. Prophetis continetur &c.*

Fol. 241. Ejuſdem HAYMONIS *Commentarius in Prophetam Danielem*, cujus initium: *Viſionum genera tria ſunt &c.*

Fol. 252. Ejuſdem *commentarius in Oſeam Prophetam.* Incipit: *Verbum Domini illud debemus intelligere. de quo Johannes in exordio Evangelii &c.*

Fol. 288. Ejuſdem *commentarius in Abdiam prophetam.* Incipit: *Abdiam autem Hebrei qui ſub Rege Samarie &c.*

Fol. 291. *Expoſitio ſuccinta in libro Hieremie Prophete*; cujus initium: *Dicendum in primordio hujus libri &c.*

Fol. 299. *Liber* OSEÆ PROPHETÆ.

Fol. 304. *Liber* AMOS PROPHETÆ.

Fol. 310. *Lamentatio* JEREMIÆ PROPHETÆ cum *Gloſſa marginali, & interlineari.* Præfigitur præfatio, quæ incipit: *Duo genera Canticorum Scriptura teſtatur. unum quod cantavit Moiſes populo liberato ab Egyptiis. Alterum quod Jeremias populo captivando a Caudeis &c.*

Fol. 330. *Tractatus de captivitate Babilonica*, cujus initium: *Narrat B. Auguſtinus qualiter ſepelliantur mortui in Perſida &c.*

Fol. 324. *Tractatus de ſeptuaginta Hebdomadibus in Danielem.* Incipit: *Septuaginta Hebdomades abbreviate ſunt ſuper populum tuum & ſuper Urbem ſanctam tuam. Quare Propheta dixerat &c.*

Poſteriores commentarii, & tractatus, quos ſine autoris nomine recenſuimus, licet HAYMONIS nomen in codice non præſeferant, eandem tamen omnes redolent antiquitatem, & ab eadem prorſus manu ſcripti ſunt, certiſſimumque eſt, HAYMONEM in omnes fere *Scripturæ* libros commentarios anagogicos ſcripſiſſe, quod teſtatur Bucelinus *Annalium Benedictinorum* parte I. pag. 157. & plura ejus opera typis edita recenſet Cave tomo II. pag. 28. ad *annum* 841. &

Digitized by Google

Dupinius tomo VII. pag. 176. Præ ceteris autem Jacobus Lelong, qui tamen pag. 776. *Commentarium in Oſeam* ei abjudicat.

CODEX DCCXXXVII. *d.* III. 21.

Membranaceus, conſtans foliis 377. ſæculi XIV. Continet primo loco ALEXANDRI NECKAM opuſcula.

Innumeri pene ſunt hujuſce ſcriptoris MSS. Codices, ſi Oudino fidem habemus, in *Angliæ Bibliothecis*; atque in ſingulis aut ſcriptoris nomen, aut opuſculorum variat titulus, & inſcriptio. In Regio Codice Taurinenſi titulus, & nomen hac ratione ſe habet: *Hic incipiunt expoſitiones verborum Bibliothece ſecundum magiſtrum Alexandrum Nequiam acies & ordinatus exercitus ad bellum &c. Sive Tractatus de dictionibus ſacrorum Bibliorum, in quibus aut accentus aut ſignificatio obſervari debet.* Incipit: *De ſingulis libris Bibliothece aliquas dictiones proferre, libet in medium &c.*

In fine.

Expliciunt Corrogationes Promethei: uti etiam in aliis codicibus MSS. ab Oudino relatis legitur.

Fol. 46. Ejuſdem *Sententiæ Aſceticæ*, ductis a *Scriptura* exemplis confirmatæ. Eſto ſpecimen.

Vitam corporalem amori Dei poſtponendam. Daniel & ſocii ejus potius in fornacem elegerunt poni quam ſtatuam erectam a Nabuchodonoſor adorare &c.

De hoc ALEXANDRI NECKAM opuſculo ne verbum quidem apud Oudinum, & Cave.

Fol. 49. *Commentarius* ejuſdem NECKAM *in Evangelium S. Marci*. Incipit: *Initium Sancti Evangelii Jeshu Chriſti: ideſt initium bone annunciationis &c.*

Fol. 69. Ejuſdem *Expoſitio ſuper Cantico Canticorum*. Incipit: *Verba ſunt ſponſi ad ſponſam &c.*

Fol. 85. Ejuſdem *Commentarius in Epiſtolas VII. Canonicas*. Incipit a prima *Jacobi*, & præfationis loco multa diſputat de *Scripturarum* intelligentia, & neceſſitate. Habe initium: *Audite diſciplinam & eſtote ſapientes. Tria ſunt hic notanda primum exortatio Dei ad audiendum quod notatur ibi audite &c.*

Hic commentarius deſideratur in MSS. *Angliæ* Codicibus ab Oudino, & Cave relatis, ſicut & commentarius in *Epiſtolas S. Paulli*, de quo infra.

Sequuntur nonnulla de *Chriſti Domini Cruce*, quam ait effectam ex quatuor lignis, *ex Cedro* ſcilicet, *ex Cypreſſo*, *ex Palma*, & *Oliva*.

Fol. 143. Ejuſdem *commentarius in Epiſtolas S. Paulli*. Initium ducit ab epiſtola ad *Romanos*. *Ad evidenciam doctrine Apoſtolice in ejus exordio tria ſufficiat inveſtigare &c.*

Fol. 319. Ejuſdem *commentarius in librum IV. Sententiarum.*

Fol. autem 356. Eſt PETRI ADELFONSI *liber de Clericali Diſciplina*. Incipit: *Dixit mihi Petrus Adelfonſus ſervus Criſti compoſitor hujus libri &c.* quem Oudinus tomo II. pag. 992. affirmat ſæculo XII. ineunte floruiſſe, non vero XIII. ut ſcripſit Geſnerus in *Bibliotheca* pag. 544.

Fol. 366. Adduntur CATONIS *dicta* antiquiore Gallica lingua reddita. En ſpecimen.

K*i vvult ſaver la ſentence* Ke *Catum apprent. Si en latin ne le ſeit entendre. ici le pourra en Rumaunz apprendre &c.*

Interpretis nomen deſideratur.

Fol. 369. Eſt *Carta libertatum Eccleſie Anglicane*, quæ cum reliquis, quæ adjiciuntur, ſpectantibus ad Regnum *Angliæ*, quo caſu, quave de cauſſa huic codici inſerta fuerint, prorſus ignoramus.

Integram exſcribimus.

„ Henricus Dei gratia Rex Anglie. Dominus Hibernie. Dux Nor-
„ mannie & Aquitanie. Comes Andegavie. Archiepiſcopis Epiſcopis Ab-
„ batibus &c. preſentem Cartam inſpecturis ſalutem. Sciatis quod intuitu
„ Dei & pro ſalute anime noſtre &
„ animarum Anteceſſorum noſtrorum.
„ & Succeſſorum noſtrorum & ad exal-

tatio-

Digitized by Google

„ tationem Sancte Ecclesie . & „ ad emendationem Regni nostri con- „ cessimus . & hac presenti Carta con- „ firmavimus pro nobis & heredibus „ nostris in perpetuum de consilio ve- „ nerabilis Patris nostri Sancti Martini „ Presbiteri & Cardinalis & Apostolice „ Sedis delegati &c. has libertates su- „ pra scriptas tenendi in Regno no- „ stro Anglie in perpetuum . In primis „ concessimus Deo & hac presenti „ Carta nostra confirmavimus pro no- „ bis & heredibus nostris in perpe- „ tuum quod Anglicana Ecclesia libe- „ ra sit & habeat jura sua integra & „ libertates suas illesas . Concessimus „ & dedimus &c.

Fol. 370. *Sententia* , sive *Anathema contra infringentes libertates Ecclesie Anglicane , sub & jubente Rege Anglie Henrico III.* Integram & hanc damus .

„ Anno Domini M. CC. LIII. ter- „ cio Idus Maii in majori aula Regia „ Westminster sub presentia & assensu „ Domini Henrici Dei gratia Regis „ Anglie &c. Bonifatius Divina mise- „ ratione Cantuariensis Archiepiscopus „ totius Anglie primas &c. & Episcopi „ Pontificalibus induti . candelis accensis „ in transgressores Libertatum Ecclesia- „ sticarum & libertatum seu liberarum „ Consuetudinum Regni Anglie & pre- „ cipue eorum que continentur in Car- „ ta communium Libertatum Regni & „ Carta de Foresta excomunicationis „ sententiam tulimus sub hac forma . „ Auctoritate Dei omnipotentis Patris „ & Filii & Spiritus Sancti &c. Ex- „ comunicamus anathematizamus . & „ ab omnibus Sancte Matris Ecclesie „ sequestramus omnes illos qui scienter „ & malitiose Ecclesias privaverint „ vel spoliaverint suo jure . Item om- „ nes illos qui Ecclesiasticas Libertates „ & antiquas Regni Consuetudines ap- „ probatas & precipue Libertates & li- „ beras Consuetudines que in Cartis „ communium Libertatum & de Foresta „ continentur concessis a Domino Re- „ ge Archiepiscopis &c. quacunque „ arte vel ingenio violaverint . infrege- „ rint . diminuerint . seu minuerint „ clam vel palam &c.

Hasce duas Constitutiones , quæ profecto illustria sunt , & antiquissima Regni Angliæ monumenta , in *Collectione antiquarum* ejusdem Regni *Constitutionum* a Guilielmo Prynne duobus tomis anno 1672. edita , frustra quæsivimus . De earum nihilominus fide , atque veritate nefas sit dubitare , præsertim vero de secunda , quam in citata Guilielmi Prynne *Collectione* tomo I. pag. 107. alia Regis Angliæ sanctione firmatam legimus hoc pacto : *Noverint universi quod Dominus Rex Angliæ &c. ceterique Magnates consenserunt in sententiam excommunicationis generaliter latam apud Westminster tertio decimo die Maii anno Regni Regis prædicti* 37. *scilicet quod vinculo præfatæ sententiæ ligentur omnes venientes contra libertates contentas in Chartis communium Libertatum Angliæ , & de Foresta &c.*

Hæc omnia , sicut & quæ sequuntur in hoc Taurinensi Codice de rebus Anglicis , non spernenda historiæ capita , si vitam superi dabunt , integra aliquando literis mandabimus , dummodo Wilkinsius in *Conciliis Britannicis* , quorum exemplar ad nos nondum pervenit , ea non ediderit . Interim satis erit inpræsentiarum titulos , sive argumenta indicare .

Fol. itaque 370. *pag.* 2. *De longitudine & latitudine Anglie .*

Ibidem . *Assisia Panis & Cervisie .*

Fol. 371. *Exemplar Hypothecæ omnium bonorum Ecclesiæ Lincolnensis* factæ ab Episcopo , devinctis etiam successoribus pro pecunia mutuo sibi commodata ad ejusdem Ecclesiæ dignitatem sustentandam , augendamque . Subscripta dicitur *in festo Paschatis Resurrectionis Domini anno ejusdem millesimo L. p.*

Fol. 372. *Carta de foresta* . Incipit : *Henricus Dei gratia Rex Anglie &c. Sciatis quod nos in nomine Dei & pro salute nostra &c. concessimus & hac presenti Carta nostra confirmavimus pro nobis &c.*

Liber-

Digitized by Google

Libertates ſubſcriptas tenendi in Regno noſtro Anglie in perpetuum. In primis omnes Foreſte quas Henricus Rex Anteceſſor noſter &c.

Fol. 372. *pag.* 2. uſque ad finem ſequuntur aliquot peculiares, ſive *Municipales* Sanctiones Regni Angliæ, præfixo hoc titulo: *Incipiunt Brevia de Curia Regis Anglie &c.* & ſunt *de recto feudo. de Ballivis. de Vadio. de jure uxorum quod vir alienavit. de Homagio. de ſervicio faciendo. de debitis ſolvendis. de morte anteceſſoris. de diviſis faciendis in Terris, & in Villis. de dote mulieris. de amenſuratione paſture. &c.*

CODEX DCCXXXVIII. *d.* III. 22.

Membranaceus, conſtans foliis 144. ſæculi XIV. in quo primum *Commentarius* abſque interpretis nomine in omnes fere libros *Veteris & Novi Teſtamenti*, cujus initium eſt: *Geneſis Grece Bereſith Hebraice. Generatio Latine &c.*

Fol. 102. *Legenda Sanctorum per anni circulum.* Autor eſt FRATER JACOBUS DE VORAGINE.

Fol. 139. *Tmnarium totius anni*, cum *Anonymi* expoſitione. Obſoletos fere ſingulos Hymnos obſervavimus.

CODEX DCCXXXIX. *d.* III. 23.

Membranaceus, cui folia 84. ſæculi XIV. mutilus initio, & fine; continet interpretationem myſticam vocabulorum *Sacræ Scripturæ* inſigniorum, alphabeti ordine diſpoſitam, ſine autoris nomine.

CODEX DCCXL. *d.* III. 24.

Membranaceus, conſtans foliis 250. ſæculi XIV. Continet expoſitionem *dictionum difficilium*, quæ in *Scripturis*, earumque *Gloſſis* occurrunt, non indicato explanatoris nomine. Præmittitur procœmium, quo autor operis ſui rationem reddit, & initium fit his verbis. *Expoſicioni dictionum difficilium tam Biblie quam & aliarum que in Gloſſis & aliis diverſis Scripturis reperiuntur. ad utilitatem ſimplicium ſtudere volentium in Sacra pagina intendens laborioſum opus aggreſſus ſum vigiliis plenum & indaginem multam requirens. Exordium autem ſumpſi ab explanatione nominum & diviſione librorum tam Veteris quam Novi Teſtamenti. ut ſciat quilibet quid in ſingulis continetur. & qualiter libri ad invicem ordinentur. Dictiones vero difficiles ordinavi ſecundum diſpoſitionem & numerum litterarum alphabeti &c.*

In fine hæc leguntur carmina.

*Suſcipe completi laudes Rex Chriſte labo*ris
*Quas cordis leti vox ſubdita reddit amo*dum
*Franciſci meritis ſanctis eſt attribuen*stum
*Quidquid dixeritis doctores eſſe tenen*tis.
Donis Agnetis librum complevimus i
Quem cum ſcribetis cuncti benedicite Chri
Sit . . . . . operis oratio ſancta legen
Que jungat ſuperis nos firmo cardine men

CODEX DCCXLI. *d.* III. 25.

Membranaceus, conſtans foliis 66. ſæculi XV. in quo HUGONIS *Cardinalis S. Sabinæ Opus de correctione Biblie.* Eſt compendium prolixi operis HUGONIS *Cardinalis*, præfixo prologo, qui incipit: *Quoniam ſuper omnes ſcripturas verba Sacri Eloqui &c.*

Fol. 44. *Tractatus de Cantu Eccleſiaſtico*, ſine autoris nomine, cujus initium: *Sicut materiales compages Eccleſie &c.*

CODEX DCCXLII. *d.* III. 26.

Chartaceus, cui folia 124. ſæculi XV. continet *Poſtillas* in varia *Scripturæ* loca ignoti interpretis, quibus *fol.* 23. adduntur *Poſtillæ* itidem ignoti autoris in *Evangelium S. Marci.*

CO-

Digitized by Google

CODEX DCCXLIII. *d.* III. 27.

Membranaceus, habens folia 115. sæculi XIV. continet loca *Veteris Testamenti* insigniora ad Hebraicam dictionem recognita. Incipit: *Litterarum Sacrarum Latino Interprete B. Hieronimo &c.*

Fol 81. *Tractatus de Cantu Ecclesiastico*. Idem prorsus, qui in Codice *d.* III. 25.

CODEX DCCXLIV. *d.* III. 29.

Membranaceus, sæculi XIV. constat foliis 205. S. Paulli *Epistolas* exhibet, cum *Glossa interlineari*, & commentariis ex SS. Patribus excerptis. Præmittitur præfatio, quæ incipit; *Primum queritur quare post Evangelia &c.*

CODEX DCCXLV. *d.* III. 30.

Membranaceus, cui folia 132. sæculi XIV. Est *Glossa Anonymi* autoris in *Evangelium* S. Lucæ.

In fine hæc duo leguntur carmina.

Celum non aliter tanges nisi quod docuere
Discipuli teneas. moribus. ore. fide.

CODEX DCCXLVI. *d.* III. 31.

Membranaceus, cui folia 209. sæculi XIV. ad initium. Est commentarius in Epistolas Canonicas, omisso interpretis nomine, addita quandoque *Glossa interlineari*, cum præfatione, cujus prima verba sunt: *Non ita est ordo apud Grecos &c.*

Fol. 54. *Dialogus de diversarum rerum Quæstionibus*. Incipit: *Caritas apud Judeos non extendit se latius &c.*

Fol. 79. *Tractatiuncula de Poenitentia & de Peccatis*, *Anonymi* pariter scriptoris. Incipit: *in primis premonere debet Sacerdos omnes Christianos &c.*

Fol. 70. Sermo de *die Dominica Septuagesime*, ignoti autoris. Incipit; *Septuagesima computatur &c.*

Fol. 76. Sermo de *Nativitate Christi*, absque autoris nomine, cujus initium: *Querendum est cum Dominus &c.*

Fol. 78. *Epistola* S. Anselmi *Cantuariensis Archiepiscopi de Azimo & fermentato pane Walerano Meriburgensi Episcopo.*

Fol. 79. *Epistola* Petri Damiani *de Anticristo & de die Judicii*. Discrepat nonnihil ab editis *S. Damiani* operibus. E. G.

In edit. Tomo III. pag. 386. sub initium Epistolæ.

Quaeris plane, quod nescio. exigis, quod ignoro.

In Cod.

Queris plane que nescio. exigis que ignoro.

In edit. cap. III.

Frivolae vanitatis intentis perveniet interitus.

In Cod.

Frivole vanitatis intentis subitus superveniet interitus.

Fol. 84. Gregorius *de licita. vel illicita alligatione. vel absolucione peccatorum*. Incipit: *Sciendum est quod Sancti Apostoli &c.*

Fol. 88. Liber Isayæ Prophetæ.

Fol. 97. *pag.* 2. Liber Jeremiæ.

Fol. 106. Liber Ezechielis.

Fol. 109. Liber Danielis.

Fol. 111. Prophetæ Minores.

Fol. 119. Parabolæ Salomonis.

Fol. 126. Ecclesiastes.

Fol. 128. Cantica Canticorum.

Fol. 130. Liber Sapientiæ.

Fol. 132. Liber Ecclesiastici.

Fol. 138. Liber Job.

Fol. 145. Liber Tobiæ.

Omnes cum *Glossa* in margine.

Fol. 147. Paschasii *versus de Corpore & Sanguine Domini*, quos subsequitur ejusdem prologus ad librum suum, quo ostendit, Christi *Communionem verum Corpus ejus & Sanguinem esse non dubitandum*. V. Cod. *d.* I. 37.

Fol. 183. Sententiæ ex SS. Patribus Gregorio, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, & Fulgentio collectæ de *Corpore, & Sanguine Christi.*

Fol.

Digitized by Google

Fol. 184. *Dialogus inter Ventiloquum & Eccleſiam de* CORPORE CHRISTI poeticis numeris exaratus; cujus initium:

His ita tranſactis & tam clare patefactis
Ventilocus ridens tot teſtibus atque reſiſtens
Erigitur faſtu. dum fallere nititur aſtu
Cornibus immobilem minitans evolvere montem &c.

Fol. 186. uſque ad *fol.* 193. Excerpta ex Patribus de *Miſſæ Sacrificio*.

Fol. 193. *Epiſtola* S. HIERONYMI ad *Heliodorum coortatoria ad heremum ſe conferendum*. Numeratur quinta inter editas tomo IV. pag. 6.

Fol. 197. *Formula honeſte vite*, cujus initium: *Quatuor virtutum Species &c.*

Fol. 198. *Homilia de Beatitudine*, perperam D. AMBROSIO tributa. Incipit: *Jeſus Chriſtus ut Lucas Evangeliſta refert &c.*

Fol. 303. PETRI CLUNIACENSIS ABBATIS *Epiſtola ad Petrum Lugdunenſem Epiſcopum*. Eſt numero II. in lib. II. epiſtolarum *Bibliothecæ PP.* Tom. XXII. pag. 864.

CODEX DCCXLVII. *d.* III. 34.

Membranaceus, conſtans foliis 134. ſæculi XIII. Eſt commentarius in APOCALYPSIM, mutilus initio, & ſine autoris nomine.

Fol. 43. *Sentencie de diverſis Ordinibus Eccleſie*, ab *Anonymo* collectæ. Incipiunt: *Queritur cur Deus in Mundi creatione dixerit &c.*

Fol. 52. *Tractatus in* CANTICA CANTICORUM, idem omnino, qui in Codice *d.* III. 12.

Fol. 91. uſque ad finem, *Sermones & Homiliæ*. Initium cujuſque ſic habe: *Sermo* de *Abraham*, cujus initium: *Modo cum divina lectio &c.* Eſt II. in *Appendice* Tom. V. *Operum S. Auguſtini*.

Fol. 91. *pag.* 2. Sermo ſecundus de *Abraham*. Incipit: *Audivimus fratres dilectiſſimi &c.* Eſt IV. loco citato *Operum S. Auguſtini*.

Fol. 92. Sermo de *tribus viris qui apparuerunt Abrahæ*. Incipit: *frequenter ammonui &c.* Eſt V. ibidem.

Fol. 93. *pag.* 2. Sermo *de quodam ſene de Corpore Domini dubitante*, cujus initium: *Dixit pater noſter Abas Arſenius &c.* Deſideratur autoris nomine.

Fol. 94. Sermo de *Puero Abrahæ, qui miſſus eſt ad Rebeccam*. Incipit: *Paulo ante &c.* Eſt VII. in citato tomo *S. Auguſtini*.

Fol. 95. Sermo de *conceptu Rebece*, cujus initium; *Si textum Sacrarum Scripturarum &c.* Eſt X. loco citato.

Fol. 96. Sermo de *Jacob*, cujus initium: *Modo cum divina lectio legeretur &c.* Eſt XI. ibidem.

Fol. 97. Homilia *de Jacob.* Incipit: *Frequenter Caritati veſtre &c.* Eſt XII. ibidem.

Fol. 99. *Omilia S.* AUGUSTINI *de Samſon*, cujus initium: *in lectione iſta &c.* Perperam D. Auguſtino a Scriba tribuitur.

Fol. 101. *de Judicio* SALOMONIS ſermo, cujus initium: *Due mulieres &c.*

Fol. 101. *pag.* 2. Sermo de *Helia*. Incipit: *In lectionibus divinis*. Eſt XL. loco citato.

Fol. 102. *pag.* 2. Sermo *de Heliſeo & vidua*; cujus initium: *Sicut de Helia &c.* Eſt XLII. loco citato.

Fol. 103. *pag.* 2. Sermo in *Paraſceve*, cujus initium: *Populo meus &c.*

Fol. 105. Sermo *in Adventu Domini*: Incipit: *Quoniam preſentium &c.*

Fol. 107. Sermo de *Circumciſione*. Incipit: *Dominici Natalis &c.*

Fol. 107. *pag.* 2. Sermo in *Epiphania*, cujus initium: *Hanc Epiphaniorum diem &c.*

Fol. 108. *pag.* 2. Sermo in *Purificatione S. Mariæ*, cujus initium: *Conſuetudo Eccleſiaſtica &c.*

Fol. 109. Sermo in *Septuageſimâ*, cujus initium: *Scientes dilectiſſimi &c.*

Fol 110. Sermo in *capite Jejunii*. Incipit; *hodie mater Eccleſia &c.*

Fol. 111. Sermo de *Quadrageſima*; Incipit: *Audivit fraternitas veſtra &c.*

Fol.

Digitized by Google

Fol. 111. *pag.* 2. Sermo in *Annunciatione S. Mariæ*, cujus initium: *Gaudeamus in Domino &c.*

Fol. 113. Sermo in *Ramis Palmarum*, cujus initium: *Qui vult hominem &c.*

Fol. 113. *pag.* 2. Sermo in *Coena Domini*, cujus initium: *Optatus nobis &c.*

Fol. 114. *pag.* 2. Sermo in *Reſſurrectione*, cujus initium: *Cum cetere feſtivitates &c.*

Fol. 115. Sermo de *Aſcentione*, cujus initium: *Hodie fratres victoria &c.*

Fol. 115. *pag.* 2. Sermo in *die Pentecoſtes*. Incipit: *Dies Pentecoſtes &c.*

Fol. 116. *pag.* 2. Sermo de *Oratione Dominica*. Incipit: *Duo ſunt &c.* Eſt XLIV. loco ſupra citato *operum S. Aug.*

Fol. 120. Sermo in *die Natali S. Stephani*. Incipit: *Diligite inimicos &c.*

Fol. 120. *pag.* 2. Sermo in *Natali S. Johannis*, cujus initium: *Vulpes foveas habent &c.*

CODEX DCCXLVIII. *d.* III. 37.

Membranaceus, conſtans foliis 58. ſæculi XII. Eſt primo loco *judicium* de variis Eccleſiæ Patribus, & Scriptoribus, non memorato autoris nomine, cujus præfatio incipit: *Vis nunc acriter mi frater Deſideri. ut tibi quaſi de luminaribus que toto firmamenti mundo refulgent pauca de Scriptoribus. qui nobis multa de obſcuritatibus quę propter carnalem mentem intelligentiam impediunt. ad ſplendorem conſiderationis ſpiritualem proferre potuerunt. manifeſtiſſime dicam &c.*

Libellus autem incipit ab AUGUSTINO his verbis: *Auguſtinus Epiſcopus volans per montium cacumina quaſi aquila. & ea quę in montium radicibus fiunt conſiderans. multa Celorum ſpacia terrarumque ſitus & aquarum circulum claro ſermone pronunciat &c.*

Pergit poſtea autor ſuum ferre judicium de S. HILARIO; de EUSEBIO CÆSARIENSI. de HELIODORO PRESBYTERO. de S. AMBROSIO. de quodam DARDANO. de PELAGIO. de JOVINIANO; ac poſtremo loco de FANNONIO.

Fol. 40. Excerpta ex operibus, præſertim ex Epiſtolis, SS. HIERONYMI, AUGUSTINI, & AMBROSII.

CODEX DCCXLIX. *d.* III. 38.

Membranaceus, conſtans foliis 98. ſæculi XIV. in quo primum Elenchus Eccleſiarum, & Monaſteriorum *Urbis Romæ*, cui præmittitur index *Regionum* ejuſdem urbis. Cujuslibet Eccleſiæ, & Monaſterii indicatur numerus *Monachorum*, & *Sacrorum Antiſtitum*.

Fol. 17. S. BONAVENTURÆ CARDINALIS liber, qui inſcribitur *ſtimulus amoris*. Exſtat in Tomo VIII. editionis *Moguntinæ* ann. 1609.

Fol. 55. Excerpta ex libro meditationum S. BERNARDI.

Fol. 62. *pag.* 2. S. ANSELMI liber de *Diſcuſſione vite humane*. Exſtat in ejus operibus editionis *Gabrielis Gerberon* pag. 207. ſub titulo *Meditationis ſecundæ*.

Eaſdem prorſus variantes lectiones, quas adnotavit in margine eruditiſſimus P. Benedictinus, nos in Regio Taurinenſi codice obſervavimus.

Fol. 64. *Liber* S. AUGUSTINI *Soliloquiorum anime ad Deum de ineffabili dulcedine ejus.*

Fol. 85. *Omilia* ORIGENIS *vel* GREGORII *ſuper Evangelium Johannis, Maria ſtabat*; cujus initium: *In preſenti ſollepnitate locuturus &c.*

ORIGENIS procul dubio eſt; & quidem X. numero legitur in editione *Baſileenſi*.

Fol. 91. *Hymnus*, cui titulus: *Quando B. Virgo contemplabatur Crucem.*

Ante Crucem Virgo ſtabat
Chriſti penas cogitabat &c.

Fol. 92. *Liber de ſeptem ſigillis*. Incipit: *quia ſepe contingit &c.*

Fol. 93. *Verſus de contemptu mundi*, quorum initium:

Digitized by Google

Cur mundus militat ſub vanagloria
Cujus proſperitas eſt tranſitoria.

Fol. Eodem. *Verſus de malorum tormentis*, quorum initium:

Que tormenta malis. vel que ſunt premia juſtis
Si bene quiſque notet aſpera queque feret &c.

Fol. Eodem. *Verſus de juſtorum premiis quoad corpus & animam*. Incipiunt:

Corpora ſanctorum fulgebunt fortia ſana
Libera. firma. ſita ſine fine. manentia leta &c.

CODEX DCCL. d. III. 39.

Membranaceus, cui folia 193. ſæculi XII. continet primo loco excerpta ex SS. HIERONYMO, GREGORIO & PROSPERO, *qualis eſſe debeat qui Prelatus eſt ordinandus*.

Fol. 23. Eſt *Epiſtola* S. HIERONYMI *ad Nepotianum Presbyterum*, quæ XXXIV. occurrit in editione *Pariſienſi*. Plurimas notavimus lectionis diſcrepantias, quarum duo damus ſpecimina ex initio, & fine Epiſtolæ deſumta.

In edit.

Petis a me Nepotiane chariſſime litteris tranſmarinis, & crebro petis, ut tibi brevi volumine digeram præcepta vivendi: & qua ratione qui ſæculi militia derelicta &c.

In Cod.

Petis a me Nepotiane Kariſſime litteras tranſmarinas & crebro petis ut tibi brevi volumine dirigam prȩcepta vivendi & qua ratione his qui ſeculi militia derelicta &c.

In edit.

Noſtram prius trabem ejecimus; nullum læſi; nullius nomen ſaltem deſcriptione ſignatum eſt. Neminem ſpecialiter meus ſermo pulſavit. Generalis de vitiis diſputatio eſt. Qui mihi iraſci voluerit, ipſe de ſe quod talis ſit, confitetur &c.

In Cod.

Noſtram prius trabem ejciamus. nullum leſi nullius nomen de mea ſcriptura deſignatum eſt, neminem ſpecialiter meus ſermo pulſavit. generalis de vitiis diſputatio eſt. Sed qui mihi iraſci voluerit. prius ipſe de ſe quod talis eſt confitebitur &c.

Fol. 34. *Epiſtola S.* HIERONYMI *Presbyteri ad Oceanum de vita Clericorum*. Inter ſuppoſititias accenſetur in Tomo V. *operum* pag. 412. *editionis Pariſienſis*.

Fol. 38. *Liber primus excerptionis de inſtitutione Clericorum*, cujus initium: *Eccleſia ergo Dei Catholica a Chriſti nomine eſt nobilitata &c.* Præmittuntur capitula, quæ XXVI. numerantur.

Fol. 47. *Liber* ſecundus, qui eſt *de Officiis atque horationibus Canonicarum horarum*. Præmittuntur capitula, quæ LXXVII. numero ſunt.

Incipit. *Explicato Miſſe ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris conſtituto &c.*

Fol. 62. ALCHVVINI FLACCI ALBINI *de virtutibus & vitiis ad Widonem Comitem liber*,

In editione liber deſinit his verbis; *perpetua coronabitur gloria*; in noſtro autem Codice hæc præterea adduntur: *Vale felix pullulans in Paradiſi arce*. Multæ aliæ ſunt, & quidem inſignes lectionis diſcrepantiæ, quas penitus miſſas facimus; nihil enim dubitamus ſcribam vel ignorantiæ, vel negligentiæ arguere.

Fol. 85. *Incipit viſio que Fratri noſtro Wettino oſtenſa fuit pridie ante tranſitum ejus*. Incipit: *Cum predictus Frater die Sabbati cum aliquibus fratribus noſtris potionem ad providendam ſalutem corporis accepiſſet &c.*

CODEX DCCLI. d. III. 40.

Membranaceus, conſtans foliis 104. ſæculi XIII. cui titulus; *Ruffinus contra Jeronimum*, ſive RUFFINI *Aquilejenſis in D. Hieronymum Invectivarum liber primus*.

Fol. 23. Ejuſdem RUFFINI *Invectivarum lib. ſecundus*.

Fol. 41. S. HIERONYMI *Epiſtola ad Nepotianum de Vita Clericorum*.

Fol. 48. *Epiſtola* PAMMACHII ET OCEA-

Digitized by Google

OCEANI *ad S. Hieronymum*. XL. numero eſt in editione Pariſienſi.

Fol. 48. *pag.* 2. *Epiſtola* S. HIERONYMI *ad Pammachium & Oceanum*. Eſt XLI. in editione ſupra citata.

Fol. 53. Ejuſdem *Epiſtola ad Pammachium, & Marcellam*, cujus initium: *& veſtris & multorum litteris &c.* ad cujus calcem

Explicit liber I. Incipit lib. II. ideſt *apologiæ S. Hieronymi adverſus Ruffinum*.

Fol. 83. S. HIERONYMI *Epiſtola ad Ruffinum*, cujus initium: *Diu te Rome &c.* Eſt n. XLII.

Fol. 84. *Prefatio Ruffini Librorum Periarchon quos de Greco tranſtulit in Latinum*.

Fol. 85. *Apologia quam pro ſe miſit* RUFINUS *Presbiter ad Anaſtaſium Romane urbis Epiſcopum*.

Fol. 86. *Incipit adverſus Rufinum*, ſive S. HIERONYMI *adverſus Ruffinum* liber III.

CODEX DCCLII. *d.* III. 41.

Membranaceus, conſtans foliis 167. ſæculi XIV. in quo *Expoſitio librorum B. Auguſtini de Civitate Dei. edita a* FRATRE THOMA DE ANGLIA *Ordinis Fratrum Predicatorum*; de quo multa Oudinus Tomo III. pag. 687.

Fol. 153. *Liber XI. de Civitate Dei per* FRATREM NICOLAUM DE TREVETH, de quo V. Dupinium Tom. XI. pag. 62.

CODEX DCCLIII. *d.* III. 42.

Membranaceus, conſtans foliis 183. ſæculi XIII. in quo S. GREGORII PAPÆ *Dialogorum libri IV.*

Cuilibet libro præmittitur index capitum. Nonnullas obſervare contigit lectionis varietates ab editis *Gregorii Dialogis*: ut ſtatim ab initio libri primi.

In edit.

Quadam die nimiis quorumdam ſeculariùm tumultibus depreſſus.

In Cod.

Quadam die dum nimis quorundam ſeculârium tumultibus depreſſus eſſem.

In fine.

Explicit liber Dialogorum quartus S. Gregorii Pape urbis Rome. poſt hunc librum legatur ad collationem liber Paſtoralis B. Gregorii PP.

CODEX DCCLIV. *d.* III. 43.

Membranaceus, ſæculi XII. cui folia 95. Habentur in eo primum S. ISIDORI HISPALENSIS *Sententiarum libri tres*. Præfigitur Epiſtola ad *Maſſanum*, quam fictitiam omnino eſſe, probant Dupinius Tomo VI. pag. 4. & Oudinus Tomo I. pag. 1586.

Fol. 85. FLAVI. CLAUDI. GORDIANI. FULGENTII. *Viri clariſſimi de Etatibus mundi*. Plura de hoc opere, quod vulgavit *Jacobus Hommey*, V. apud Albertum Fabricium in *Bibliotheca Latina* Tomo II. pag. 657. & apud *Bollandiſtas menſe Januario* Tomo I. pag. 972.

Fol. 89. *Liber de conflictu vitiorum, atque virtutum* B. AMBROSII *Epiſcopi*. Ad *Ambroſium Audpertum* ſpectare, probat Dupinius Tomo VI. pag. 4.

CODEX DCCLV. *d.* III. 44.

Membranaceus, conſtans foliis 146. ſæculi XIII. in quo iterum S. ISIDORI HISPALENSIS *Sententiarum lib. III.*

Codicem cum codice contulimus, & plures deprehendimus lectionis diſcrepantias. E. G. initio libri primi.

In Codice *d.* III. 44.

Summum bonum Deus eſt quia incommutabilis eſt. Creatura vero bonum. Sed non ſummum eſt. quia mutabilis eſt.

In Cod. *d.* III. 43.

Summum bonum Deus eſt quia incommutabilis eſt. & corrumpi omnino non poteſt: Creatura vero bonum. Sed non ſummum eſt &c.

Fol. 73. *Prologus* JULIANI *in libro Prognoſticorum futuri ſeculi ad Idalium Barchinonenſem Epiſcopum*. Incipit: *Diem illum clara redemptorum hominum ereptione conſpicuum &c.*

Digitized by Google

Fol. 76. *Liber primus qui eſt de Origine mortis humane.*

Fol. 83. *Lib. ſecundus de animabus defunctorum, quomodo ſe habeant ante ultimam corporum reſſurreccionem.*

Fol. 92. *Lib. tertius de ultima corporum reſſurreccione.*

JULIANUS, de quo alibi Sermo, *Epiſcopus Toletanus*, floruit ſeculo VII. V. Dupinium Tomo VI. pag. 37.

Fol. 106. *Preclara expoſicio de Sacramentis in Eccleſiarum conſecrationibus olei ac criſmatis, & de veſtibus Sacerdotalibus*; opus BRUNONIS *Segnienſis Epiſcopi*, ut liquet ex epiſtola præfixa ad *Epiſcopum Magalonenſem*. Exſtat inter ejus opera edita a *Marcheſio* Tomo. II. pag. 141.

CODEX DCCLVI. *d.* III. 45.

Membranaceus, quadratæ formæ, conſtans foliis 36. ſæculi VI. Habentur in eo COELI SEDULII *Praesbyteri mirabilium Divinorum*, ſive *Operis Paſchalis libri IV.*

Sit primo loco ſpecimen Characteris, ex libro primo Novi Teſtamenti deſumtum.



EXPLICIT. LIBER. PRIMUS. VETERIS. TESTAMENTI.
INCIPIT. LIBER. PRIMUS. NOVI. TESTAMENTI.
LEGENTI. VITA PERPETUA.

Expulerat primo genitum ſeviſſimus anguis
Florigera de ſede virum. blandique ſaporis
Inlaecebris laetum, miſero portarat amarum
Nec ſolus meritam, praeſumtor ſenſerat. iram
Mortalis ſub lege jacens. Sed prorſus ab ipſo
Humanum ſimul omne genus, eu noxia conjux
Noxia tu conjux magis. an Draco. perfidus. ille.

Opus

Digitized by Google

Opus autem hoc ſe ordine habet.

Eſt primo loco Epiſtola SEDULII ad *Macedonem* ſcripta, ſed mutila principio. Incipit enim: *abs ſcribturis celſioribus vacans humilioribus te quoque libenter impertias non ſemper aquila ſupra nubes elata pervolitat.* Ubi obiter notamus in *Bibliotheca PP.* Tom. VI. pag. 452. legi *Aquila ſupra nubes elevata pervolitat*, pro *elata*, ut eſt in Codice.

In fine epiſtolæ hæc leguntur.

Explicit Epiſtola Sedolii ad Macedoneo Pbi feliciter.

Sequitur præfatio ad *Theodoſium Auguſtum*, quam Fabricius, & Cave non eſſe *Sedulio* tribuendam multis oſtendunt.

Liber I. incipit a verſu

Cum ſua Gentiles ſtudeant figmenta Poetae.

Contulimus integrum cum editis SEDULII Codicibus, & multæ nobis occurrerunt lectionis diſcrepantiæ. Singulas damus ob præſtantiam Codicis.

In edit. *v.* XI.

Cum poſſim manifeſta loqui Domumque tonantem.

In Cod.

Cum poſſim manifeſta loqui dominumque Thonantem.

In edit. *v.* XXIV.

Attica Cecropii ſerpit doctrina veneni.

In Cod.

Attica Caecropii ſerpit doctrina veneno.

In edit. *v.* LII.

Qui diverſa novam formaſti in corpora terram.

In Cod.

Qui diverſa nova formaſti in corpora terra.

In edit. *v.* LXII.

Totum namque lavas uno baptiſmate mundum.

In Cod.

Toto namque labans uno baptiſmate mundum.

In edit. *v.* LXXXXVI.

Algentes onerata Sinus.

In Cod.

Algentis onerata Sinus.

In edit. *v.* CXXXIX.

Hauſit aquas ſterilique latex de rupe cucurrit.

In Cod.

Auſit aquas ſterilique latex de rupe manavit.

In edit. *v.* CLXIX.

Aethere dignus erat.

In Cod.

Hac ope dignus erat.

In edit. *v.* CLXXXV.

Tantoque ardore calentes.

In Cod.

Tantumque ardore calentes.

In edit. *v.* CCXXII.

Seu quaecunque latent & rerum machina ſerva eſt.

In Cod.

Seu quaecunque latent & rerum machina Sermo eſt.

In edit. *v.* CCXXVI.

Sculpunt ſimulacra ſuumque.

In Cod.

Sculpunt ſimulacra Deorum.

In edit. *v.* CCXXIX.

Homo pronus adoret.

In Cod.

Homo plenus adoret.

In edit. *v.* CCCI.

Unum ſumus. Arrius unum.

In Cod.

Unum ſumus. Si Arrius unum.

In edit. *v.* CCCIV.

Quamquam diverſa ſequantur.

In Cod.

Quamquam diverſa ſequentes.

In edit. prope finem.

Hinc igitur veteris recolens exordia mortis.

In Cod.

Hinc igitur veteris recolens exordia mundi.

Clauditur liber I. his verbis.

Explicit liber primus Veteris Teſtamenti. Incipit liber primus Novi Teſtamenti legenti vita perpetua.

Nonnullas etiam in ſecundo libro notavimus variantes lectiones.

In edit. *v.* II.

Blandiſque Soporis.

In Cod.

Blandique Saporis.

In edit. *v.* XVI.

Vita brevis nihil eſſe diu cum ſine doceret.

In Cod.

Vita

Digitized by Google

Vita brevis nihil esse diu cum fine doloris.
In edit. *v.* XXXVI.
Angelus intactae cecinit properata Mariae.
In Cod.
Angelus intactae cecinit Propheta Mariae.
In edit. *v.* CXIV.
Turba perit: cui vix dum potuere creari.
In Cod.
Cum sic turba perit. vix dum potuere creari.
In edit. *v.* CXLII.
Ut muto genitore silens.
In Cod.
Ut muto genitore fluens.
In edit. *v.* CLXXVII.
Haec non semper agat Dominus qui saxea terrae.
In Cod.
Haec eadem non semper agat qui saxea terrae.
In edit. prope finem.
Jugibus banc igitur studiis vitemus & artum.
In Cod.
Ab hac ergo pedem retro faciamus & artum.
In fine:
Explicit liber primus Novi Testamenti. Incipit liber secundus. legenti vita perpetua.
Et hic liber frequentissime variat.
In edit. *v.* XII.
Regulus hic nato quidam moriente rogabat.
In Cod.
Post Regulus nato quidam moriente rogabat.
In edit. *v.* XLIV.
Ut prius innumeras.
In Cod.
Ut pius innumeras.
In edit. *v.* LIX.
Cunctis clamantibus una.
In Cod.
Cunctis lacrimantibus una.
In edit. *v.* LXXX.
Effigiem fugiens.
In Cod.
Effigiem reddit.
In edit. *v.* CCXXXVII.
Morbis medeatur acerbis.
In Cod.
Morbis mederetur acervis.
In edit. *v.* CCLXI.
Qui semper egentem.
In Cod.
Qui semper egentum.
In edit. *v.* CCCXCVIII.
Sic cuncta solens infirma levare.
In Cod.
Sed cuncta solens infirma levare.
In edit. *v.* CCCCXXVIII.
Hic etiam variis.
In Cod.
Sic etiam variis.
In edit. *v.* CCCCLXXI.
Tectoque pheretro.
In Cod.
Tactoque feretro.
Post versum
Et speciale bonum cum sit generale revolvam,
Hæc adduntur in Codice.
Explicit liber secundus. Incipit liber III.
quæ quidem libri divisio in editis non est.

Adjecta quoque legitur hæc adnotatio, magni profecto facienda, eodem antiquissimo charactere scripta: Ego Abundantius *istum librum contuli feliciter.*

Itaque liber III. in Codice Taurinensi sumit initium ab eo versu,
Jam placidas Jordanis item transgressus arenas.
Desideratur autem postremus, qui in editis legitur;
Cui Sanctus semper cum regnat Spiritus aeque.
Clauditur liber his verbis.
Explicit liber III. incipit liber quartus.
Has inter virtutis opes jam proxima Paschae &c.
Neque desunt in hoc libro variantes lectiones. Etenim
In edit. *v.* VIII.
Clarifica nomenque tuum per magnaque Coelo.
In Cod.
Clarifica dixit nomen tuum magnaque Caelo.
In edit. *v.* XXI.
Humilemque ministrum.

In

Digitized by Google

In Cod.
Humilemque magiſtrum.
In edit. *v.* LV.
Aut male fuſus humo.
In Cod.
Aut male fuſus homo.
In fine.
Explicit liber quartus Novi Teſtamenti feliciter.

Fol. 26. Ejuſdem SEDULII *Veteris & Novi Teſtamenti Collatio*, verſibus elegiacis exarata.

Cantemus Socii Dominum cantemus honorem
Dulcis amor Xpi *reſonet ore pio.*

Fol. 30. *Incipit Altercatio inter Catholicum & Ereticum Arrianum.* Opuſculum, quod in fine mutilum eſt, & abſque autoris nomine, ſed ab eodem antiquiſſimo ſcriptum librario, & quod ob temporis vetuſtatem vix legi poteſt. Præmittuntur libri capita, quæ XXXV. numero ſunt.

I. *Quia aequalis Pater & Filius.*
II. *De unitate quia unus eſt Pater & Filius & Spiritus Sanctus.*
III. *Quomodo Pater miſerit Filium ſuum.*
IV. *Quomodo Pater glorificet Filium.*
V. *Quia omnipotens eſt Filius.*
VI. *Quare dixerit Pater major me eſt. vel quare dictum ſit quod Pater tradidit Filium.*
VII. *De libera Fili poteſtate.*
VIII. *Contra id quod dicunt major eſt q. generat minor qui generatur.*
IX. *Contra id quod dicunt Patrem imperaſſe Filio ut faceret creaturam.*
X. *De Spiritu Sancto quia Deus eſt.*
XI. *Quia Creator eſt Spiritus Sanctus.*
XII. *Quia vivificator eſt Spiritus Sanctus.*
XIII. *Quia & ipſe propriae poteſtatis eſt & voluntatis & omnipotens eſt Spiritus Sanctus.*
XIV. *De Trinitate & Unitate.*
XV. *Quia inviſibilis eſt Filius.*
XVI. *Contra quod dicunt quia Pater perhibet teſtimonium.*
XVII. *Contra id quod dicunt ex Patre per Filium in Spirito Sancto Filio facta omnia.*
XVIII. *Contra id quod dicunt quare prior Pater deinde Filius nominatur.*
XIX. *Contra id quod dicunt quia Pater illi ſubjecit omnia.*
XX. *In libro Sapientiae ſicut Dei Sapientia q. eſt Filius Dei ſic & Spiritus Sanctus novit Conſilia Patris.*
XXI. *In eodem libro quia omnipotens eſt Filius per quem facta ſunt omnia.*
XXII. *In eodem quia Spus Scus etiam eſt qui dicitur Virtus Dei.*
XXIII. *In eodem libro Deus Spiritus Fili quia incorroptibilis eſt.*
XXIV. *In eodem libro ubi ſecundum formam ſuſceptae humilitatis viſibilem dicit Xpum ſecundum formam vero Deitatis non viſibilem ſed inviſibilem pronuntiat. quod enim videtur homo quod non videtur Deus agnoſcitur ideſt intelligitur.*
XXV. *In eodem libro quia Filius Dei de Subſtantia Patris.*
XXVI. *In Cantica Canticorum ubi Xpum dicit eſſe Regem cum ad eum Eccleſia loqueretur.*
XXVII. *In Evangelio ſecundum Johannem ....., inviſibilis eſt Spiritus Sanctus.*
XXVIII. *In Eccleſiaſtico quia innumirabilis eſt magnitudo Dei inde ducetur quam blasfemi ſunt q. Trinitatem ſepatrando & gradibus ac nomeris credunt eſſe ſuadendam.*
XXIX. *In Pſalmo* CXLVI. *Similiter de Sapientia quae eſt Filius Dei dictum eſt quia non eſt numerus.*
XXX. *In libro Sapientiae. quia ſicut Sapientia q. eſt Filius Dei ſic & Spiritus Sanctus novit conſilia Patris.*
XXXI. *In eodem libro q. omnes Spiritus eſt Filius per quem facta ſunt omnia. non enim impoſſibilis erat omnipotens manus .... creavit orbem terrarum & maria informabit.*
XXXII. *In eodem libro quia Spiritus Sanctus etiam Fili eſt. diſperſi per Spiritum Sanctum virtutis tuae perſecutionem paſſi ab ipſis factis ſuis.*
XXXIII. *In eodem libro de Spiritu Sancto quia incorruptibilis eſt. incorruptibilis enim Spiritus eſt in omnibus.*

XXXIV.

Digitized by Google

XXXIV. *In eodem libro ubi ſecundum formam ſuſceptae humilitatis viſibilem dicit Chriſtum ſecundum formam vero Deitatis non viſibilem ſed inviſibilem pronuntiat. Quod enim videtur Deus agnoſcitur, ideſt intellegitur videntes illum quem olim negabant idem agnoverunt verum.*

XXXV. *In eodem libro quia Filius Dei de Subſtantia eſt Patris.*

Cetera ita evanuerunt, ut legi haudquaquam poſſint.

CODEX DCCLVII. *e.* I. 1.

Membranaceus, habens folia 44. vario charactere, nitido tamen, ac eleganti exaratus, circa finem ſæculi XIII. in quo

Fol. 1. *Pſalterium* MARIÆ VIRGINIS *a Divo Bonaventura* concinnatum, uti legere eſt inter ejus opera edita tomo VI. pag. 478. Integrum tamen in codice non habemus: quæ enim ultra Pſalmum LIII. ſunt, deſiderantur.

Fol. 9. Ejuſdem *Pſalterium minus*, incipiens dumtaxat a verbis tertiæ quinquagenæ,

Ave Virgo fons ſignatus
Cujus numquam violatus
Venter fudit Redemptorem
Oppreſſorum Salvatorem.

Legitur tamen in codice precatio, quæ non apparet in editione, nempe:

„ Omnipotens ſempiterne Deus im-
„ menſam clementiam tuam ſuppliciter
„ deprecor ut me indignum famulum
„ tibi feliciter ſervire concedas & per-
„ ſeverantiam bonam & felicem con-
„ ſuetudinem mihi largiri digneris: ut
„ hoc pſalterium quod in conſpectu
„ tuo decantavi ad honorem Beatiſſi-
„ me Virginis tue Sancte Marie ſem-
„ per Virginis ad ſalutem & reme-
„ dium anime mee proficiat ſempiter-
„ num. Qui vivis & regnas &c.

Sequuntur deinde *Gaudia Beate Marie Magdalene*, quorum initium:

Gaude pia Magdalena
Spes ſalutis vite vena
Lapſorum fiducia &c.

Deſunt & hæc in citata editione *D. Bonaventuræ*.

Poſthæc *hymnus ad Dominum Jeſum Chriſtum*, qui incipit:

Jeſu dulcis memoria
Dans vera cordis gaudia
Sed ſuper mel & omnia
Dulcis ejus preſentia &c.

Fol. 13. *Proslogion Sancti* ANSELMI, ut in edit. pag. 29.

Fol. 24. *Pſalterium* BEATISSIMÆ VIRGINIS ex contextu Davidicorum Pſalmorum, ut dicitur in fine, ab *Anonymo* concinnatum, ad imitationem utique *Pſalterii Divi Bonaventuræ*.

Procœmium ſic incipit:

Suſcipe Regina Celi que mente benigna
Cantica de Sacris pſalmis offero ſumta
Dumque ſalutaris meis ac magnificaris
Pauperis atque rei ſis memor ipſa mei.

In fine.

Explicit pſalterium in honore intemerate Virginis glorioſiſſime Marie de ſingulorum pſalmorum contextu ritmice ac devotiſſime exaratum.

Fol. 30. Alterum adhuc legitur *Pſalterium* in honorem ejuſdem B. MARIÆ VIRGINIS, cujus initium eſt:

Ave Virgo Virginum. per quam vir beatus
Viſitavit miſeros. nobis ex te natus
Ejus Virgo meritis noſtras miſeratus
Relevet miſerias felix advocatus.

Pſalterio expleto nonnullæ adhuc leguntur preces adverſus tentationes, & ad obtinendam peccatorum veniam.

CODEX DCCLVIII. *e.* I. 5.

Membranaceus, conſtans foliis 193. ſæculi XIV. vario ſcriptus charactere, in quo

Fol. 1. HUGONIS *tractatus de Sacramentis*, in duos libros diſtinctus.

Fol. 149. *Elucidarium, ſive dialogus ſummam totius Chriſtianæ Theologiæ* complectens. Inter opera dubia *S. Anſelmi* pag. 457.

CO-

Digitized by Google

CODEX DCCLIX. e. I. 6.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 120. bonæ notæ, atque lectionis, ſæculi XIII. in quo

Fol. 1. *Tractatus magiſtri* HUGONIS *de materiali clauſtro tam Clericorum quam Monacorum*. Diſtinctus eſt in quatuor libellos, omnino, ut in edit. tom. II. pag. 42.

Fol. 37. Ejuſdem *liber de medicina animæ*. In edit. eodem tomo pag. 211.

Fol. 81. Ejuſdem *liber de anima*, ſeu *ſoliloquium de arrha animæ*, ut habetur in edit. eodem pariter tomo pag. 223.

Fol. 89. pag. 2. Præcepta traduntur, quibus uti debet concionator in redarguendis pravis hominum moribus, animiſque ad veram legis doctrinam, atque virtutis amorem informandis; tum exempla ſubjiciuntur. En tibi initium, ſimulque ſpecimen: *Vidit Jacob ſcalam a terra uſque ad Celum attingentem per quam aſcendebant & deſcendebant &c. Scala iſta profectus eſt viri catholici qui contexitur ab initio uſque ad conſummationem viri perfecti. In hac ſcala primus gradus eſt confeſſio. Secundus oratio. Tercius gratiarum actio. Quartus Scripturarum perſcrutatio. Quintus ſi aliquid occurrit dubium in Scriptura a majore inquiſitio. Sextus Scripture expoſitio. Septimus predicatio &c.*

CODEX DCCLX. e. I. 8.

Membranaceus, foliis conſtans 137. vario charactere, nitido tamen, exaratus, ſæculi XIV. faſciculum continet precum, præſertim ad DEIPARAM VIRGINEM; quarum nonnullæ ex *Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo*, aliæ ex *Divo Bernardo*, aliiſque Sanctitate præſtantibus viris excerptæ ſunt.

CODEX DCCLXI. e. I. 9.

Membranaceus, habens folia 140. optimæ notæ, atque characteris, ſæculi XIII.

Fol. 1. Eſt *Tractatus in laudibus Sancte Dei Genitricis editus a quodam fideli ſervo ac dilectore ipſius Fratre Ogerio de Locedio*.

Præclaram huiuſce tractatus mentionem fecit olim Roſſottus in *Syllabo Scriptorum Pedemontan*: noſtris autem temporibus vir doctiſſimus, Johannes Andreas Iricus Theologus Tridinenſis in ea diſſertatione, quam de *Sancto Ogerio* inſtituit ad calcem *Hiſtoriæ Tridinenſis*, ut veram illius ætatem, & ſæculum, quo florebat, inveſtiget, atque in apertum proferat. Miratur tamen ille non parum, ſilentio ab iis omnibus prætermiſſum fuiſſe, qui Taurinenſis hujuſce codicis meminerunt; dignumque affirmat, qui in lucem edatur ad illuſtrandam magis magiſque præſtantiſſimi hujus Abbatis memoriam, qui plurimum vitæ ſanctitate, & eruditionis laude claruit.

Nos interim ſpeciminis gratia proœmium damus.

„ Cum de verbo vite aſſidueſceret
„ mihi amor tractandi licet longe im-
„ merito dulcorato melle ſuperno quod
„ diſtillaverunt Celi a facie Dei Sy-
„ nai occurrit ſatisfacturum deſiderio
„ meo vaſculum illud electum apo-
„ theca omnium virtutum vaſculum
„ electionis cui ſe corporaliter totam
„ infudit plenitudo Divinitatis. Vas
„ auri inquam ſolidum ornatum om-
„ ni lapide pretioſo ferculum vite.
„ ferculum beatitudinis ſempiterne.
„ confertum myrrha & aloe cynna-
„ momo & balſamo & univerſo pul-
„ vere pigmentario totum eburneum
„ diſtinctum ſaphiris. in ſe continens
„ alpha & ω principium & finem.
„ Scilicet illa ſpetioſa Virgo que ſuum
„ parturivit auctorem ab omni ore
„ digna laudari quod ejus laude con-
„ ſtat non eſſe indignum. Sed fateor
„ omni noſtras percurrenti ſcripturas.
„ eam laudare ex omni me eſſe indi-
„ gnum. & non ſolum laudare. ſed
„ etiam nominare fore immeritum.
„ At quod non habet effectus. habet

Digitized by Google

„ affectus. nec potest nec debet ab
„ ejus laude tacere. quam laudant
„ Angeli atque Archangeli & omnis
„ celicus ordo. tamquam genitricem
„ & matrem creatoris omnium. plas-
„ matoris cunctorum. Nam me cha-
„ ritas attrahit. amor allicit. benefi-
„ cium mihi ab ipsa collatum impel-
„ lit. Adhereat lingua mea faucibus
„ meis. si non meminero ejus. si non
„ proposuero eam post Sanctissimum
„ Filium suum in principio leticie
„ mee. ut memor sit mei in die Ihe-
„ rusalem. ut requiescam per eam in
„ die tribulationis. & ascendam ad po-
„ pulum accinctum ejusdem Filii sui.
„ Igitur laudans laudabo eam in vita
„ mea. psallam ei quandiu persistam.
„ Jocundum sit ei eloquium meum.
„ ego vero delectabor in eo. Donet
„ mihi perficere qui dedit & velle
„ Jesus Christus Filius ejus Dominus
„ noster qui cum Patre & Spiritu San-
„ cto. vivit & regnat Deus per omnia
„ secula seculorum amen.

Fol. 70. *Expositio ejusdem super Evangelium in Cœna Domini*, XIII. complectens homilias. Hujus expositionis caussa mentio facta est nostri Codicis a Mabillonio in editione *operum Divi* BERNARDI, & a Merlone Horstio, aliisque Scriptoribus. Illius enim subsidio *Cardinalis Bona* genuinum detexit autorem *sermonum in Cœna Domini*, qui Divo Bernardo primum adtributi, sub ignoti autoris nomine postea tradebantur. Notandum tamen, laudatum Mabillonium in operibus suppositiis *Divi Bernardi* tom. II. pag. 397. XV. numero homilias edidisse; cum in Regio nostro Codice XIII. tantum exstent: quod ideo fit, quia sexta, & ultima in editionibus in binas distinctæ fuerunt.

CODEX DCCLXII. *e.* I. 10.

Membranaceus, duplici columna, varioque exaratus charactere, foliis constat 336. Est in eo

Fol. 1. *Tractatus de amore & dilectione Dei & proximi & aliarum rerum & de forma vite hominis*, autore ALBERTANO.

Fol. 55. *pag.* 2. Ejusdem *Liber consolationis, & consilii*, ad cujus calcem:

Explicit liber consolationis & consilii quem Albertanus causidicus Brixiensis de hora Sancte Agate compilavit sub millesimo ducentesimo quadragesimo sexto in mensibus Aprilis & Madii. Deo gratias amen.

Fol. 81. Ejusdem *liber de doctrina dicendi & tacendi*, in cujus fine:

Explicit liber de doctrina dicendi & tacendi ab Albertano causidico Brixiensi de hora Sancte Agate compositus sub millesimo ducentesimo quadragesimo quinto de mense Decembris.

Fol. 91. *Sermones in feriis atque Dominicis quadragesimæ Magistri* BARTHOLOMÆI DE PISIS *Ordinis Fratrum Minorum*, ut notatur in fine.

Fol. 200. Collectio sententiarum ex multis tum sacris, tum prophanis Scriptoribus, prætermisso autoris nomine.

Fol. 230. Index, *qui*, ut legimus ad calcem, *continet per ordinem alphabeti omnes materias predicabiles que reperiuntur in sermonibus & omeliis Dominicarum & Sanctorum per totum annum in Romano Breviale contentorum.*

CODEX DCCLXIII. *e.* I. 11.

Membranaceus, constans foliis 129. circa finem sæculi XIII. optimæ lectionis, expositiones morales, atque allegoricas exhibet in varia *Psalmorum* loca, quæ quidem ad certa capita, titulosque revocantur, sine autoris nomine. Exemplum a primo titulo petimus.

Distinctio Beatitudinis.

Beatus vir qui non abiit. Quinquepartita est beatitudo. Est enim beatitudo superbie & elationis. Est beatitudo avaritie & cupiditatis. Est beatitudo apparentie & superstitionis. Est beatitudo gratie & veritatis. Et est beatitudo eterne beatitudinis &c.

CO-

Digitized by Google

CODEX DCCLXIV. *e.* I. 12.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, cui folia 128. ſæculi XIV. varia complectitur concionum themata, ſub quibus exempla ſacrarum Scripturarum congeruntur. Dixeris fere *Bibliothecam Concionatoriam*.

In fine.

Explicit liber de exemplis Sacre Scripture compilatus a Venerabili Fratre Nicholao Ordinis Fratrum Predicatorum ſocio Domini . . . . . Hoſtienſis ejus Ordinis Cardinalis poſtmodum vero Patriarcha Jeroſolimitano.

CODEX DCCLXV. *e.* I. 13.

Membranaceus, duplici pariter ſcriptus columna, folia habens 269. ſæculi XV. literis initialibus vario colore ductis, & imagunculis ornatus.

Habentur in eo ſex poſteriores libri *de exemplis & ſimilitudinibus* JOANNIS DE SANCTO GEMINIANO.

CODEX DCCLXVI. *e.* I. 14.

Chartaceus, foliis conſtans 119. ſæculi XV. in quo

Fol. 1. Libri duo *de vita ſolitaria* FRANCISCI PETRARCÆ *laureati ad Philippum Caralicenſem Epiſcopum.*

Fol. 103. *Incipit diſputatio de nobilitate inter P. Cornelium Scipionem & Cayum Flaminium ex qua orationes.* Sunt nimirum ſub hoc titulo binæ orationes, exercitationis cauſſa, crediderim, habitæ, quibus Scipio primum, tum Flaminius nobilitatem quiſque ſuam tueri, atque exaggerare ſtudet. Prius vero argumenti ratio proponitur, & nonnulla de Lucretia quadam præmittuntur, quæ diſputationi cauſſam dediſſe ſupponitur, quum ſe adoleſcentum nobiliori nupturam dixit. Initium hoc eſt: *Apud Maiores noſtros ſepe numero de nobilitate dubitatum eſt. Multi quidem in felicitate generis. nonnulli in affluentia divitiarum: plerique vero in gloria virtutis arbitrati illam eſſe ſunt &c.*

CODEX DCCLXVII. *e.* I. 15.

Membranaceus, folia habens 72. nitido charactere exaratus, ſæculi XIV. Proponuntur in eo primum argumenta, ſeu theſes, ſub quibus deinde varia Sanctorum geſta narrantur. Et primum quidem *de gratia ſpirituali* ita exhibetur.

Spiritus gratia non propter ordinem vel dignitatem tribuitur ſed magis ex operibus bonis adquiritur.

De Maria Ægyptiaca

Maria Ægyptiaca anno XII. aetatis parentes derelinquens Alexandriam petiit Civitatem ubi meretricando ludis gule & ebrietatibus deſerviendo &c.

Sequuntur narrationes de *Beata Pelagia*, de *Sancta Eupraſſia*, de *Beata Marina*, de *Sancta Eufroſina*, de *Sancto Habraam Eremita*.

Secundum eſt *de Eccleſia* his verbis contentum.

Eccleſia Chriſti per Apoſtolos nata & adulta perſecutionibus crevit martiribus coronata que poſtquam ad Principes Chriſtianos venit potentia quidem & divitiis maior ſed virtutibus minor facta eſt.

Breves poſtea lectiones habentur de *Malcho Monacho*, de *Sancto Dorotheo*, de *Sancta Potamena*, de *Beata Alexandria*, de *Beato Nathanaele*, de *Paulo Simplice*, de *Sancto Stephano Monacho*, de *Helia Monacho*, de *Johanne Monacho*, de *Sancto Serapione*, de *Effrem Diacono*, de *Paſſione imaginis Salvatoris*, de *Sancto Amphilochio*, de *Sancto Baſilio*, de *Sacramento altaris*.

His demum adjiciuntur redactæ ad ſumma quædam capita ſententiæ virorum ſanctitate inſignium, monaſticam præcipue vitam profitentium, perutiles ſane ad morum informationem, & ad Chriſtianam pietatem excitandam accommodatiſſimæ.

In compactione vero codicis membranaceum folium tranſverſum poſitum fuit, in quo fragmenta canonum *poeniten-*

Digitized by Google

nitentialium. Hi ferme ſunt eorum tituli.

I. *Ut nullus Epiſcopus ſeu presbyter alterius penitentem ſine litteris ſui Epiſcopi ſuſcipiat.*

II. *Ut nullus poſt penitentie actionem ad militiam ſecularem redire debeat.*

III. *Ut nullus ex Eccleſiaſtico ordine per manus impoſitionem remedium accipiat penitendi.*

IV. *De his qui altari Dei deſerviunt ſi ſub eo fiendæ carnis fragilitate corruerint.*

Quinti titulus integer non habetur: ipſe tamen canon ita habet: *Ut preſbyteri non interrogato Epiſcopo non reconcilient penitentem niſi abſentia Epiſcopi neceſſitate compellente.*

CODEX DCCLXVIII. *e.* I. 16.

Membranaceus, habens folia 134. ſæculi XIV. ſequentia complectitur opuſcula, & quidem complurium autorum.

Fol. 1. *De quatuor voluntatibus in Chriſto*: Autor eſt HUGO DE S. VICTORE; exſtatque inter edita ejus opera Tom. III. pag. 56.

Fol. 4. Ejuſdem *de tribus generibus meditationum*, ſive, ut habetur in edit. Tom. II. pag. 284. *aureum de meditandi artificio opuſculum*.

Fol. 7. Expoſitiones in varia *Pſalmorum* loca ejuſdem HUGONIS. In edit. Tom. I. pag. 50.

Fol. 42. Sunt excerpta varia ex libris *Miſcellaneorum* ejuſdem HUGONIS.

Fol. 77. *pag.* 2. *Sermo* S. LEONIS PAPÆ *in die Sancti Joannis Baptiſtæ*, cujus initium: *Poſt illum Sacroſanctum Domini natalem diem nullius hominis nativitatem legimus celebrari &c.*

Refert hunc ſermonem Combefiſius in *Bibliotheca Concionatoria* Tom. VIII. pag. 116. ſub *S. Auguſtini* nomine, & in appendice Tom. V. *Operum D. Auguſtini pag.* 327. legitur inter ſuppoſitios ejus Sermones. Notant vero Benedictini jam pridem a *Lovanienſibus*, perque *Verlinum*, & *Vindingum* viro Sanctiſſimo abjudicatum fuiſſe; exiſtimantque, *Fauſto* facile adſcribi poſſe ob conſenſionem cum ejuſdem ſcriptionibus: at de *Leone* ne verbum quidem.

Fol. 81. *Expoſitiones ſuper Iſaiam*, duplici columna, & tenuiori charactere exaratæ, autore MAGISTRO STEPHANO, ut docent priora verba:

Incipiunt Allegorie & Moralitates ſuper Iſaiam, quas compoſuit Magiſter Stephanus.

Nullam porro hujus commentarii mentionem factam deprehendimus in *Bibliotheca Sacra* P. Lelong.

Tandem in fine Codicis addita ſunt excerpta quædam ex DIVO BERNARDO *de Chriſti Domini paſſione, & morte.*

CODEX DCCLXIX. *e.* I. 22.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, conſtans foliis 259. ſæculi XIV. Sunt in eo Sermones, omiſſo autoris nomine, a feria IV. *Cinerum* uſque ad Dominicam V. poſt Pentecoſten, præmiſſa eorumdem tabula. Initium primi hujuſmodi eſt:

Convertimini ad me in toto corde veſtro Joel II. Rationalis anima proxima Angelis in natura & divina eſt imagine & ſimilitudine inſignita ut per ejus imaginem Deum cognoſcat & per ſimilitudinem Deum diligat &c.

CODEX DCCLXX. *e.* I. 23.

Membranaceus, duplici exaratus columna, cui folia 181. ſæculi XIV. Sermones continet *de Adventu, de Nativitate Domini, & Joannis Baptiſtæ*, alioſque in feſtis *Sanctæ Mariæ Virginis*, ſine autoris nomine. Prioris initium ita ſe habet. *Dominica I. in Adventu Domini. Dominus prope eſt Phil. III. Veniet nobis quaſi ymber temporaneus & ſerotinus terre. Oſee VI. Locuturi de adventu dulciſſimi Jeſu Chriſti in Carne ſubjunximus auctoritatem &c.*

Fol. 73. *Sermones Dominicales totius anni*

Digitized by Google

anni ſuper epiſtolas, quæ nimirum in ſacri myſterii celebratione legi ſolent. Primus incipit his verbis: *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. Hoc tempus dicitur tempus adventuum quia cantus Eccleſie ſunt de adventu Chriſti &c.*

CODEX DCCLXXI. e. I. 25.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, conſtans foliis 297. circa finem ſæculi XIV. in quo Sermones ab *Adventu* per totius anni curriculum, ignoti autoris. Prior incipit: *Erunt ſigna in Sole & Luna &c. Lucae XI. De duplici Chriſti adventu, hoc tempore principalius ait Eccleſia: in mundum videlicet & ad judicium &c.*

CODEX DCCLXXII. e. I. 26.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, folia habens 217. optimi characteris, ſæculi XIV. Sermones continet *Dominicales* per totum annum, non memorato pariter autoris nomine. Primus incipit: *Hora eſt jam nos de ſompno ſurgere. Rom. VIII. Clamat preco vigilantiſſimus & zelator precipuus animarum ut excitet peccatores ſopore damnabili conſopitos proponens oportunitatem temporis congruentis &c.*

Fol. 204. Teſtimonia SS. Patrum ſub cujuſque nomine, a quo ſumpta fuerunt, referuntur hoc titulo: *Auctoritates infraſcripte ſunt in precedenti libro ſed cauſſa brevitatis poſite ſunt hic.*

CODEX DCCLXXIII. e. I. 32.

Membranaceus, ſæculi XIV. nitidiſſimo charactere, & duplici columna ſcriptus, foliis conſtat 148. Sunt in eo Sermones in *feſtis* Mariæ Virginis, & quorumdam Sanctorum, ſine autoris nomine.

Fol. 1. Occurrit Sermo in *Aſſumptione Virginis*, cujus initium: *Signum magnum apparuit in Celo. Mulier amicta Sole. Apoc. XII. Scribuntur verba iſta que convenientiſſime intelligi poſſunt de Virgine glorioſa, cujus aſſumptionem hodie recolit Sacroſancta mater Eccleſia &c.*

CODEX DCCLXXIV. e. I. 36.

Chartaceus, complectens folia 134. ſæculi XV. in quo

Fol. 1. *Libellus de audientia confeſſionis Venerabilis viri Domini Fratris* Antonini de Florentia *Ordinis Predicatorum ac ejuſdem Civitatis Archiepiſcopi preclariſſimi.*

Fol. 70. Ejuſdem *tractatus de reſtitutione.*

Fol. 80. *pag.* 2. *Tractatus de uſuris Fratris* Bartholomei de Pisis.

Fol. 90. *Breviſſimum directorium archicomunes interrogationes habendas a Sacerdote & plus & minus ſecundum quod videtur tempori & ſtatui expedire confitentium.*

Ad calcem vero legitur:

1473. *die XXVI. Octobris explevi hoc opuſculum quod compoſuit Dominus Paulus Mapheis Veronenſis Regularis Canonicus de Congregatione Salvatoris Lateranenſis de Urbe.*

Fol. 92. *Tractatus Domini* Angeli Parigli de Perusio *juris utriuſque Doctoris egregii de ſocietatibus pecunie & animalium.*

Fol. 103. *pag.* 2. *De compatribus & commatribus & quomodo poſſint fieri*; abſque autoris nomine.

Fol. 104. *Conſilium Domini* Alexandri, *num clerici teneantur ſolvere pedagia.*

Fol. 105. *pag.* 2. *Tractatus de ornatu mulierum* Divi Antonini.

Fol. 111. Variæ abſolutionis formulæ, poſt quas regula quædam in Miſſarum celebratione ſervanda.

CODEX DCCLXXV. e. I. 37.

Chartaceus, habens folia 165. ſæculi XV. in quo

Fol. 1. *Tractatus* Divi Antonini *de audientia confeſſionis*, ad cujus calcem duæ referuntur *Bullæ Martini* ad univerſum

Ordinem

Digitized by Google

Ordinem Fratrum Prædicatorum. Prima, in qua innovat, & confirmat *Mare magnum* Gregorii XI. quæve refertur in *Bullario* Ordinis Fratrum Prædicatorum tom. II. pag. 679. Altera, qua eumdem Ordinem ab Episcoporum jurisdictione, ac decimis, aliisque tributis eximit, firmatque Constitutionem *Bonifacii* IX. ut in eodem *Bullario* Tomo pariter II. *pag.* 585.

Fol. 73. Ejusdem Antonini *tractatus de matrimonio*.

Fol. 107. *Capitulum de professione religiosa brevi Sermone expensum*, sine autoris nomine.

Fol. 108. *pag.* 2. Ordo commendationis animæ, post quem excerpta nonnulla ex *Bulla Sixti Papae anno Domini* 1474. *pridie Kalendas Septembris*.

Fol. 116. Peccata contra decalogum, metrica oratione comprehensa.

Fol. 118. Sermones in variis diebus festis, omisso autoris nomine.

CODEX DCCLXXVI. *e.* I. 38.

Membranaceus, duplici scriptus columna, constans foliis 116. sæculi XV. in quo

Fol. 1. *Tractatus* Divi Antonini *circa confessiones, & de ornatu mulierum*.

Fol. 65. *pag.* 2. *Additio facta per Reverendum Patrem* Johannem de Capistrano *Ordinis Minorum premisso tractatu de vanitatibus*. Meminit Wadingus in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Frat. Min. pag.* 197.

Fol. 69. *Tractatus de vanitatibus per Fratrem* Nicolaum de Hansimo *Ordinis Minorum*. Albertus Fabricius tom. V. *Bibliothecæ Mediæ & Infimæ Latinitatis pag.* 318. ubi illius opera recenset, vocat *Nicolaum de Auximo*.

Fol. 71. *Tractatus* Johannis de Capistrano *super Capitulum Omnis utriusque sexus*.

Fol. 77. Ejusdem *tractatus de excommunicatione*, ad cujus calcem:

Finis hujus operis tractatuum trium manu Bernardi de Nyra de Claverano in Camera Turris Majoris horæ prime die 8. mensis Decembris anno Domini 1463.

CODEX DCCLXXVII. *e.* I. 40.

Membranaceus, duplici exaratus columna, foliis constans 147. optimæ notæ, literis initialibus variegatis, & auro nonnunquam obductis ornatus, sæculi XV. complectitur

Fol. 1. *Tractatum* Antonini *de confessione, & de ornatu mulierum*.

Fol. 66. *Tractatum Sancti* Bernardini *de mercationibus*.

Fol. 75. Dubia quædam a Divo Antonino declarata, cum tractatu de *impedimentis matrimonii*, & paucis versibus, quibus peccata contra *Decalogum* continentur.

CODEX DCCLXXVIII. *e.* I. 41.

Membranaceus, habens folia 64. sæculi XIV. in quo

Fol. 1. Liber Richardi a S. Victore, cui titulus, *de Patriarchis ex doctrina Magistri Hugonis*. In edit. autem *pag.* 118. inscribitur *de præparatione animi ad contemplationem liber dictus Beniamin minor*.

Fol. 49. *Sermo de Incarnatione*, sine autoris nomine, cujus initium: *Ut Verbum caro fieret, & habitaret in nobis misericordia & veritas obviaverunt sibi justitia & pax osculate sunt &c.*

Fol. 55. Sequuntur usque ad finem multæ sententiæ variis ex locis erutæ.

CODEX DCCLXXIX. *e.* I. 43.

Chartaceus, sæculi XV. cui folia 107. Sunt in eo

Fol. 1. *Tractatus de Antichristo & fine mundi Fratris* Vincentii de Beluaco *Ordinis Fratrum Predicatorum*. Incipit. *Porro VII. etas que animarum quiescentium est ab Ascensione Christi aperta janua quietis initium habuit & usque in presens una cum sexta decurrit &c.* Ex ipsius *Speculo morali* hæc forte desumpta sunt.

Fol.

Digitized by Google

Fol. 16. *Libellus* PETRI ALPHONSI *contra Judeorum perfidiam & errores Gentilium*. Fuit *Petrus Alphonſus* primum Judæus *Moſis* nomine appellatus: anno deinde Chriſti 1106. Chriſtianus factus, libellum hunc, ſeu dialogum ſcripſit adverſus Judæos ſub nomine *Petri & Moſis*, quæ duo erant ipſius tum Judæi, tum Chriſtiani nomina. Hæc Oudinus tom. II. pag. 992.

Fol. 34. *pag.* 2. *Viſio* CUNDALI DE HIBERNIA *militis de penis inferni & gaudiis paradiſi*, cujus initium: *Anno Domini* 1149. *imperante Corrado tercio Romanorum Imperatore Rome preſidente Eugenio Papa viſa eſt hec viſio. Due ſunt metropoles in Hibernia Ardinacha Septentrionalium Hibernenſium, Auſtralium vero Caſolenſis. de qua ortus fuit quidam Cundalus nomine &c.*

Fol. 49. *Vita* PAULI *Eremitæ a B. Hieronimo ſcripta*, cujus initium: *Inter multos ſepe dubitatum eſt a quo potiſſimum monachorum &c.* Exſtat in edit. Bened. Pariſienſi tom. IV. pag. 68.

Fol. 53. *Vita Beati* ANTONII, quæ incipit: *Igitur Beatus Antonius nobilibus religioſiſque parentibus natus Egypto oriundus fuit &c.*

Divo Hieronymo tribuitur in Codice. Genuinus tamen ejus auctor eſt ATHANASIUS, legiturque inter ejus opera tom. I. pag. 795. Interpretatio autem eſt *Evagrii*, ut ex Collatione facta deprehendimus.

Fol. 83. *Vita Sancti* HILARIONIS *a Divo Hieronymo* ſcripta, cujus initium: *Scripturus vitam beati Hilarionis habitatorem ejus invoco Spiritum Sanctum &c.* Exſtat in edit. tomo ſuperius citato pag. 74.

Fol. 96. *Vita Sancti* PACOMII, eadem, quæ apud Bollandum tom. III. Maii. pag. 359. & quæ apocrypha communiter exiſtimatur.

Expleta hac vita, ſequuntur adhortationes quædam Monachis factæ cum fragmento *vitæ Sancti* IOHANNIS *Abbatis*.

CODEX DCCLXXX. *e.* II. 2.

Membranaceus, cui folia 138. ſæculi XIII. Continet primo loco nonnullos *Sancti* EPHREM ſermones, ſequenti ordine.

Fol. 1. Eſt ſermo omni deſtitutus titulo, qui incipit: *Dolor me compellit dicere & infirmitas mea comminatur mihi ut ſileam &c.*

Fol. 29. *Sermo de judicio & compunctione*, cujus initium: *Venite dilectiſſimi fratres exhortationem meam ſuſcipite & ſemper mementote conſilii mei &c.*

Fol. 37. *Sermo de reſurrectione & judicio & de Regno Celorum & anime mundicie*. Incipit: *Gloria omnipotenti Deo quia os noſtrum ſuperno nutu Deus aperuit &c.*

Fol. 44. *Sermo de beatitudine*, cujus initium: *Beatus qui odio habuerit hunc mundum & ſolum meditatio ejus in Domino fuerit &c.*

Fol. 49. *Sermo de agone*, cujus initium: *In luctaminibus ſeculi nullus ſine agone ſeu certamine legitime coronabitur &c.*

Fol. 54. *pag.* 2. *Sermo de penitentia*, cujus initium: *Dominus Jeſus Chriſtus qui deſcendit de ſinu Patris, & factus eſt nobis via ſalutis &c.*

Fol. deinde 60. *pag.* 2. Habentur *ſermones cujuſdam ſenis de diſcretione virtutum*. Initium ita ſe habet. *Siquis cuſtodierit ſermones hos poterit liberari a gehenna & requiem invenire quocumque voluerit &c.*

Fol. 67. *Explicit cujuſdam ſenis de diſcretione virtutum. Incipit cujuſdam ſenis de virtutibus*, hoc ſcilicet modo: *Timor Domini expellit omnem nequitiam negligentia vero expellit timorem Dei &c.*

Fol. 68. *Monita Sancti* PACHOMII, quorum initium: *Honora Dominum & valebis. memor eſto gemitus quos perpeſſi ſunt Sancti &c.* Latine edita fuerunt ex MS. *Aldino* a Gerhardo Voſſio in *appendice ad Gregorium Thaumaturgum*.

Fol. 69. *pag.* 2. Sequuntur ſermones, ſeu potius narrationes ex *Prato* ali-

Digitized by Google

aliquo, ni fallor, deſumtæ.

Fol. 90. *Tractatus aſceticus Anonymi* autoris, in multa capitula diſtinctus, in quibus de virtutibus, veraque earum forma, de converſatione inter homines, & vita recte componenda ſermo fit. Priori quidem capitulo præfixus eſt hic titulus: *Ammonitio de laude caritatis & quomodo cunctis virtutibus preferatur*. Incipit autem: *Nunc memor pie petitionis beatiſſime Frater tibi ut rogaſti, ſcribere ſtudui &c.*

Fol. 132. *De opera manuum*, ſine autoris nomine. Incipit: *Tempus operationis eſt dilectiſſimi quo pervenire poſſumus ad eternam & incommutabilem gloriam &c.*

Fol. 134. Opuſculum ſcriptoris cujuſdam, qui ſub *Hieronymi* nomine latens monachorum vitia redarguit. Inſcribitur, *Increpatio Jeronimi ad monachos*. Incipit autem: *Fratres cariſſimi mundus in periculo poſitus eſt adverſarius noſter Diabolus regnat in mundo &c.*

CODEX DCCLXXXI. *e.* II. 10.

Chartaceus, habens folia 37. ſæculi XV. Continet Divi Prosperi *Epigrammata*, brevibus animadverſionibus, & commentariis illuſtrata, paucis præmiſſis de ejus vita, moribus, & operibus. Deeſt quorumdam epigrammatum expoſitio, relicto tamen loco, quo deſcribi poſſet.

In fine pauca adduntur de *poemate conjugis ad uxorem*, de quo plurimum diſputant viri Critici, num *Divi Proſperi* genuimus fœtus habendus ſit, ut videre eſt in editione pag. 772. In Codice autem *Proſpero* tribuitur.

In fine hæc leguntur.

Hoc opus ſcripſit Frater Tibaldus de Guerris de Caſtro Novo Terdonenſi Ordinis Fratrum Minorum tunc Bachalarius Conventus Cherii 1466. *die* 12. *Auguſti.*

CODEX DCCLXXXII. *e.* II. 15.

Membranaceus, conſtans foliis 80. ſæculi XIII. optimi characteris, atque lectionis, Divi Bernardi Sermones complectitur *de tempore a die Sancto Paſchae uſque ad Sancti Andreæ feſtum*, non eo tamen ſemper ordine, qui in editis apparet.

CODEX DCCLXXXIII. *e.* II. 16.

Membranaceus, cui folia 93. ſæculi XIV. minutiſſimo charactere, & duplici columna ſcriptus, in quo varii tractatus aſcetici, atque morales. Et quidem

Fol. 1. *Tractatus* Richardi a Sancto Victore *de praeparatione animi ad contemplationem.*

Fol. 11. *Liber* Augustini *de conflictu vitiorum & virtutum*, cujus initium: *Apoſtolica vox clamat per orbem atque in procinctu fidei poſitis &c.*

PP. Benedictini in appendice Tomi VI. *Operum S. Auguſtini pag.* 219. faciunt hujus libri autorem Ambrosium Autpertum Monaſterii Sancti Vincentii ad Vulturnum in Benevento Abbatem.

Fol. 13. *Liber* Bernardi *de diligendo Deo ad Aymericum Cardinalem.*

Fol. 16. Nonnulla brevibus verbis dicuntur de philoſophia, abſque autoris mentione.

Fol. 22. *Liber de arra animae* Huconis de Sancto Victore.

Fol. 26. Quæſtiones aliquot ad mores ſpectantes, ignoti autoris.

Fol. 29. *pag.* 2. Preces ad Beatam Virginem ex S. Anselmo excerptæ.

Fol. 33. *Liber Beati* Augustini *de anima & ſpiritu*, quem PP. Benedictini in appendice tomi VI. *operum S. Auguſtini* pag. 35. tribuunt Alchero Claravallenſi Monacho.

Fol. 37. Sermones duo *Anonymi*, unus de *ſapientia*, alter de *medicina*.

Fol. 38. *Liber Beati* Anselmi *ad excitandum timorem & devotionem*. Eſt nimirum ejus meditatio ſecunda *de terrore judicii*, cujus initium: *Terret me vita mea &c.* In edit. pag. 207.

Fol. Eodem, *pag.* 2. Ejuſdem *Proſologion.*

Fol.

Digitized by Google

Fol. 50. *Summula articulorum Fratris* JOANNIS *de* RUPELLA, quæ incipit: *Summa catholice diſcipline in duobus conſiſtit in fide & moribus &c.*

Multa hujus ſcriptoris opuſcula adhuc inedita recenſet Oudinus tom. III. pag. 160. omiſſa prorſus *Summulæ articulorum* mentione.

Fol. 64. *Liber* ANSELMI *de meditatione humane ſalutis*. Eſt nimirum meditatio ejus undecima in edit. pag. 221. ſub titulo *de redemptione humana*.

Fol. 66. Ejuſdem *Libri duo cur Deus homo*. In edit. pag. 74.

Sequitur deinde tumultuaria variarum rerum congeſtio ad uſum privati alicujus hominis.

CODEX DCCLXXXIV. *e.* II. 18.

Partim membranaceus, partim chartaceus conſtans foliis 201. ſæculi XV. ubi plura continentur monumenta ad hiſtoriam ſæculi XIII. & ſequentium ſpectantia, nullo inter ſe ordine, nullaque temporum ſerie diſpoſita; ſed a privato quodam homine ſparſim collecta, & ut ad manus veniebant, in hoc volumen redacta. Præcipua vero pertinent ad cauſſam Frederici II. Imperatoris cum Summis Pontificibus Gregorio IX. & Innocentio IV. necnon ad *Guelforum & Gibellinorum* diſſidia, quæ id temporis magna animorum contentione per totam ferme Italiam agitabantur. Plures itaque habentur Pontificiæ literæ ad Fredericum Imperatorem, alioſque Principes, & invicem Frederici, aliorumque Principum ad Pontifices; tum multæ ad Piſanos, Senenſes, Lucanos, Bononienſes, Aretios &c. de iiſdem *Guelforum, & Gibellinorum diſſidiis*. Et harum quidem non paucæ PETRUM DE VINEIS autorem præferunt, Frederici II. Cancellarium, virum, uti teſtatur Trithemius, doctrina, ingenio, ac eloquentia præſtantiſſimum, cujus opera uſus eſt Imperator in rebus difficillimis, atque graviſſimis. His autem epiſtolis quædam nonnumquam interjectæ ſunt a ſubjecta materia alienæ omnino, & diſcrepantes, nimirum Corradi II. Caroli II. Roberti, & Jacobi Siciliæ Regum literæ.

Præ cæteris notatu digniſſima ſunt:

I. *Fol.* 26. *Bullæ canonizationis Beati Dominici, Beati Petri Martyris, & Sancti Thomæ de Aquino.*

II. *Fol.* 40. *pag.* 2. Marbaſſani Joniæ Principis Epiſtola ad ſummum Pontificem Clementem VI. in qua vehementer conqueritur, quod expeditionem adverſus ſe in Italiæ Eccleſiis promulgari juſſiſſet. Titulus quidem epiſtolæ ita ſe habet: *Marbaſſanus Bey Geſſi cum fratribus ſuis Cerebi & Lusbaici Imperatoris Organei collaterales pugiles in partibus Acaie Domini &c.* Initium autem:

Magno Sacerdoti Romanorum juxta merita dilecto. nuper auribus noſtris innotuit quod in partibus Italie ad preces & poſtulationem populi Venetorum in baſilicis veſtris faciatis publice divulgari quod quicumque arma ſumpſerit contra nos &c.

III. Eodem *fol. Sententia lata per Imperatorem Henricum VII. contra Illuſtrem Principem Robertum Jeruſalem & Sicilie Regem*. Hanc ſequuntur. *litere deſtinate per Regem Robertum ad plures partes & loca occaſione ſententie ſupraſcripte*, nec non Civitatis Lucanæ ad Robertum literæ.

IV. *Fol.* 43. *Sententia dictata per Bartholomeum de Capua & lata contra Comitem de Cerra.*

V. *Fol.* 163. Varia ſubjiciuntur monumenta de *Nicolao Laurentio Romani populi Tribuno*, qui anno 1347. arrepta abſentiæ Pontificum occaſione, tyrannidem Romæ exercuit, oſtentans, antiquam Romanæ Reipublicæ amplitudinem ſe reſtituere velle. Horum accuratam analyſim præſtat exhibere, præcipue quum nonnullæ ſint *Franciſci Petrarchæ* epiſtolæ, quas in editione Baſileenſi fruſtra quæſivimus.

Et primo quidem occurrit *Epiſtola Miſſa per Dominum Franciſcum Petrar-*

Digitized by Google

cham de Florentia Tribuno. Incipit autem: *Non facile dici poteſt optime vir de eventibus ceptorum tuorum quam ſollicitus quamque ſuſpenſus ſim ſic me Deus diligat &c.*

Deinde *fol.* 164. *Littera miſſa Tribuno per Dominum Franciſcum Petrarcham poetam poetarum modernorum*, cujus initium: *Nuper ex procellis hujus curie que Romana dicitur inter quas egre jam ſenior navita ſed adhuc rudis & inexpertus navigo in ſolitudinis aſſuete portum fugiens &c.*

Tum *fol.* 165. Ejuſdem *littera miſſa Tribuno*, cujus initium: *Non deſinam cotidie tibi aſcribere magis ut quidquid de te parturit animus meus primus omnium ſcias & tui ſollicitudinem apud te potiſſimum deponam &c.*

Poſtea *fol.* 166. *Copia literarum quas miſit Tribunus populo & univerſitati Viterbii de obedientia & ſubſidio requiſitis per eum pro Rep. gubernanda*. Initium fit his verbis: *Auctore Clementiſſimo Domino Noſtro Jeſu Chriſto Nicolaus Severus & Clemens libertatis pacis juſticieque Tribunus & Sacre Romane Reipublice liberator Nobilibus & prudentibus viris Poteſtati Capitaneo bonis hominibus Giudico Conſilio & Comuni Civitatis Viterbii in juſticia conſtitutis Sacri Romani populi filiis & devotis ſalutem & cum reconciliatione Dei pacem & juſticiam venerari. Denunciamus vobis ad gaudium Domini Sancti Spiritus quod pius pater & Dominus Noſter Jeſus Chriſtus in hac veneranda die feſtivitatis Paſche Pentecoſte &c.*

Fol. autem 167. *Copia literarum miſſarum per Tribunum ad Dominum Papam (Clementem VI.) excuſando ſe ab inimicis occultis*. Incipit: *Sanctiſſime Pater & Clementiſſime Domine ne doloſarum linguarum aſtucia &c.*

Rurſus *fol.* 168. *Epiſtola ſive littera miſſa Tribuno per Dominum Franciſcum Petrarcham de Florentia*. Incipit: *Primum tibi vir magnanime pro tantarum rerum gloria ac liberatis per te civibus pro tuis erga illos meritis & feliciſſimo ſucceſſu reſtitute libertatis gratulor &c.*

Et *fol.* 173. Tribuni ad Petrarcham hoc titulo: *Auctore Clementiſſimo Domino Noſtro Jeſu Chriſto Nicolaus Severus & Clemens libertatis pacis juſticieque Tribunus & Sacre Romane Reipublice liberator Illuſtris clare virtutis viro Domino Franciſco Petrarche poete digniſſimo laureato & Concivi cariſſimo ſalutem & ſummi gaudii plenitudinem & honorem. Dulciſſima literarum veſtrarum &c.*

Fol. autem 174. *Copia literarum que fuerunt miſſe ad Curiam de iis que fuerunt geſta in parlamento facto per Tribunum Rome coram Ambaxiatoribus Italie &c.* Incipiunt: *ad Honorem & gloriam ſummi Dei Patris, Filii, & Spiritus Sancti Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli & Sancti Johannis Baptiſte in cujus Sanctiſſimo Templo in Chonca videlicet Sacratiſſimi Principis gloriam militarem accepimus &c.*

Fol. 177. *Clementis VI. Sententia* adverſus Andreæ Joannæ Reginæ Neapolitanæ filii interfectores, cujus initium: *Deteſtanda nimium & horrenda nequitia &c.* omnino, ut apud Raynaldum ad *annum* 1346. numero XLIV.

Fol. 179. *pag.* 2. Tribuni ad Summum Pontificem Epiſtola, cujus initium: *Sanctiſſime Pater ac Clementiſſime Domine dati optimi donique perfecti gratiam a Patre ſuminus deſcendentis qui Sacro noſtro Romano populo in Venerabili feſto Paſce Penthecoſte preterito proxime de Celo lucem veritatis emiſit ad cognoſcendam amplectendamque libertatem cum ſancte pacis juſticieque complexu in Sanctitatis veſtre noticia pagina mee inſinuationis adduxit &c.*

Denique *fol.* 182. *Modus & forma coronationis Tribuni, Ejuſdemque Oratio ad Senatum, populumque Romanum* habita, quæ incipit: *Exultent in circuitu veſtro montes induantur colles gaudio & univerſe planicies &c.*

VI. *Fol.* 186. *Sermo factus in fine audientiarum Chamberii tentarum anno Domini Milleſimo quatercenteſimo triceſimo quinto.*

VII. *Fol.* 190. *Sermo factus per Dominum Franciſcum de Boviſio Theologie ac utriuſque juris Doctorem in fine audientiarum*

Digitized by Google

rum Generalium que tente fuerunt in Pignerolio anno Domini 1439. *de menſe Maii & Junii & finite die decima Junii.*

VIII. *Fol.* 194. *Propoſitio facta per Reverendum in Chriſto Fratrem Dominum Ludovicum Epiſcopum Lauſanenſem Ambaſciatorem in preſentia Sanctiſſimi Domini Noſtri Eugenii Pape IV. & Reverendiſſimorum Patrum Dominorum Sancte Romane Eccleſie Cardinalium in Palatio Apoſtolico Rome die Jovis VI. menſis Marcii anno* XXXIII. Sermo eſt in eà de utilitate, & neceſſitate Concilii Baſileenſis ad proſequendam morum emendationem; multiſque verbis eorum temporum deploratur triſtitia propter diſſidia inter Concilium, & Pontificem exorta. Incipit autem: *Beatiſſime Pater antequam aliquid ex parte nos mittentium dicamus, Deum teſtamur & ejus Sanctos quod quidquid dicturi ſumus de mente eorum & mea procedit ex ſincero & puro corde & ex zelo honoris divini &c.*

CODEX DCCLXXXV. *e.* II. 21.

Membranaceus, habens folia 171. circa finem ſæculi XIV. Eſt in eo *Compendium Theologice veritatis* in VII. libros diviſum, cujus initium. *Veritatis Theologice ſublimitas cum ſit ſuperni ſplendoris radius illuminans &c.*

Mirum eſt, quantum inter ſe diſſentiant Eccleſiaſtici ſcriptores in deſignando hujus operis autore. Alii enim *Alberto Magno*, alii *Divo Thomæ Aquinati*, quidam *Divo Bonaventuræ*, nonnulli *Ægidio* tribuunt. In hoc Codice ſcriptus dicitur *a Beato Thoma de Aquino*; alii tamen recurrent, in quibus adſcribi videtur *D. Bonaventuræ*. Multa de hac quæſtione habet Oudinus tomo III. pag. 438. ubi de opuſculis *Sancti Bonaventuræ*, & pag. 787. ſub titulo *Joannis Rigaldi*.

CODEX DCCLXXXVI. *e.* II. 22.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, conſtans foliis 291. ſæculi XIV. in quo *Summa caſuum conſcientie* Bartholomei de Pisis.

In fine.

Explicit hoc opus quod fuit conſumatum & compilatum in Civitate Piſana per Fratrem Bartholomeum de Sancto Concordio de Piſis Ordinis Fratrum Predicatorum anno Domini 1338. *de menſe Decembris tempore Sanctiſſimi in Chriſto Patris Domini Benedicti Pape XII.*

Addita eſt ad calcem conſtitutio Archiepiſcopi Mediolanenſis adverſus fœneratores, manca tamen, ac mutila.

CODEX DCCLXXXVII. *e.* II. 23.

Membranaceus, habens folia 187. ſæculi XIV. duplici columna, & vario ſcriptus charactere, in quo

Fol. 1. Fragmenta libri Theologici vetuſtate detriti.

Fol. 4. Quæſtiones *de Fide, & Sacramentis*, ſine autoris nomine. Initium hoc eſt: *Tria ſunt in quibus humane ſalutis ſumma conſiſtit, fides videlicet Sacramentum & caritas &c.*

Fol. 50. Sermones quinque ignoti autoris. Primus incipit: *Panem Angelorum manducavit homo. Non lateat vos venerandi ſacerdotes ſeriem hanc vobis recitatam verbis ſuccinctam ſenſuum ſpiritalium majeſtate adprime fore fecundam &c.*

Fol. 58. *Sermo Sancti* Brunonis *Signienſis Epiſcopi de Sancta Maria*, ex capite V. libri ſecundi *Sententiarum* ejuſdem deſumtus.

Fol. 60. Ejuſdem *Sermo de Nativitate Domini*, ex capite 4. libri IV. *Sententiarum.*

Fol. 62. *pag.* 2. Ejuſdem *Sententiarum liber* tertius *de novo mundo, de Cælis novis &c.*

Fol. 73. Ejuſdem *Sententiarum liber primus*, ſive *de laudibus Eccleſiæ.*

Fol. 82. Ejuſdem *Sententiarum liber ſecundus de ornamentis Eccleſiæ*, cui deeſt caput XII.

Fol. 95. Ejuſdem ſermones varii,

Digitized by Google

nimirum duo de *Cirumciſione*, de *Trinitate*, in *Cœna Domini*, in *Aſcenſione Domini*, in *diebus feſtis Virginum, Martyrum, Confeſſorum Pontificum, Sancti Michaelis*, & in *Epiphania*.

Fol. 114. Moralia quædam abſque ordine congeſta ab ignoto autore.

CODEX DCCLXXXVIII. *e.* II. 24.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, conſtans foliis 248. ſæculi XV. commentaria exhibet in libros *Sententiarum* GREGORII DE ARIMINO *Theologiæ Doctoris Pariſienſis Ordinis Auguſtiniani*, pluries typis edita.

CODEX DCCLXXXIX. *e.* II. 25.

Chartaceus, duplici exaratus columna, conſtans foliis 57. ſæculi XV. ſermones continet *Sancti* BERNARDINI *Dominica IV. in Quadrageſima, totaque ſequenti hebdomada*, in quibus de *reſtitutione* tractatio inſtituitur.

In fine.

Explicit tractatus reſtitutionum editus a Sancto Bernardino de Senis Ordinis Minorum qui aſcriptus fuit cathalogo Sanctorum per Sanctiſſimum Dominum Dominum Nicholaum Papam V. de Sazarrana dioc. Lumenſis anno Domini 1450.

CODEX DCCXC. *e.* II. 26.

Chartaceus, habens folia 199. ſæculi XV. in quo

Fol. 1. Tractatus moralis *de vitiis, & virtutibus*, ad cujus calcem.

Explicit opus Roſarii compilatum a Fratre Johanne de Palma Ordinis Minorum in Sacra pagina Doctore famoſiſſimo ſcriptum per me Fratrem Ludovicum de Cherio ejuſdem Ordinis Lectorem Conventus Cherii in Pynarolio completum hora terciarum pulſante Campanella minori pro ſecundo ſigno 1443. *die* 22. *Maii que erat Mercurii.*

Fol. 98. Expoſitio *orationis Dominicæ*, cujus initium: *Volens filius Dei diſcipulos ſuos docere &c.*

In fine.

Et ſic terminatur utilis expoſitio orationis Dominice edita a Fratre Joanne de Palma Ordinis Minorum ac Sacre Theologie Doctore famoſiſſimo ſcripta per me Fratrem Ludovicum de Cherio ejus Ordinis dum eſſem conventus Pinaroli lector 1441. *die* 28. *Junii completa fuit in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli hora VI. jeiuno ſtomaco.*

Fol. 135. *Repertorium in libros Sententiarum*, ad cujus calcem: *Adjuvante illo ſine quo nullum rite fundatur exordium explicit tabula ſupra Magiſtrum Sententiarum ſcripta per me Fratrem Ludovicum de Cherio Ordinis Minorum Provincie Janue tunc temporis nominata Pedemoncium propter ſciſma lectorem conventus Pinaroli currente* 1443. *die* 28. *Januarii circa horam Completorii.*

CODEX DCCXCI. *e.* II. 27.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, conſtans foliis 358. ſæculi XIV. in quo

Commentaria in librum III. *Sententiarum*, prætermiſſo autoris nomine, Initium ſit his verbis. *Tota Chriſtiane fidei diſciplina pertinet ad duo ad fidem & intelligentiam conditoris &c.*

CODEX DCCXCII. *e.* II. 28.

Membranaceus, duplici exaratus columna, habens folia 149. ſæculi XIV. commentaria continet ignoti pariter autoris in librum I. *Sententiarum*.

Initio titulus habebatur rubrica deſcriptus, nunc fere detritus eſt, ut & tota ferme pagella.

CODEX DCCXCIII. *e.* II. 29.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 81. ſæculi XIV. eſt ſumma quædam aſcetica, & moralis per literas alphabeti digeſta ab incerto autore. Deſinit in litera M.

CO-

Digitized by Google

CODEX DCCXCIV. *e.* II. 30.

Chartaceus, habens folia 70. ſæculi XV. mutilus tam initio, quam fine, in quo nonnulla de *Sacris ordinibus*, de *Clericorum vita*, & de *Cælibatu*, tum de *Monachorum regulis*, ſine ullo titulo, & capitum diviſione.

CODEX DCCXCV. *e.* II. 31.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, conſtans foliis 199. ſæculi XIV. tractatum amplectitur GUILIELMI PERALDI *de vitiis & virtutibus*, ut in Codice *e.* IV. 35.

CODEX DCCXCVI. *e.* II. 33.

Chartaceus, conſtans foliis 188. ſæculi XV. Sunt in eo

Fol. 1. Commentaria in tria priora capita libri *Sapientiæ*, inconcinno prorſus charactere deſcripta, omiſſo autoris nomine.

Fol. 55. Summa quædam rerum ad mores ſpectantium alphabeti ordine.

CODEX DCCXCVII. *e.* II. 34.

Membranaceus, duplici columna exaratus, cui folia 225. ſæculi XIV. optimi characteris, atque lectionis. Continet *Collationes de vitiis, eorumque remediis, de virtutibus, de Deo, & variis diebus feſtis*, autore *Anonymo*. Poſt capitum elenchum initium fit his verbis: *Generaliter omne peccatum fugiendum quia Demonibus placet Deo diſplicet homini nocet &c.*

CODEX DCCXCVIII. *e.* II. 35.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, habens folia 193. ſæculi XIV. optimæ notæ, atque lectionis, cui titulus *Summa collectionum* JOANNIS DE VALLIA. Incipit autem: *Cum collectionis hujus que poteſt dici ſumma Collectionum ſint VII. partes &c.*

Hunc ſcriptorem Caveus, & Oudinus GUALENSEM vocant, natione *Anglum*, qui doctrinæ fama celebris inter ſuos vixerit ſæculo XIII. Multa autem diſputat Oudinus tom. III. pag. 495. contra Caveum de argumento ejus libri; varioſque MSS. codices in multis Bibliothecis exſtantes recenſet, atque idem eſſe opus contendit, quod ſub titulo *Margaritæ Doctorum* typis editum eſt.

Sequitur *fol.* 173. Ejuſdem *Breviloquium de virtutibus antiquorum, & Philoſophorum*.

CODEX DCCXCIX. *e.* II. 36.

Membranaceus, conſtans foliis 71. ſæculi XIV. in quo

Fol. 1. Tractatus, cui titulus *Imagines Fulgentii*. Incipit: *Theodoſius de vita Alexandri. Rex Cecilie Alexandrum ad convivium invitavit & quid ſibi conferre potuit ſollicitus cogitavit &c.*

Fol. 28. *Liber de moribus hominum*, ad cujus calcem:

Explicit liber qui intitulatur de moribus hominum & officiis nobilium ſuper ludo ſcaccorum a Fratre Jacobo de Ceuſis Ordinis Fratrum Predicatorum compilatus.

Eccardus in *Bibliotheca Scriptorum Ord. Præd.* tom. I. pag. 471. appellat JACOBUM DE CESSOLIS vel CESSULIS, *Gallum Rhemenſem*, qui verſus finem ſæculi XIII. floruerit; additque, ejus operis famam longe, lateque ſæculis XIV. & XV. claruiſſe; & plures numerat MSS. codices. Prodiit *Mediolani* anno 1479. teſte Fabricio tom. IV. *Mediæ & Infimæ Latinitatis* pag. 22.

CODEX DCCC. *e.* II. 37.

Membranaceus, conſtans foliis 211. multiplici exaratus charactere, & duplici columna, ſæculi XIV. in quo *Summa de Pœnitentia*, cujus initium: *Quum in libello de exemplis naturalibus a me ſcripto dicta de penitentia quedam pauca cum ſit ejus materia valde lata &c.*

Auto-

Digitized by Google

Autoris nomen desideratur.

CODEX DCCCI. *e.* II. 38.

Chartaceus, cui folia 92. sæculi XV. varias continet quæstiones de *moribus*, ex operibus Divi Antonini excerptas; aliaque ad usum privati alicujus hominis scripta, parvi cetero quia momenti.

CODEX DCCCII. *e.* II. 39.

Membranaceus, constans foliis 74. sæculi XIV. Habetur in eo *Summa Sententiarum Magistri* Hugonis de S. Victore. In edit. tom. III. pag. 417.

CODEX DCCCIII. *e.* II. 40.

Membranaceus, duplici scriptus columna, foliis constans 143. sæculi XIV. in quo *Summa casuum conscientiæ* Raymundi de Pennafort.

CODEX DCCCIV. *e.* II. 41.

Membranaceus, duplici scriptus columna, cui folia 192. sæculi circiter XIV. non infimæ notæ. Est *Lexicon* quoddam philologico-sacrum, de cujus autore nihil constat. Initio, & in fine carmina quædam leguntur rudia admodum & inconcinna, quæ propterea prorsus missa facimus.

Fol. 185. Est supplementum operis, paucis verbis comprehensum.

Fol. 191. *pag.* 2. Sermones duo sine autoris nomine, unus in *Annunciatione Beatæ* Virginis, alter in *ejusdem Nativitate*, sed mutilus fine.

CODEX DCCCV. *e.* II. 43.

Membranaceus, duplici exaratus columna, foliis constans 202. sæculi XIV. in quo

Fol. 1. Compendium Theologicæ veritatis, ut in Codice *e.* II. 21. Autoris nomen, cui tribuebatur, arte deletum fuit: *Divum* tamen *Bonaventuram* designatum fuisse, tum ex effigie initio posita, quæ Fratrem Ordinis Minorum duos alios Fratres ejusdem Ordinis edocentem exhibet, tum ex altero *D. Bonaventuræ* opusculo inferius posito, conjicere nobis facile fuit, præcipue cum inter edita S. Doctoris opera numeretur tom. VII. pag. 687.

Fol. 132. Cernere est divinæ legis præcepta, Domini *passionem*, fideique articulos arboris in morem, sive ad circuli formam descripta. Præsertim vero

Fol. 133. Christus Dominus Cruci affixus cum pluribus imagunculis exhibetur; & sequenti folio a morte excitatus discipulis vulnera ostendens.

Fol. 141. *Liber decretorum*, distinctus in tres partes.

Fol. 154. *Breviloquium pauperis in Scriptura, sive compendium Theologie Fratris* Bonaventure. Inter ejus opera tom. VI. pag. 5.

CODEX DCCCVI. *e.* II. 44.

Chartaceus, cui folia 215. sæculi XV. Sunt initio sermones quidam breviores, quorum duo vernacula lingua.

Postea habentur rubricæ celebrandi *Officii*, *& Missæ*, multaque circa Sacramentorum administrationem, & cetera Presbyterorum munia, quibus demandata est Christiani populi cura.

In fine.

Hoc opus quod curatorum manipulus intitulatur in quo multa notatu digna auctoritateque fundata de Ecclesie Sacramentis ponuntur ad eruditionem minus prudentum religiosorum perfectum est scriptumque Avilliane per me presbyterum Joannem de Ambroxiis de eodem loco Avilliane pro usu meo & amicorum meorum & sub anno Domini 1489. *& die* 20. *mensis Julii finitus est.*

CO-

Digitized by Google

CODEX DCCCVII. *e.* III. 2.

Membranaceus, duplici columna, & vario exaratus charactere, habens folia 196. ſæculi XIV. plurima continet DIVI ANSELMI opuſcula, quibus fere ſemper poſt præfationem capitulorum elenchus ſubjicitur. Et quidem

Fol. 1. *Liber de concordia praeſcientiae & praedeſtinationis & gratiae Dei cum libero arbitrio*, in tres partes diſtinctus, ut in editione *Patris Gerberon* pag. 123.

Fol. 8. *Liber cur Deus homo*. In edit. pag. 74.

Fol. 20. *Epiſtola de incarnatione Verbi*, ſeu, ut habemus in edit. pag. 41. *Liber de fide Trinitatis & Incarnatione Verbi contra blaſphemias Ruzelini*, ſive *Roſcelini*.

Fol. 24. *pag.* 2. *Meditationum & orationum prologus*, poſt quem octo dumtaxat orationes ex multis, quæ ſunt in editione.

Fol. 31. *Monologion*. In edit. pagina 1.

Fol. 41. *Proſologion* In edit. pag. 29.

Fol. 47. *Liber de veritate*. In edit. pag. 109.

Fol. 50. *Tractatus de libertate arbitrii*, ſeu *dialogus de libero arbitrio*, ut eſt in edit. pag. 117.

Fol. 57. *Tractatus de caſu diaboli*. In edit. pag. 62.

Fol. 60. *Liber de meditatione humanae redemptionis*, nimirum meditatio XI. in citata editione pag. 221.

Fol. 61. *Liber de conceptu Virginali & de Originali peccato*. In edit. pag. 97.

Fol. 66. *Liber de proceſſione Spiritus Sancti*, ſine ulla capitum diſtinctione. In edit. pag. 49.

Fol. 72. *Epiſtola de Sacrificio Azimi & fermentati*, quæ incipit: *ſcienti breviter loquor &c.* In edit. ſub titulo de *tribus Waleranni quæſtionibus* pag. 135. Hanc ſequitur reſponſio ad ejuſdem Waleranni querelas, cujus initium: *Gaudeo & gratias ago Deo quia ſicut ſcribitis &c.* In edit. pag. 139.

Fol. 76. *Liber de ſimilitudinibus*, cujus tamen autor creditur multo probabilius EDMERUS, unde inter hujus opera rejecerunt *PP. Benedictini* ad calcem *Operum Anſelmi pag.* 153.

Fol. 98. *Liber de fide & legibus*, ſine autoris nomine, cujus initium: *In ordine ſapientialium divinarumque ſcientiarum iſtam divini cultus verequè religionis ſcientiam de qua prout de ſenſu accepimus ſcribere intendimus &c.*

Fol. 156. JOHANNIS DAMASCENI *opus de fide orthodoxa*, ex interpretatione rudi prorſus, ac barbara, ut recte obſervavit Fr. Lequien, *Burgundionis Judicis Civis Piſani*, qui ſæculo XII. florebat ſub Eugenio III. Pontifice maximo.

CODEX DCCCVIII. *e.* III. 3.

Membranaceus, conſtans foliis 320. ſæculi XIV. eleganti, nitidoque charactere, & duplici columna exaratus, quatuor amplectitur *Sententiarum* libros cum adnotationibus in margine alterius manus, & quidem recentioris. Singulis libris præmittitur capitulorum elenchus.

CODEX DCCCIX. *e.* III. 4.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, habens folia 218. ſæculi XIV. eoſdem continet *Sententiarum* libros, verum abſque ullis adnotationibus.

CODEX DCCCX. *e.* III. 5.

Membranaceus, duplici exaratus columna, conſtans foliis 97. ſæculi XIV. in quo

Summa quæſtionum ex libris I. & II. Sententiarum, autore *Fratre* PETRO DE AQUILA, ut ſcriptum eſt in fine primi libri. Vide Oudinum tom. III. pag. 802. ubi plura adnotat circa hanc quæſtionum Summam.

CO-

Digitized by Google

CODEX DCCCXI. *e.* III. 6.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, habens folia 133. circa finem ſæculi XIV. nitidi characteris, in quo SANCTI THOMÆ *commentaria in librum primum Sententiarum*.

CODEX DCCCXII. *e.* III. 7.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 167. ſæculi XIV. in quo

DIVI BONAVENTURÆ *commentaria in librum III. Sententiarum*.

CODEX DCCCXIII. *e.* III. 10.

Chartaceus, ſæculi XVI. foliis conſtat 223. Sunt ibi commentaria in libros *Sententiarum*, ignoti autoris, parvi ceteroquin momenti.

CODEX DCCCXIV. *e.* III. 11.

Membranaceus, duplici exaratus columna, habens folia 92. ſæculi XIV. cui titulus,

Summa abbreviata Magiſtri GUILLELMI ALTISSIODORENSIS, prætermiſſo illius nomine, qui eam in compendium redegit: ſed utique eſt HERBERTUS ANTISSIODORENSIS, quem *Magiſtri Guilielmi ſummam* redegiſſe in compendium, docemur a Fabricio Tom. III. *Bibliothecæ Mediæ, & Infimæ Latinitatis pag.* 696.

CODEX DCCCXV. *e.* III. 12.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, conſtans foliis 116. ſæculi XIV. commentarios exhibet D. BONAVENTURÆ in III. librum *Sententiarum*, aſt contractos, & in compendium redactos.

CODEX DCCCXVI. *e.* III. 13.

Membranaceus, duplici exaratus columna, conſtans foliis 233. ſæculi XIV. ubi

Summa Magiſtri GOFRIDI DE TRANO *Nicolai IV. Papæ Subdiaconi & Capellani ſuper rubricas Decretalium*.

CODEX DCCCXVII. *e.* III. 16.

Membranaceus, cui folia 63. ſæculi XIV. Eſt collectio ſententiarum ex Sacris Scripturis, & Sanctis Patribus ſub certis titulis, E. G. de *juſtitia*, de *ſapientia*, & *prudentia*, de *divitiis* & *paupertate &c.*

CODEX DCCCXVIII. *e.* III. 17.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 344. ſæculi XIV. in quo

Summa Canonico-Moralis, in quinque partes diſtributa, in quarum prima de *criminibus Eccleſiaſticis*, in ſecunda de *homicidiis*, & de *fictione juris*, in tertia de *ordinibus ſacris*, in quarta de *poenitentia*, in quinta de *matrimonio*.

Autor, cujus ceteroquin latet nomen, ex *Ordine Fratrum Minorum* ſe prodit in prologo, multaque ex præceptoribus ſuis *Fratre Alexandro, & Johanne de Rupella* ſe accepiſſe profitetur.

CODEX DCCCXIX. *e.* III. 19.

Membranaceus, duplici exaratus columna, cui folia 276. ſæculi XV. hunc præfefert titulum: *Queſtiones quodlibetales Reverendiſſimi Patris Magiſtri Fratris* CONRADI MONDONII ASTENSIS *Ordinis Predicatorum philoſophi eximii Theologi excellentiſſimi ac ejuſdem Ordinis Generalis trigeſimi qui obiit anno* 1474. *die* 27. *Auguſti*.

Legere eſt Roſſottum *pag.* 172. *Syllabi Scriptorum Pedemon.* & Jacobum Eccardum Tom. I. *Biblioth. Scriptorum Ord. Præd.* pag. 821. qui multa de *Magiſtro*

Digitized by Google

giſtro Fratre Mondonio ſcripſerunt, ac nonnulla monent ſervari ejus opera MSS. Aſtæ apud Fratres Ordinis Prædicatorum.

CODEX DCCCXX. *e.* III. 20.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, habens folia 131. ſæculi XV. in quo

Commentaria FRANCISCI MAYRONIS in librum primum *Sententiarum*.

CODEX DCCCXXI. *e.* III. 21.

Membranaceus, duplici exaratus columna, conſtans foliis 143. circa finem ſæculi XIV. continet primo nonnulla de *gradibus affinitatis*, pene obliterata: deinde *compendium donorum* PETRI FALLACA, ſive FERRACIA, FORACHA, aut FARRACHA, ut ab aliquibus dicitur, *Ordinis Prædicatorum*. Eccardus in *Bibliotheca Scriptor. Ord. Prædicat.* Tom. 1. pag. 559. vocat hoc opus, *ſummam ad omnes materias copioſam*.

CODEX DCCCXXII. *e.* III. 22.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, habens folia 184. ſæculi XIV. in quo

Summa de vitiis capitalibus & de peccato lingue, abſque autoris nomine, ampliſſima præmiſſa capitum tabula. Incipit: *Dicturi de ſingulis vitiis, cum opportunitas ſe offert, incipiamus a vitio gule &c.*

CODEX DCCCXXIII. *e.* III. 24.

Chartaceus, conſtans foliis 86. ſæculi XV. cui titulus, *liber de documentis antiquorum editus a Fratre* BARTHOLOMEO DE PISIS.

CODEX DCCCXXIV. *e.* III. 26.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 138. ſæculi XV. in quo

Pars II.

Fol. 1. *Libellus de preſcientia Dei & predeſtinatione divina*, ad cujus calcem hæc leguntur:

Laus tibi ſit Chriſte quoniam liber explicit iſte. Explicit libellus ad diſputandum contra curioſos de preſcientia Dei & predeſtinatione divina & aliis multis argumentis que infra ſcriptis continentur anno Domini 1288. *Frater Germanus de Caſale fecit fieri hunc librum. Orate pro eo. Et Margaritus natione Romanus ſcripſit. Deo gratias amen.*

Fol. 21. *Prologus in libellum de exemplis naturalibus contra curioſos*, cujus initium: *Cum ſolus in cella ſederem, & aliquid de catholica fide mente revolverem, cogitare tacitus cepi mecum quam eſſet abſurdum &c.*

In fine.

Incipit tabula ſuper precedens opuſculum quod quidem dividitur in tres libros. In primo quorum agitur de articulis fidei in ſecundo de Dominicis Sacramentis in tertio vero de virtutibus ſui dominis nec non & vitiis illis contrariis.

Autoris nomen nullibi apparet.

Fol. 93. Tractatus *Phyſico-moralis de viſione*, idem qui in Codice *e.* IV. 28. fol. 156.

CODEX DCCCXXV. *e.* III. 27.

Membranaceus, diverſi characteris, ſæculi XV. foliis conſtat 74. Habentur in eo

Fol. 1. Tractatus quidam aſcetico-moralis ſine autoris nomine. Incipit: *Cariſſima mihi in Chriſto ſoror diu eſt quod rogaſti ut verba ſancte ammonicionis ſcriberem tibi. Sed cum ſcriptum ſit, ſuperbia eſt quemquam velle docere meliorem ſe &c.*

Fol. 63. Libellus, & quidem duplici columna, ac nitidiſſimo exaratus charactere, cui titulus: *Muſica* JOHANNIS DE MIRRIS, ſeu DE MURIS, ut habet Fabricius tom. IV. *Bibliot. Med. & Infim. Lat.* pag. 309. ubi notat ſcriptum hoc reperiri itidem MS. in Codice Regio CCCLXXXIV. teſte cangio. Incipit

Digitized by Google

autem his verbis : *Quoniam muſica eſt de ſono relato ad numeros ideo neceſſaria ſunt muſico & duo ſcilicet numerum & ſonum conſiderare &c.*

Barbati hominis effigies initio cernitur, qui duplici malleo tabulam ante ſe poſitam percutit ad primam fortaſſis muſices originem indicandam.

CODEX DCCCXXVI. *e.* III. 29.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, habens folia 116. ſæculi XV. ineuntis, in quo *quæſtiones in II. Sententiarum librum*, præmiſſo capitulorum Elencho, ſine autoris nomine.

In fine.

Arnulphus presbyter ſit benedictus.

CODEX DCCCXXVII. *e.* III. 30.

Membranaceus, duplici exaratus columna, conſtans foliis 165. ſæculi XIV. in quo *Summa vitiorum* cum indice ad calcem, eadem, quæ in Codice *e.* III. 22.

CODEX DCCCXXVIII. *e.* III 31.

Chartaceus, habens folia 218. ſæculi XV. in quo *farrago tractationum moralium*, cum earum tabula, ad cujus calcem hæc leguntur:

Adjuvante cauſarum cauſa explicit tabula utilis hujus operis ordinata per Fratrem Ludovicum de Cherio Predicatorem ſui conventus Ordinis Minorum completa in vigilia Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti jejuno ſtomaco 1448.

CODEX DCCCXXIX. *e.* III. 32.

Membranaceus, conſtans foliis 126. ſæculi XIV. Prolixus habetur ſermo *de dignitate Clericorum*, prætermiſſo autoris nomine. Initium fit his verbis:

Incipit prologus in Reſponſione de dignitate Clericorum.

Si in premiſſis reſponſionibus Deo indigui adjutore in hac que ſequitur video illum multo amplius neceſſarium mihi fore. ad quam aggrediendam non mediocriter ſum concuſſus &c.

In fronte autem libri hæc ſcripta leguntur: *Autor hujus operis ſcripſit hoc anno Domini* 1098.

CODEX DCCCXXX. *e.* III. 33.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, cui folia 132. ſæculi XV. Eſt *Summa de articulis fidei*, mutila fine, & ſine autoris nomine. Incipit a duobus primi pſalmi verſiculis, poſt quos ita legimus. *Quis enim per naturam non appetit eſſe beatus cum beatitudo ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Sed nemo eſt qui valeat eſſe beatus niſi ultimi finis obtentu &c.*

CODEX DCCCXXXI. *e.* III. 34.

Membranaceus, duplici exaratus columna, conſtans foliis 351. ſæculi XIV. tractatum continet *de octo vitiis capitalibus*, eumdem prorſus, qui in Codice *e.* III. 22.

In fine hæc habentur:

Explicit ſumma de vitiis.

Ex Domino operis ſit laus & vita perennis.

Explicit hic ſcriptum qui ſcripſit benedictus.

Hic fuit. . . . . .

Quæ ſequebantur, cum autoris fortaſſis nomine arte deleta fuerunt.

CODEX DCCCXXXII. *e.* III. 35.

Partim Membranaceus, partim Chartaceus, habens folia 32. ſæculi XV. in quo *Liber de prerogativa ſalvatoris ad Cartuſienſes*, cujus initium: *Religioſiſſimis venerantiſſimiſque in Chriſto Patribus Fratribus univerſis Sacri Cartuſie Ordinis Frater Raphael de Pornaxio Sacre pagine humilis profeſſor Ordinis Pred. cum humilitate ſe totum.*

Quoſdam indiſcreta quadam humilitate tacentes redarguit Dominus per Prophetam ſuum

Digitized by Google

ſuum Ezechielem dicens. Non aſcendiſtis ex adverſo, nec poſuiſtis vos murum pro domo Iſrael &c.

Fuit Frater RAPHAEL DE PORNAXIO Inquiſitor Generalis in tota Januenſi ditione, clariſſimuſque tempore Concilii Baſileenſis. Ejus opera varia recenſet Eccardus in *Bibliotheca Script. Ordinis Præd.* tom. I. pag. 831. ex Codice MS. membranaceo *Bibliothecæ Pariſienſis Sancti Honorati*; & inter cetera numerat etiam librum de *prærogativa Chriſti*. Et quidem initium, & finis, quæ Eccardus excripſit ex citato MS. Codice *S. Honorati*, cum noſtro apprime conſentiunt.

Autoris ſcopus eſt in eo opere *Cartuſienſium Ordinem*, ſuumque vindicare, atque tueri circa quæſtionem de *Conceptione Beatæ Mariæ Virginis*.

CODEX DCCCXXXIII. *e.* III. 37.

Chartaceus, habens folia 245. ſæculi XV. in quo *Tractatus magiſtri* ALEXANDRI DE ALEXANDRIA *de uſuris*.

Meminit hujus Scriptoris Dupinius tom. XI. pag. 89. & 178. inter autores ſæculi XIV. Perperam autem ait, omnia ejus opera periiſſe.

Fol. 50. *Tractatus de reſtitutione Fratris* FRANCISCI DE PLATEA *Ordinis Minorum Cremonenſis*, qui medio ferme ſæculo XV. florebat, editus *Venetiis* anno 1494.

Fol. 151. *Libellus de inſtructione Confeſſorum Reverendi Fratris* ANTONINI.

CODEX DCCCXXXIV. *e.* IV. 3.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 144. ſæculi XV. in quo

Summa caſuum conſcientie BARTHOLOMEI DE CONCORDIO.

CODEX DCCCXXXV. *e.* IV. 4.

Chartaceus, paginis conſtans 574. ſæculi XV. eandem complectitur *ſummam caſuum conſcientiæ* BARTHOLOMÆI DE CONCORDIO.

CODEX DCCCXXXVI. *e.* IV. 12.

Membranaceus, duplici exaratus columna, cui folia 376. ſæculi XIV. Eſt *Summa Magiſtri* MONALDI *de Ordine Fratrum Minorum* in alphabeti ordinem diſpoſita: quam Wadingus falſo diſtinxit a *ſumma Juris Canonici*, typis jamdiu vulgata, ejuſdem ſcriptoris; ut notavit Oudinus tom. III. pag. 873. qui id tantum diſcriminis inter editam, & manu ſcriptam intereſſe ait, quod edita caret prologo. Fuit autem *Magiſter Monaldus* natione Dalmata, & floruit ſæculo XIV.

CODEX DCCCXXXVII. *e.* IV. 29.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, habens folia 89. ſæculi XIV. cui titulus *Manipulus florum*, & quidem ſecundum alphabeti ordinem compoſitus.

In fine hæc leguntur:

Expliciunt flores manipuli florum cujus manipuli collector ſeu ordinator fuit Magiſter Thomas de Tbernia Ordinis Predicatorum, qui *Sorbonicis Doctoribus* adnumeratus claruit ſæculo XIV.

Collectum fuiſſe hunc *Manipulum* ex XXXVI. autoribus, docet Eccardus Tom. I. *Bibliothecæ Scriptorum Ordinis Prædicatorum pag.* 744. ex titulo cujuſdam MS. codicis, quem ibidem refert: ubi etiam alios ejuſdem operis ex variis MSS. codicibus profert titulos.

CODEX DCCCXXXVIII. *e.* IV. 33.

Membranaceus, eleganti charactere, & duplici columna, literiſque præterea initialibus variegatis ſcriptus, ſæculi XIV. conſtat foliis 250. Habetur ibi

Digitized by Google

Summa Magistri RAYMUNDI *de casibus cum apparatu* RODONENSIS. Adjecta nimirum est in margine *Glossa* concinnata a *Guilielmo Rhedonensi Ordinis Prædicatorum*, quam perperam nonnulli *Johanni de Friburgo* tribuerunt. Legere est Eccardum, qui multa scribit de *Guilielmo Rhedonensi* Tom. I. laudatæ Bibliothecæ *pag.* 130.

CODEX DCCCXXXIX. *e.* IV. 38.

Partim chartaceus, partim membranaceus, duplici exaratus columna, habens folia 475. sæculi XV. *Ethica* continet CATONIS commentariis amplissimis illustrata a *Philippo de Pergameno Ordinis Sancti Benedicti*.

Luculentissimus præmittitur index, quem merito tractatum alterum appellare possis, cum præcipua capita Alphabeti ordine breviter contracta legantur, singulis distincte notatis locis, ubi ea fusius pertractantur.

Opus in duas partes est distributum. Priore continentur sententiæ soluta oratione scriptæ, ad cujus calcem hæc leguntur:

Scripsit Matheus Copni cognomine dictus
Hanc primam partem. propterea det sibi partem
Christus perpetuo de Celesti Paradiso.

In posteriori autem sunt sententiæ metrica oratione compositæ, seu disticha: & in fine hæc adjiciuntur:

Nomen Scriptoris Matheus plenus amoris.

CODEX DCCCXL. *e.* IV. 39.

Membranaceus, constans foliis 122. sæculo VI. sive, ut opinatus est Clarissimus Marchio Maffejus, sæculo V. scriptus. Est integra FIRMIANI LACTANTII *divinarum institutionum Epitome*, unica, quæ superstes ad nos pervenerit, & quam etiam Hieronymus sua ætate in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum* ἀκέφαλον, idest *capite*, sive *principio mutilam* dixit.

Hanc Christophorus Matthæus Pfaffius anno 1712. ex hoc eodem Regio MS. codice *Parisiis* in lucem protulit, curante celeberrimo Nicolao Nourrio, & quidem in capita LXXII. distinctam, quorum tamen in Codice nullum apparet vestigium. Pfaffium sequuti sunt Johannes Davisius, & Johannes Georgius Walchius, aliique: eodem scilicet fere ordine eam typis consignari curarunt, primus quidem *Cantabrigiæ* anno 1718. alter vero *Lipsiæ* an. 1735. atque eorum unusquisque mancum dixere, & imperfectum Regium Codicem sub finem capitis XIV. quasi quinque capita in eo desiderentur; unde a XIV. capite ad XX. transilierunt; quæ duobus ne, an tribus foliis continerentur, nec illi, nec nos definire possumus. Quum autem Pfaffius, vir ceteroquin doctissimus, & diligentissimus, festinanter, ut credere par est, Codicem nostrum exscripserit, dum Augustæ Taurinorum versaretur, non titulo insignitus *Præfecti Regiæ Bibliothecæ*, ut ait Oudinus, sed *Serenissimi Principis Wirtembergensis* præceptor; hinc factum est, ut quædam omiserit, alia prave ob festinationem scripta, ex ingenio suo postea immutaverit, & correxerit, & nonnulla aliter, quam erant in Codice, exhibuerit, ut ex accurata editionis collatione cum Regio Codice deprehendimus, quod notavit etiam Davisius in suis animadversionibus, quibus eandem Pfaffii editionem illustravit, & correxit. Quæ omnia, ubi antiquissimi characteris specimen præbuerimus, nostris etiam Lectoribus manifesta fient.

Quan-

Digitized by Google

QUAMQUAM DIVINARUM INSTITUTIONUM LIBRI QUOS IAM PRIDEM AD INLUSTRANDAM VERITATEM

Quamquam divinarum Inſtitutionum libri Quos jam pridem ad Inluſtrandam veritatem

Hæc igitur ſunt, & quidem præcipua, quæ nos conferentes Pfaffii editionem cum Regio Codice obſervavimus, & quæ ante nos Johannes Daviſius perperam a Pfaffio aut intruſa, aut immutata reprehendit.

In Cod.
Quo poteſt totum quam qui de toto minimum.
In edit.
Qui poteſt totum non qui de toto minimum.

Codicis lectionem, inquit Daviſius capite II. pag. 6. num. 1. male mutavit Pfaffius: ſubauditur enim vocula *potius*, ut ſenſus idem omnino ſit, quem extulit *Lactantius* Div. Inſt. lib. 1. cap. III. *Virtutis autem perfecta natura in eo potius eſt, in quo totum eſt, quam in eo, in quo pars exigua de toto eſt.*

In Cod. linea 131.
Et ab eo ſolo regi mundum adfirmaverint.
In edit.
Hæc omnino deſiderantur verba, æque ac in Daviſio, & Walchio, qui Pfaffium ſequuti ſunt.

In Cod. lin. 274.
Exigeret aetatem.
In edit.
Aetatem ageret.

Non minus latina loquutio eſt *exigere aetatem*, quam *agere aetatem*. Non igitur neceſſum erat, Pfaffium codicis lectionem emendare.

In Cod.
Quartam Cimmeriam.
In edit.
Quartam Cumæam.

Notat Daviſius cap. V. pag. 11. num. 3. debere legi *Cimmeriam*, quum paulo poſt *Cumanæ*, ſive *Cumææ* Sybillæ mentio fiat.

In Cod.
Cumanae ſolius.
In edit.
Cumææ ſolius.

Non erat, ſcribit Daviſius citato cap. V. num. 4. cur a MS. recederet Pfaffius; a Cumis enim tam *Cumæus*, quam *Cumanus* recte dicitur.

In Cod.
Ipſi ſexus.
In edit.
Ipſe ſexus.

Male edidit Pfaffius: nam illa vox, quum de maribus, & feminis dicitur, efferri poteſt numero plurium. Ita Daviſius cap. VI. num. 3.

In Cod. lin. 439.
Et Picum patrem tamquam Deum coli voluit.
In edit.
Deſunt hæc verba.
In Cod.
Imbecilli ac minoris.
In edit.
Imbecillis ac minoris.

Non recte emendavit Pfaffius: imbecil-

Digitized by Google

becillus enim non minus, ac imbecillis Latine dicitur: ſic Daviſius cap. X. num. 4. pag. 21.

In Cod.

In imbrem ſe aureum vertiſſe dixerunt.

In edit.

In imbrem ſe aureum vertiſſe Jovem dixerunt.

Nulla neceſſitate ductus, inquit Daviſius cap. XI. num. 1. pag. 22. *Jovem* intruſit Pfaffius, quum ea vox intelligi poſſet: ſiquidem de Jove in præcedentibus ſermo habetur.

In Cod.

Deos familiis.

In edit.

Et Deos familiis.

Particulam copulantem abſque cauſſa præpoſuiſſe Pfaffium, obſervat Daviſius cap. XXII. num. 7. pag. 31.

In Cod.

Latiaris quoque Jupiter

In edit.

Latialis Jupiter

Vocem *Latiaris* probatiſſimæ eſſe notæ, æque ac *Latialis*, notat Daviſius cap. XXIII. num. 6. pag. 33.

In Cod.

Etiam ante Saturno.

In edit.

Etiam ante Saturnum.

Reſtituendam, clamat Daviſius cap. XXIII. num. I. pag. 34. Codicis lectionem. Lactantius enim non vult ante Saturni tempora, ſed Saturno, antequam Latiaris Jupiter humano ſanguine placaretur, homines in Tiberim dejectos fuiſſe.

In Cod.

Sed victi a Siculis.

In edit.

Sed & victi a Siculis.

Non erat, cur Pfaffius adderet particulam *&*, quam reſpuit omnino & ſenſus, & res ipſa, prout narratur ab Euſebio de *laudibus Conſtantini* cap. XIII. quod animadvertit etiam Daviſius cap. XXX. pag. 35. num. 3.

In Cod.

Corrumperet .... ſed viverent

In edit.

Eos corrumperet .... & viverent

Res ipſa flagitat, ne recedamus a Codicis lectione, ut legenti integram periodum patebit, & docet in adnotatione V. cap. XXVII. pag. 49. laudatus Johannes Daviſius.

In Cod.

Ad perdendos homines converterunt

In edit.

Ad perdendos homines ſe converterunt

Pronomen reciprocum de ſuo intruſit Pfaffius, & quidem male: quis enim ignorat, in hujuſmodi loquutionibus crebro pronomina ſubaudiri? Ita Daviſius capite XXVIII. numero 1. pag. 10.

In Cod.

Necyomantias.

In edit.

Necromantias.

Nonne utrumque vocabulum probatiſſimum eſt? Cur igitur Pfaffius unum pro altero repoſuit? Lege Daviſium cap. XXVIII. pag. 53. num. 4.

In Cod.

Ipſi ſortes & oracula

In edit.

Ipſi ſortes & oracula invenerunt.

Fruſtra Pfaffium addidiſſe *invenerunt*, jure merito reprehendit Daviſius eodem capite, eademque pag. num. 5. cum ex antecedentibus repetendum ſit *repererunt*.

In Cod.

Feciſſe dicatur

In edit.

Feciſſe dicatur Deus

Addit Pfaffius teſtimonio *Agellii* vocem *Deus*, quam nec MS. Codex, nec ipſe *Agellius* agnoſcit. Daviſius cap. XXIX. pag. 56. num. 3.

In Cod.

Nullum adeo

In edit.

Nullum a Deo

Eodem prorſus modo legitur apud *Agellium*, quo in MS. Codice. Quid igitur Pfaffius immutavit nullo prorſus ſenſu *adeo* in *a Deo*? Eſt animadverſio prima Daviſii pag. 58. ejuſdem capitis.

In

Digitized by Google

In Cod.
Non ſunt in hominis poteſtatem.
In edit.
Non ſunt in hominis poteſtate.
Tamquam minus Latinam rejecit Codicis lectionem Pfaffius. Sed eum legere oportuit *Agellium*, qui ſimiles loquendi rationes non paucas profert libro I. *Noctium Atticarum* cap. VII. Sic Daviſius cap. XXXIII. pag. 75. num. 7.
In Cod.
Si habuerit
In edit.
Et ſi habuerit.
Delenda profecto eſt ab editione particula conjunctionis *&*, utpote non neceſſaria. Hoc idem animadvertit Daviſius cap. XXXIV. pag. 81. num. 7.
In Cod.
Non ſatius fuerat
In edit.
Non ne ſatius fuerat
Duo peccaſſe Pfaffium, notat idem Daviſius cap. XXXVI. pag. 87. num. 4. Primum abſque cauſſa ſontica edidiſſe *nonne ſatius* pro *non ſatius*, ut abunde docebit *Lexicon Plautinum* Philippi Parei. Alterum male diſtinxiſſe comma: *non ſatius fuerat eas cum ſuis corporibus extingui quam ſic ad aliena damnari; ſatius omnino non eſſe quam poſt hominis formam vel ſuem vel canem vivere?* Eſt enim interrogatio, & reſponſio; ac propterea hæc ſic interpungenda ſunt: *non ſatius fuerat . . . . . ad aliena damnari? Satius omnino non eſſe . . . . . quam . . . . . canem vivere* &c.
In Cod.
Necem ſibi intulerunt Zeno . . . Cato, nec ſcierunt
In edit.
Necem ſibi intulerunt. Zeno . . . Cato neſcierunt
Male interpunxit Pfaffius: adeoque optimam Codicis lectionem maculavit. Sic eum reprehendit Daviſius cap. XXXIX. pag. 98. num. 2.
In Cod.
Non poſſet facere
In edit.
Non potuiſſet facere
Quum lectio Codicis ſatis commoda ſit, cur Pfaffius eam immutavit? Daviſius cap. L. pag. 142. num. 2.
In Cod.
Non utique infamis ac turpis
In edit.
Non utique infamis ac turpis eſſe debuiſſet.
Hæc cauda, ait Daviſius cap. LI. pag. 143. num. 3. *renitente MS. adſui non debuit; nam ἀπὸ κοινοῦ repetendum* ſuſcipienda fuerat.
In Cod.
Nec ullis poſt arma depoſita cruciatus.
In edit.
Nec ullus poſt arma depoſita cruciatus.
Ex conjectura mutavit Pfaffius *ullis* in *ullus*. Sed non animadvertit, ſubintelligi *hoſtibus*, ſcilicet *nec aliquibus hoſtium poſt arma depoſita cruciatus, quamvis omnia pati meruerint*. Daviſius cap. LII. pag. 148. num. 1.
In Cod.
Explicit liber de Opificio Dei. Incipit epitome.
In edit.
Hæc deſiderantur.
Et hæc de *Pfaffii* editione dicta ſufficiant.
Nunc de animadverſionibus, quas in hunc eundem Codicem fecit vir omnigenæ eruditionis copia celebratiſſimus *Marchio Maffejus* in epiſtola tom. VI. *Diarii Italici*, pag. 468. quam ſcripſit ad Cl. Apoſtolum Zenum de quibuſdam MSS. Codicibus *Regiæ Taurinenſis Bibliothecæ*. Primum, ut diximus, exiſtimat Codicem ſcriptum fuiſſe ſæculo V. Poſtea multa differit de ſcriptionis genere, & modo. Specimen deinde ſatis prolixum exhibet. Tum rectiſſime affirmat, hanc ineditam *epitomes Lactantii* partem iis verbis concludi: *non quia vituperandam eſſe juſtitiam ſentiebat. Sed ut illos defenſores ejus oſtenderet nihil certi nihil firmi de juſtitia diſputare*. Quæ enim ſequuntur, capitibus decem comprehenſa in editionibus Pfaffii, Walchii, & Daviſii,

Digitized by Google

ſii, a cap. LVI. uſque ad finem, pertinent ad jam editam *Lactantii Epitomen*. Unde jure merito idem vir doctiſſimus librarium reprehendit, quod dictæ Epitomes concluſioni ſubjecerit hæc verba: *Explicit de Opificio Dei. Incipit Epitome*. Primo enim non incipit *Epitome*, ſed proſequitur, ſive ea pars Epitomes incipit, quam jamdiu typis vulgatam habemus: *Nam ſi juſtitia eſt veri Dei cultus &c.* Secundo non *explicit de Opificio Dei*: ſed abſoluta eſt Epitome earum *Inſtitutionum*, quæ prioribus quatuor libris continentur, ſcil. *de falſa Religione, de origine erroris, de falſa ſapientia, & de vera ſapientia*. Eandem librarii ignorantiam notat, & ſugillat etiam in iis verbis, quibus omnem Lactantii *Epitomen* concluſit: *Firmiani Lactantii de fine ſeculi explicit*: quod ſcil. argumentum Epitomes exiſtimaverit eſſe ea, de quibus agit ultimo loco in eadem *Lactantius*.

His ita dictis de Lactantii Epitome, cetera proſequamur opuſcula, quæ in præſtantiſſimo Regio Codice continentur.

Fol. itaque 61. *pag.* 2. Sequitur liber, cui titulus: *Epitome de Divina Providentia*. Perperam inſcribi etiam hanc partem Codicis *Epitomen de Divina Providentia*, obſervat Cl. Maffejus. Eſt enim monumentum originis hæreſis Manichæorum, unica fere pagella comprehenſum, ut clariſſime patet ex ejus initio: *Scitianus quidam fuit ex genere Sarracenorum a quo hereſis Manicheorum orta eſt. qui adverſus veram rectamque fidem quatuor libros conſcribſit quorum unum vocavit myſterium ſecundum capitulorum tertium Evangelium quartum vero librum Theſaurum appellavit &c.*

Fol. autem 62. *Incipit Origo humani generis*. Eſt ſcilicet brevis, & quaſi nullius momenti, ut judicavit etiam Cl. Maffejus, annorum Chronologica enumeratio ab Adam uſque ad Chriſti Servatoris Noſtri Nativitatem. Incipit autem his verbis: *Unde homo ſi natus eſt habet genitorem. Si factus eſt habet auctorem. Dei Omnipotentis Sapientia limum terre ſumens hominem facere cogitavit &c.*

Fol. deinde 71. *pag.* 2. Additur libellus Quinti Julii Hilariani, quem una cum *Lactantii* Epitome edidit Chriſtophorus Pfaffius, & quem perperam affirmaverat Guilielmus Cave omnino interiiſſe.

Titulus eſt hujuſmodi: *Incipit Expoſitum Quinti Julii Hilariani de ratione Paſchae & menſis*.

Initium autem: *In unum Fratres nonnulli ac Servi Dei de Divinis Scribturis ut aliqua tractaremus ſaepe convenimus ibique deſiderantibus eis de Paſchali circulo pauca interim locuti plenam me exhibiturum rationem promiſi &c.*

Finis vero: *Jam finem hic faciamus huic noſtro ſermoni conſummavimuſque hoc laborioſum opus in die iſto III. nonar. Martiarum poſt Conſulatu Arcadii quarto & Honorii III. Quapropter admonemus eos qui ante a nobis non emendata haec ſcribta accipere feſtinaverunt ut ſecundum iſtum ordinem emendatum opus habere conentur ideoque ed diem & Conſules quod non poſuimus primo nunc huic rationi infiximus ut ex hinc ſciat quis emendatum hoc eſſe opus.*

His verbis ſequentia minio picta ſubjiciuntur: *Quintus Julius Hilarianus explicuit emendavit die III. Non. Martiar. Caeſario & Attico Conſulibus*: ideſt anno *Domini* CCCLXXXXVII. ut numeravit Pfaffius in ſua diſſertatione in hanc eandem editionem *Operis Paſchalis* Julii Quinti Hilariani, & confirmat Oudinus Tomo I. columna 891.

Fol. 81. *pag.* 2. Sunt quædam Origenis homiliæ, quas ut legeret, perpenderetque, ſatis otii ſe non habuiſſe, teſtatur ſæpius laudatus Marchio Maffejus. Quatuor ſunt, & exſtant ſuo loco in editis *Origenis* Operibus, ut ea percurrentes animadvertimus. Hunc autem in Codice præſeferunt titulum: *Incipiunt Omeliæ Origenis Presb. n. IV. explanate de libro Exodi. id. de Cantico de amaritudine aquae Myrrae de Decalogo. de Conſtructione Tabernaculi. Deo gratias amen.*

Prima citato *fol.* incipit: *Multa quidem*

Digitized by Google

dem Cantica ferri leginus in Scribturis Divinis &c.

Altera *fol.*92. *Explicit de Cantico incipit de amaritudine aquæ myrrae & de manna. Poſt tranſitum maris rubri & magnifici ſecreta Myſterii poſt choros & tympana &c.*

Tertia *fol.* 102. *Explicit de amaritudine aquae & de manna. Incipit de Decalogo. Omnis qui didicit contemnere praeſens ſaeculum quod figuraliter Ægypticis appellatur &c.*

Quarta *fol.* 114. *explicit de Decalogo: Incipit de conſtructione Tabernaculi. Jam quidem & prius de Tabernaculo pro viribus dixeramus. Verum quoniam ſaepe in Exodi libro &c.*

Tandem *fol. ultimo. Eſt Sermo Auguſtini Epiſcopi de Emerito Donatiſtarum Epiſ.* Sed vix eſt initium, abraſis, ſive caſu deperditis poſtremis foliis.

CODEX DCCCXLI. *f.* I. 13.

Membranaceus, conſtans foliis 122. ſæculi XIV. ubi tractatus, qui dicitur VIA ſive DIETA SALUTIS. De hoc opuſculo V. Codicem *f.* I. 52. in 8.

CODEX DCCCXLII. *f.* I. 17.

Membranaceus, habens folia 100. ſæculi XV. in quo primum tractatus *Aſcetico-Moralis* de *Symbolo fidei*, abſque autoris nomine; inſcriptus SPECULUM CHRISTIANI, ut eſt in fine. Capitula literis initialibus aureis ornantur.

Fol. 33. *Deſcriptio* CORPORIS CHRISTI, cujus initium: *Legitur in annalibus Romanorum quod D. noſter Jeſus Chriſtus fuit ſtature procere mediocris &c.*

Fol. eodem. *Deſcriptio* B. MARIE VIRGINIS; cujus initium: *Fuit Beata Maria ſtature medie &c.*

Fol. eodem *pag.* 2. *Proverbia Sapientum*, partim ſoluta, partim ligata oratione deſcripta:

Dulcia non novit. qui non guſtavit amara.
Qui non triſtatur. Sunt illi gaudia rara.
In veſtimentis non eſt agnicio gentis
Intima per mores cognoſcimus exteriores &c.

Fol. 35. PETRI DE ALLIACO *meditationes in Pſalmos Poenitentiales*, ſub hoc titulo: *Prefatio Reverendi Patris & divini magiſtri Petri de Allyaco Sacre pagine profeſſoris miſeratione Divina Cameracenſis Epiſcopi ſuper ſeptem Pſalmos Penitenciales.*

Fol. 53. LOTHARII *de miſeria humane conditionis.* Incipit: *Quare de vulva matris mee egreſſus ſum &c.*

Fol. 79. *Libellus* S. ANSELMI CANTUARIE ARCHIEPISCOPI *de quatuordecim Beatitudinibus.* Falſo adſcribitur S. ANSELMO.

Fol. 89. Carmen, cujus initium:
Cum revolvo puro corde
In qua mundus manet ſorde
Totus mundus ſordet &c.

Fol. 94. *Dialogus de Purgatorio inter quemdam Monaſterii Priorem & defuncti ſpiritum.* Incipit: *Quoniam ut dicit Auguſtinus in libro de fide ad Petrum miraculum eſt quidquid arduum inſolitum ſuper facultatem hominis admirantis & apparet ad fidei roborationem. quum quecumque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. ut per pacienciam & conſolacionem Scripturarum ſpem habeamus. hoc providens enim ſecretorum cognitor Jheſus Chriſtus noſter Salvator volens ſuam de vite future certitudine inter Chriſtianos firmius roborare anno ſue incarnationis MCCXXIII. ad majorem certitudinem de futuris obtinendam ſua ineffabili diſpoſitione tale evidens miraculum dignatus eſt oſtendere in Civitate Aleſti &c.*

Codex eſt elegantiſſimus, & literis initialibus auro ſplendentiſſimo obductis ornatus.

CODEX DCCCXLIII. *f.* I. 27.

Chartaceus, conſtans foliis 91. ſæculi XV. in quo NICOLAI DE FIESO *Ferrarienſis Sacerdotis*, (ut dicitur in

Digitized by Google

fine) *meditationes ſuper agone & obitu Chriſti Domini*.

Fol. 77. *Tractatus de Charitate*, qui in editis operibus RICHARDI a S. VICTORE *pag.* 367. inſcribitur *de quatuor gradibus violentæ charitatis*.

Fol. ultimo. Carmina quædam *Anonymi* Poetæ de morte.

Si letus ſpectare velis tibi forte propinquam
Mortem. mente legas plenum dulcedine carmen &c.

CODEX DCCCXLIV. *f.* I. 27.

Chartaceus, conſtans foliis 27. ſæculi XV. continet S. VINCENTII FERRERII *Sermones*, ad quorum calcem legimus.

Expliciunt Sermones S. Vincentii Ferrerii de Ordine Fratrum PP. Provincie Aragonie Conventus Valentie egregii magiſtri in Theologia. quos ſcripſit Frater Johannes de Luzbach Provincie Teutonie anno Domini 1457. *die* 22. *Auguſti.*

Duo in noſtro Codice ſunt Sermones *S. Vincentii* DIVO JACOBO APOSTOLO Sacri, qui in vulgatis a *Gaſpare Erhardo* non reperiuntur.

Primus *fol.* 27. incipit: *Dic ut ſedeant hii duo filii mei unus ad dexteram tuam & alter ad ſiniſtram tuam in Regno tuo. Matth.* 20. *Auguſtinus lib. IV. de Civitate Dei loquens de ſapientibus & viris illuſtribus &c.*

Alter vero *fol.* 21. *Unus ad dexteram tuam in Regno tuo. Verbum iſtud teſtatur Matth.* 20. *Feſtum & ſollepnitas hodierna eſt illa glorioſi Apoſtoli Jeſu Chriſti &c. Jacobi fratris Johannis Evangeliſte &c.*

CODEX DCCCXLV. *f.* I. 34.

Membranaceus, conſtans foliis 82. ſæculi XV. in quo *Meditationes de Chriſto Jeſu, & de Sma Virgine ejus Matre*.

Deſideratur autoris nomen. Incipit: *Inter omnia alia virtutum & laudum preconia legitur de Sanctiſſima Virgine Cecilia quod Evangelium Chriſti abſconditum ſemper gerebat in pectore &c.*

Olim codex pertinuit *ad Martinum Lefranc Praepoſitum Lauſanenſem*, ut in fine ejuſdem ſcriptum eſt.

CODEX DCCCXLVI. *f.* I. 35.

Chartaceus, cui folia 91. ſæculi XVI. Eſt in eo JOHANNIS BERNARDI GUALLANDI *Dialogus de vera felicitate*, adjecta ejuſdem hiſtoria rerum geſtarum anno primo belli *Francorum* adverſus *Franciſcum Sfortiam II. Mediolani Ducem*. Præmittitur Epiſtola ad EMMANUELEM PHILIBERTUM *Allobrogum Ducem optimum*, cujus initium: *Magna hercle, & admodum ardua inter nonnonnullos eruditiſſimos & graviſſimos Philoſophos controverſia verſatur de animi circa paſſiones immobilitate, quam una voce ἀπάθειαν dicunt. Rem certe (ni fallor) ſumme dubiam ſumme difficilem ac perplexam tractant &c.*

Dialogus autem, qui fingitur inter *Ruricolam*, & *Hoſpitium*, his verbis incipit: *Nihil hoc tempore (ita vivam) jocundius utilius etiam & gratius accidere mihi poterat, quam te hoſpitem Hoſpiti mi ſuaviſſime nanciſci. Licet enim procul (ut cernis) ab urbanis negociis ac tectis quiete haud ingrata agellum hunc ipſe colam cui ſtudio eo ardentius animum addicere libet &c.*

Julius Negri, qui in *Scriptoribus Florentinis pag.* 254. multa habet de *Johanne Bernardo Guallando* cive Florentino, omiſit hoc ejus opuſculum.

CODEX DCCCXLVII. *f.* I. 36.

Chartaceus, conſtans foliis 77. ſæculi XV. ubi *Tractatus de Conſcientia*. Exſtat inter opera S. BERNARDI tomo II. pag. 335. & a quodam *Ciſtercienſi Monacho* S. BERNARDI *ſyncrono* ſcriptus creditur.

In fine hæc leguntur.

Antoninus de Baſſis ſcripſit. Baptiſta Baldus emit (pretio trium ducatorum) explicit liber Beati Bernardi de Domo interiori.

Digitized by Google

teriori. finitus Papie die XXII. *Novembris anno* MCCCCXL.

Fol. 56. Aſcetica quædam.

CODEX DCCCXLVIII. *f.* I. 46.

Membranaceus, conſtans foliis 126. ſæculi XIII. elegantiſſimis exornatus literis initialibus, eſt LECTIONARIUM ECCLESIASTICUM.

CODEX DCCCXLIX. *f.* I. 47.

Chartaceus, habens folia 173. ſæculi XIV. eſt MISSALE ROMANUM. In fine adnumerantur bona, quæ ex audienda *Miſſa* proveniunt, quæque ex *D. Auguſtino* excerpta dicuntur.

CODEX DCCCL. *f.* I. 49.

Membranaceus, habens folia 98. ſæculi XIV. Summam complectitur MAGISTRI BELLETI *de Eccleſiaſticis Offitiis*.

CODEX DCCCLI. *f.* I. 53.

Membranaceus, conſtans foliis 215. ſæculi XIV. eſt BREVIARIUM *ſecundum Ordinem Ciſtercienſium*.

CODEX DCCCLII. *f.* I. 54.

Membranaceus, cui folia 267. pulcherrimis ubique pictus figuris, & ſcriptus *menſe Julio anni MCCCCIX.* ut dicitur *fol.* 213. continet *Horas* VIRGINIS MARIÆ *ſecundum uſum Pariſienſem*.

Adjecta ſunt officia plurimorum *Sanctorum*, quibus præmittitur KALENDARIUM *Lingua Gallica* ſcriptum, in quo præcipui dies feſti literis aureis adnotantur.

CODEX DCCCLIII. *f.* I. 70.

Membranaceus, conſtans foliis 104. ſæculi XIV. in quo primum *Anonymi Sermones de* ADVENTU DOMINI *& de Sanctis*. Primus incipit: *Ecce nomen Domini venit de longinquo &c.*

Fol. 68. *Narratio B.* JOHANNIS HEREMITE *ad Jeronimum*; cujus initium: *Erat quidam apud nos monachus in hac vicina heremo commanens &c.*

Fol. 70. Sententiæ, & dicta Aſcetica tumultuarie collecta.

CODEX DCCCLIV. *f.* I. 74.

Chartaceus, folia habens 120. ſæculi XV. in quo

Sermones Predicabiles de Adventu, aliiſque diebus feſtis, ſine autoris nomine. Initium primi eſt: *Confortamini, & viriliter agite in lege &c.* Præmittitur index *Sermonum*.

Fol. 118. Sermo in *Die primo Quadrageſime*, Itala lingua ab *Anonymo* concinnatus. Incipit: *Ecce nunc tempus &c. Devotiſſimi Padri & amantiſſimi fratelli in* X.° *Jeſu le parolle prepoſte avante alle voſtre reverentie e caritade ſono parole del glorioſo Meſer S. Paulo &c.*

CODEX DCCCLV. *f.* I. 77.

Membranaceus, habens folia 191. ſæculi XIV. in quo

Sermones MAGISTRI PETRI MANDUCATORIS *per totum anni circulum. Primi ad Sacerdotes. Secundi ad Clauſtrales. Alii de Adventu & de Sollepnitatibus Sanctorum*. Primus incipit: *Erudimini qui judicatis terram &c.*

Ab eodem ſermone incipit etiam Codex CCCLXXXI. *Bibliothecæ S. Germani de Pratis*. Hic tamen ordo in omnibus Codicibus MSS. qui ab Oudino tomo II. pag. 1526. referuntur, perpetuus non eſt.

Sermones autem clauduntur fere omnes illis verbis, quæ notavit Oudinus loco citato, nimirum: *Preſtante Jheſu Chriſto Domino Noſtro, Rege Noſtro, Judice noſtro, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſeculum per ignem*: vel his. *Quod ipſe preſtare dignetur Jheſus Chriſtus Dominus Noſter, Rex*

Digitized by Google

Noſter, Judex Noſter, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſeculum per ignem.

Fol. 108. Uſque ad finem ſunt pariter *Anonymi* Sermones. Primus eſt de *Adventu Domini*, cujus initium: *Cum apropinquaret Dominus Jeſus Ihieroſolimis &c. Erudit nos Kariſſimi ſapientia Dei Patris in acceſſu ſuo &c.*

Præmittuntur Præfatio, & *Sermonum* Index.

CODEX DCCCLVI. *f.* I. 78.

Chartaceus, conſtans foliis 63. ſæculi XV. in quo

Fratris Bartholomæi de Pisis *Ord. Minorum Quadrageſimale*, de quo V. Wadingum in *Scriptoribus Ordinis Minorum* pag. 48.

In fine.

Explicit Quadrageſimale magiſtri Bartolomei de Piſis Ordinis Minorum ſcriptum per me Fratrem Johannem de Burgo Sancti Sepulcri. MCCCCVI.

CODEX DCCCLVII. *f.* I. 79.

Membranaceus, conſtans foliis 224. ſæculi XIV. in quo

Sermones de Sanctis, omiſſo autoris nomine. Primus eſt de *S. Andrea Apoſtolo*, cujus initium: *Homo quem Rex honorare cupit &c.*

Præmittitur index alphabeti ordine digeſtus ſententiarum, & rerum memorabilium, quæ in *Sermonibus* continentur.

CODEX DCCCLVIII. *f.* I. 80.

Chartaceus, ſæculi XV. habet folia 106. Sunt pariter *Anonymi Sermones Quadrageſimales*. Primus eſt de *Feria IV. Cinerum contra Hypocritas*, cujus initium: *Nolite fieri ſicut ypocrite triſtes &c.*

CODEX DCCCLIX. *f.* I. 83.

Membranaceus, conſtans foliis 167. ſæculi XIV. ad finem; ubi varii continentur Sermones *de Adventu*, & *de diebus Dominicis*. Primus incipit: *Dicite filie Sion. Ecce Rex tuus venit &c.*

CODEX DCCCLX. *f.* I. 85.

Chartaceus, cui folia 266. ſæculi XV. Habentur in eo *Sermones* Fratris Bartholomæi de Pisis. Præmittitur index *Sermonum*, ad cujus calcem hæc leguntur.

Explicit Tabula ſuper Quadrageſimale Magiſtri Bartolomei de Piſis Ordinis Min. ordinata taliter qualiter per me Fratrem Ludovicum de Cherio Lectorem ejuſdem Conventus. Compilata 1443. *die* 19. *Julii.*

CODEX DCCCLXI. *f.* I. 86.

Membranaceus, conſtans foliis 262. ſæculi XIV. in quo

Sermones Dominicales per totum annum compilati per Fratrem Jacobum de Varagine *de Ordine Fratrum Predicatorum.*

CODEX DCCCLXII. *f.* I. 88.

Chartaceus, conſtans foliis 290. ſæculi XV. in quo primum *Conciones Quadrageſimales*, de quibus in Codice *f.* I. 80.

Fol. 105. *Conciones* itidem *Quadrageſimales*, ignoti autoris. Prima incipit: *Tu autem cum jejunas unge caput tuum &c.*

CODEX DCCCLXIII. *f.* II. 3.

Chartaceus, habens folia 195. ſæculi XV. in quo

Sermones Quadrageſimales & de Adventu, ſine autoris nomine. Primus mutilus eſt principio. Secundus autem incipit: *Morieris tu & non vives &c.*

CO-

Digitized by Google

CODEX DCCCLXIV. *f.* II. 4.

Membranaceus, cui folia 98. ſæculi XIV. Sunt *Sermones de Adventu*, prætermiſſo autoris nomine. Præmittitur prologus, cujus initium: *Vidi per ſopnium Solem & Lunam &c. Ego Fratres ſum nomine offitio predicator ex Ordine Minorum.*

CODEX DCCCLXV. *f.* II. 5.

Membranaceus, conſtans foliis 109. ſæculi XV. *Sermones* complectitur *de Agone*, & *Obitu*, ac de *Reſurrectione* CHRISTI DOMINI, nec non de aliis diebus feſtis, ſine autoris nomine. Initium fit his verbis: *O vos omnes qui tranſitis per viam &c. In verbis iſtis Dominus primo exprimit ſuum dolorem &c.*

CODEX DCCCLXVI. *f.* II. 8.

Partim Membranaceus, partim Chartaceus ſæculi XV. conſtat foliis 84. Habentur in eo *Anonymi Sermones de Adventu*. Primus incipit: *Erunt ſigna paupertatis &c.*

CODEX DCCCLXVII. *f.* II. 9.

Membranaceus, conſtans foliis 163. ſæculi XIV. ubi *Anonymi Sermones in Diebus Dominicis*, & aliis diebus feſtis. Initium primi eſt: *Propior eſt noſtra ſalus &c.* Sunt paſſim adnotationes in margine a recentiori Scriba appoſitæ.

CODEX DCCCLXVIII. *f.* II. 10.

Chartaceus, habens folia 182. ſæculi XV. *Sermones* continet *de Adventu*, nec non *Conciones de variis virtutibus*, abſque autoris nomine. Sermo primus, qui eſt *de Dominica IV. Adventus*, incipit: *Parate viam Domino &c. vetuſta inolevit conſuetudo &c.*

CODEX DCCCLXIX. *f.* II. 11.

Membranaceus, conſtans foliis 112. ſæculi XIV. in quo

Tractatus *aſcetico-moralis*, ſine autoris nomine. Præmittitur index rerum, quæ tractantur. Titulus capitis primi hujuſmodi eſt: *Quod peccata noſtra & xi. beneficia debemus ad memoriam reducere*. Incipit autem: *Adam ubi es. Criſti monentis vel querentis peccatorem ad penitentiam &c.*

Fol. 67. Incipiunt varii Sermones, incerti pariter autoris.

CODEX DCCCLXX. *f.* II. 14.

Chartaceus, habens folia 138. ſæculi XV. Eſt LEONARDI STATII DE FLORENTIA *Generalis Magiſtri totius Ordinis Prædicatorum*, ut ſcriptum eſt in fine, *Quadrageſimale*, cui titulus DE PETICIONIBUS. Editum putat Eccardus tomo I. pag. 775. ſub nomine LEONARDI DE UTINO anno 1518. & plures ejus MSS. Codices recenſet.

CODEX DCCCLXXI. *f.* II. 15.

Chartaceus, conſtans foliis 330. ſæculi XVII. in quo AMEDEI cujuſdam *expoſitio Apocalypſeos*. Incipit: *Ego Amedeus fui raptus ex ſpelunca mea &c.*

Fortaſſe eſt AMEDEUS MINORITA, cujus commentationis in *Apocalypſim* meminere Jacobus Lelong pag. 609. *Bibliothecæ Sacræ*, & Thomaſinus *Biblioth. Patavin. pag.* 106. Wadingus autem in *Scriptoribus Ordinis ſui pag.* 16. plura de eo ſcripta reliquit.

CODEX DCCCLXXII. *f.* II. 16.

Membranaceus, cui folia 291. ſæculi XIV. S. ANTONII PATAVINI *Sermones* continet *in Dominicis & per circulum anni*.

Singularis eſt, ac prope incredibilis lectionum diſcrepantia, & quidem non parvi momenti, quæ eſt inter Sermones

Digitized by Google

nes S. Antonii, pro ut exſtant in Regio Codice Taurinenſi, & inter eoſdem editos *Pedeponti* a Johanne de la Haye Pariſienſi anno 1739. Sunt in unoquoque Sermone periodorum tranſpoſitiones, & inſignes, præſertim *Sermonum* initiis, additiones, quæ pagellas duas, & tres non raro implent: ut non immerito affirmari poſſe videatur, longe uberiorem Codicis Taurinenſis ſubſidio parari poſſe *S. Antonii Sermonum* editionem.

Habe ſpecimen ex Sermone ſecundo in *Dominica ſecunda Adventus*, cujus initium hoc pacto ſe habet.

In edit.

Cum audiſſet Johannes in vinculis opera Chriſti &c. mittens duos ex diſcipulis ſuis ait illi, tu es qui venturus es, an alium expectamus? Dicitur in eodem Evangeliſta, quod Herodes tenuit Johannem, & alligavit eum &c.

In Cod. vero.

In illo tempore cum audiſſet Johannes in vinculis opera Chriſti. Sicut dicit Iſayas. Excutere de pulvere. conſurge. ſede Jeruſalem. ſolve vincla colli tui captiva filia Syon. nota iſta verba excutere & ſurge. ſede. ſolve. pulvis dictus quod pulſetur a vento eſt carnis concupiſcentia que impulſu diabolice ſubjectionis rapitur per diverſa peccata. De hoc pulvere dicit Iſayas. Serpenti & Diabolo pulvis panis erit. Ne ergo Jeruſalem in anima te Diabolus cum pulvere comedat. excutere de pulvere. in tue carnis voluntate. Excutite inquit Dominus pulverem de pedibus veſtris. nunquid pulvis confitebitur tibi. conſurge. & ſimul ſurge mente ſed & corpore ad opera tue .... hoc eſt quod dicit Salomon aufer rubiginem de argento. hoc eſt excutere de pulvere. ideſt tue carnis voluntate & egredietur vas puriſſimum. hoc eſt conſurge. Sede & requieſce a tumultu ſecularium. Trenorum III. Sedebit ſolitarius &c. & Iſayas. Si revertimini & quieſcatis ſalvi eritis. Solve vincla colli tui captiva. reſpondeant ultima primis. eadem inculcat ut firmius memorie inhereant. Carnis voluptas & mundi vanitas ſunt vincula quibus anima ad collum ligata tenetur captiva ne valeat exire in libertatem confeſſionis. Solve ergo vincla colli tui. de quibus dicit in hodierno Evangelio cum audiſſet Johannes in vinculis opera Chriſti. &c. Nota quod in hoc Evangelio tria notantur primum Johannis incarceratio. ibi cum audiſſet. Secundum miraculorum Chriſti operatio. ibi euntes annuntiate. tertio B. Johannis recomendatio. ibi quid exiſtis &c. introitus miſſe cantatur populus Syon. & legitur Epiſtola B. Pauli ad Romanos quecumque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam &c. quam in tribus particulis volumus dividere. & cum tribus claudere. dicamus ergo. Cum audiſſet Johannes &c.

CODEX DCCCLXXIII. *f.* II. 20.

Membranaceus, habens folia 200. ſæculi XIV. in quo Fratris Gilberti de Torniaco *Ordinis Fratrum Minorum Sermones ad Status*, de quibus multa Wadingus loco ſupra citato pag. 147. & Cave tomo II. pag. 316.

CODEX DCCCLXXIV. *f.* II. 22.

Membranaceus, conſtans foliis 174. ſæculi XIV. in quo Sermones de variis diebus feſtis, ſine autoris nomine. Primus eſt de *Adventu*, cujus initium, *Preparate corda veſtra Domino &c.*

In fine.

Iſte liber eſt Fratris Philippini de Cherio Ord. Pred.

CODEX DCCCLXXV. *f.* II. 23.

Chartaceus, conſtans foliis 123. ſæculi XIV. in quo Sermones pariter *Anonymi* ſcriptoris *de Adventu & de Dominicis*. Deſunt initio nonnulla folia.

CODEX DCCCXXVI. *f.* II. 24.

Chartaceus, habens folia 346. ſæculi XV. in quo *Sermones Quadrageſimales*.

Digitized by Google

males. Dominicales. De B. M. Virgine. De Sanctis &c. Autore quodam ANTONIO MARIA *Predicatore de S. Germano*, ut ſcriptum eſt in margine.

Fol. 2. *Liber eſt D. Antonii Marie Predicatoris de Sancto Germano qui ipſum manu propria ſcripſit. & a multis doctoribus extraxit. Quicunque in eo legerit, pro ipſo Deum oret.*

Primus ſermo in *feria IV. Cinerum* ita incipit: *Sanctificate Jejunium. hodie initium eſt ſacri Quadrageſimalis Jejunii &c.*

Fol. ultimo eſt perbrevis hiſtoria S. THOMÆ CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI, cujus initium: *Thomas Cantuarienſis cum in Curia Regis Anglie moraretur & illi ſumme eſſet gratus. Videns multa fieri in curia illa: reliquit curiam Regis &c.*

CODEX DCCCLXXVII. *f.* II. 25.

Chartaceus, foliis conſtans 256. ſæculi XV. in quo *Sermones Quadrageſimales*, ſine autoris nomine. Primus incipit: *Dum jejunas unge caput tuum. Bone gentes hodie incipit Sanctum tempus &c.*

In fine.

Frater Urbanus de Aycardis hoc ſcripſit manu propria anno Domini MCCCC. octavo die XI. Auguſti.

CODEX DCCCLXXVIII. *f.* II. 26.

Chartaceus, conſtans foliis 164. ſæculi XV. in quo pariter Sermones *Anonymi de Dominicis*, quorum primus incipit *a die Dominico in octabis Paſche: profer digitum tuum huc. Conſueverunt Judices. qui faciunt aliquam inſignem juſticiam &c.*

CODEX DCCCLXXIX. *f.* II. 27.

Chartaceus, habens folia 169. ſæculi XV. in quo varii Sermones ſacri incerti, ignotique concionatoris.

CODEX DCCCLXXX. *f.* II. 29.

Membranaceus, conſtans foliis 161. ſæculi XIV. S. BRUNONIS ASTENSIS Sermones continet eodem prorſus ordine, quo editi fuerunt a *Marcheſio*.

Fol. 65. *Summa contra Catharos. qui dicunt Dominum Omnipotentem non creaviſſe Celum neque Terram. Sed diabolum. Et hoc nituntur probare multis autoritatibus.*

Non eſt confundendus hic tractatus contra *Catharos* cum libris adverſus eoſdem editis a V. PATRE MONETA, neque cum *Summa* REINERI SACHONI, quam typis vulgavit Edmundus Martene Tomo V. *Theſauri novi Anecdotorum pag.* 1761. Accurate ſiquidem omnia contulimus. Quare ineditum opinamur hoc opuſculum, ac propterea præſtabit ejus initium exſcribere: *Inani quidem ac perniciosa Scholaſticarum queſtionum ſubtilitate poſtpoſita. eas potius queſtiones & ſententias. que de rebus ſalutis neceſſariis fuerint. quanta poſſumus diligentia pertractemus. ipſo adjuvante per Yſaiam qui dicit. quieſcite agere perverſe. & diſcite bene facere. Quieſcite vana & inutilia declinantes. diſcite bene facere. ea potius que ad ſalutem neceſſaria ſunt perſcrutantes. Sunt autem duo fides recta & operatio juſta. de fide dicit Apoſtolus. Sine fide enim non poſſumus placere Deo. ita dicit B. Jacobus. quid prodeſt fratres mei ſi fidem quis habeat. opera autem non habeat. Unde inferius ſubjungitur. fides ſine operibus mortua eſt. Sunt autem iſta duo neceſſaria ad ſalutem. de quibus per ordinem dicendum eſt. Sed primo de fide. contra quod proponit Keticus ſententiam falſitatis & iniquitatis. dicens Dominum omnipotentem ſola inviſibilia & incorporalia creaſſe. quibus predictis addit Keticus duo eſſe principia. unum bonum ſcilicet Dominum Omnipotentem. alterum malum. ſcilicet Diabolum. addit & duas eſſe naturas unam bonam incorporalium. a Domino Omnipotenti creatam. alteram malam corporalium a Diabolo creatam. Keticus ergo qui hoc dicit antiquus Manicheus.*

Digitized by Google

cheus. nunc vero Catarus appellatur &c.

Fol. 99. Cujuſdam BERNARDI libellus de *jure matrimonii*; cujus initium: *Cogit me dilectionis veſtre prerogativa nobilis & amabilis domine G. de matrimonii jure quedam compendioſe perſcribere &c.*

In fine.

Hec ergo Bernardus tibi paucula verba notavi.

Que non parta putes abſque labore gravi.

Virginis ex raptu tranſactio nulla probatur.

Crimen adulterii quam pluribus eſſe putatur.

Fol. 110. Alter Tractatus de *matrimonio*, ſed abſque autoris nomine. Incipit: *Videamus igitur quid ſit matrimonium &c.*

Fol. 138. *Introitus*, ſive commentarius in nonnullos *Veteris Teſtamenti* libros, tacito interpretis nomine. Incipit a libro NUMERORUM. *Liber Numeri & ordine hiſtorie & miniſterii ratione quarto loco ponitur quia in Exodo qui ſecundus eſt legis liber. conſtructum eſt Tabernaculum. In Levitico vero qui ſtatim poſt ipſum ponitur. de Sacrificiis. de utenſilibus Tabernaculi. & ordine Levitarum agit &c.*

CODEX DCCCLXXXI. *f.* II. 30.

Membranaceus, conſtans foliis 89. ſæculi XIV. in quo *Vita Undecim millium Virginum*. Autor eſt ignotus, & incipit: *Regnante Domino noſtro Jheſu Xpo per paſſionem Reſſurrectionem & Aſcenſionem ejus converſis ad Dominum cunctis finibus terre ne Oceani angulus aliquis ſe a calore fidei ejus abſconderet. in conveniendo populos in unum & Reges ut ſervirent Domino. fuit in Britannie partibus Rex quidam Deo notus tam vita quam nomine &c.*

Fol. 17. *Vita Beatiſſime Katherine Virginis*. Autor pariter *Anonymus eſt*. Incipit: *Maxentius Imperator anno Regni ſui trigeſimo quinto reſidens in civitate Alexandrinorum feralia per vicinas provincias miſit edicta &c. Hac itaque in urbe Alexandria erat quedam puella annorum duodecim ſpecioſa valde. Sed quod pluris eſt religioſa fide. Regis condam Coſti filia unica. liberalibus ſtudiis ab annis puerilibus erudita nomine Katherina &c.*

Fol. 24. *Paſſio* S. JACOBI APOSTOLI, abſque autoris nomine, cujus initium: *Apoſtolus Domini Noſtri Jheſu Xpi Jacobus frater B. Johannis Evangeliſte omnem Judeam & Samariam viſitabat &c.*

Fol. 25. uſque ad folium 34. Multa de *Translatione*, *de die feſto*, *& de miraculis* S. JACOBI APOSTOLI, omiſſo etiam autoris nomine.

Fol. 34. *Paſſio* B. EUTROPII *Sanctonenſis Epiſcopi & martiris*. Præfigitur proœmium *Domini Calixti Pape*, & Epiſtola *B. Dionyſii Epiſcopi & martiris ad Beatum Clementem Papam*.

Hiſtoria incipit his verbis. *Glorioſiſſimus namque Xpi miles Eutropius Sanctonenſis Epiſcopus venuſto gentili genere Perſarum editus excellentiori Proſapia totius mundi extitit oriundus &c.*

Fol. 35. TURPINI *Hiſtoria famoſiſſimi Karoli Magni. Quando Tellurem Hiſpanicam & Galerianam a poteſtate Saracenorum liberavit*. Præmittitur ejuſdem *Turpini* Epiſtola ad *Leoprandum*.

Hac de Hiſtoria, ſeu potius commento V. autores *hiſtoriæ Literariæ Gallicæ* Tom. IV. pag. 207. & Oudinum Tom. II. pag. 69.

Fol. 42. *Hiſtoria de quodam Monacho defuncto. qui poſt mortem ſuam comparuit cuidam Superiori ſicut in vita ſua condixerat.*

Fol. 43. Sermones in die *Paſchatis*, *Aſcenſionis*, & *Pentecoſtes*, tacito autoris nomine. Primus incipit: *Nunciaverunt Jacob dicentes filius tuus vivit &c.*

Fol. 51. *Gloſe diverſorum in* CANTICA CANTICORUM, quæ ſæculo XIII. ſcriptæ nobis videntur. Incipiunt: *Notandum quod in hoc libro Oſcula. Ubera. Gene. femora ponuntur &c.*

Initio Codicis miracula deſcribuntur B. M. VIRGINIS, ſed prima Codicis folia deſiderantur.

CO-

Digitized by Google

CODEX DCCCLXXXII. *f.* II. 32.

Chartaceus, cui folia 251. ſæculi XV. ROBERTI DE LICIO *Sermones* continet, quorum index præmittitur. Editi fuere *Venetiis* ſemel, iterumque.

CODEX DCCCLXXXIII. *f.* II. 34.

Membranaceus, habens folia. 233. ſæculi XIV. mutilus fine, in quo *Sermones Dominicales per totum annum compilati per* FRATREM JACOBUM DE VARAGINE *de Ordine Fratrum Predicatorum.*

Præit Prologus, cujus initium: *Humane vite decurſus ſalubri eruditione nos admonet &c.*

CODEX DCCCLXXXIV. *f.* II. 35.

Membranaceus, conſtans foliis 175. ſæculi XIV. in quo primum *Sermones Quadrageſimales* FRATRIS JACOBI DE VARAGINE *Archiepiſcopi Januenſis.*

Fol. 169. *Tractatus* MAGISTRI PETRI ABAJELARDI *de Sacramento Altaris.*

CODEX DCCCLXXXV. *f.* III. 1.

Chartaceus, ſæculi XIV. conſtat foliis 121. Varii continentur ibi Sermones, abſque autoris nomine. Incipiunt ab ADVENTU DOMINI. *Erunt ſigna &c. Erunt ſcilicet ante finem ſeculi. Signa ſcilicet mirabilia &c.*

CODEX DCCCLXXXVI. *f.* III. 2.

Membranaceus, conſtans foliis 209. ſæculi XIV. varios itidem *Anonymi* complectitur Sermones. Primus eſt de ADVENTU DOMINI. *Hora eſt jam nos de ſopno ſurgere &c. hoc tempus dicitur tempus adventuum &c.*

CODEX DCCCLXXXVII. *f.* III. 12.

Membranaceus, habens folia 172. ſæculi XIV. in quo JACOBI DE VARAGINE *Sermones Dominicales.*

Fol. 133. Ejuſdem *Sermones feſtivi.*

CODEX DCCCLXXXVIII. *f.* III. 13.

Chartaceus, conſtans foliis 111. ſæculi XIV. in quo FRANCISCI DE ABBATE *Aſtenſis Ordinis Minorum poſtilla ſuper Evangelia Dominicalia totius anni exceptis Quadrageſimalibus.*

De FRANCISCO DE ABBATE multa verba facit Roſſottus in *Syllabo Scriptor. Pedemontanorum pag.* 201. & ſimilem noſtro MS. Codicem in *Bibliotheca* S. ANTONII *Patavii* adſervari ſcribit ex teſtimonio Philippi Thomaſini. Plura etiam habet Wadingus loco ſupracitato *pag.* 111.

In fine.

Explicit poſtilla Fratris Franciſci de Abbate Aſtenſis Ord. Minorum ſuper Evangelia Dominicalia &c. Scripta & completa per me Octavium de Gallis anno Domini MCCCLXVII. die X. *Octubris.*

CODEX DCCCLXXXIX. *f.* III. 14.

Chartaceus, habens folia 115. ſæculi XV. in quo Sermones *Quadrageſimales Magiſtri* BARTHOLOMÆI PISANI *Ordinis Minorum in capite jejunii.* Iidem, qui in Codice *f.* I. 85.

CODEX DCCCXC. *f.* III. 15.

Chartaceus, conſtans foliis 282. ſæculi XIV. in quo *expoſitio* PSALMORUM, interprete *Anonymo*. Incipit a Pſalmo, *Benedic anima mea Domino & omnia que intra me ſunt &c. In precedenti Pſalmo actum eſt de oratione pauperis anxiati &c.*

Fol. 48. *Conciones Quadrageſimales*, quarum initium: *acceperunt mercedem ſuam &c.*

In fine.

Explicit Quadrageſimale Milicii.

Eſt fortaſſe *Johannes Militius Archidiaconus Pragenſis*, de quo Albertus Fabricius in *Bibliotheca Mediæ & Infimæ Latinitatis* pag. 301. Tom. IV.

Fol. 211. Sermones pariter *Anonymi*

Digitized by Google

de variis anni, & Sanctorum diebus festis.

CODEX DCCCXCI. *f.* III. 17.

Partim membranaceus, partim chartaceus, foliis constans 207. sæculi XIV. in quo Sermones *Venerabilis Fratris* Francisci de Mayronis *eximii Sacre pagine professoris Ordinis Seraphici Francisci Minorum*; de quibus V. Dupinium tomo XI. pag. 70. & Wadingum pag. 124.

In fine additi sunt *Sermonum* tituli.

CODEX DCCCXCII. *f.* III. 18.

Membranaceus, constans foliis 294. sæculi XIV. in quo Coradini Saxoni *Sermones*. Inter suos recenset Wadingus *pag.* 93. & de eo multa Albertus Fabricius in *Bibliotheca Med. & Infim. Latinitatis* habet Tomo I. pag. 1179. Eorum initium est. *Mitte manum tuam de alto &c. Ecce Karissimi sicut in medio fluctuum periculosissimorum. & sicut captivi in manu hostium &c.*

Ad calcem Codicis adjecta est *Sermonum* tabula.

CODEX DCCCXCIII. *f.* III. 19.

Chartaceus, folia habens 221. sæculi XV. in quo Carracioli de Licio *Ordinis Minorum Sermones & Quadragesimales Conciones*. De his legere est Dupinium Tom. XII. *Bibliothecæ pag.* 112. & Wadingum *pag.* 307.

In fine.

Explicit Quadragesimale ceptum in Civitate Licii ibique completum anno Domini MCCCCLXXXIII. die nona Octobris hora vespertina.

CODEX DCCCXCIV. *f.* III. 24.

Membranaceus, constans foliis 104. sæculi XV. est Rituale *Benedictionum Episcopalium ad Missas per totum annum.*

CODEX DCCCXCV. *f.* III. 25.

Membranaceus, sæculi XIII. elegantissimo scriptus charactere, constat foliis 80. Est Lectionarium Ecclesiasticum; in quo præ ceteris notamus, festa *S. Antonii*, & *D. Hieronymi* uno eodemque die signari, æque ac *SS. Johannis & Pauli, Dionysii* & *Sociorum ejus*.

CODEX DCCCXCVI. *f.* III. 26.

Membranaceus, constans foliis 230. sæculi XV. est Breviarium Romanum, aureis ornatum picturis.

Animadvertimus, in Die festo Corporis Domini Bullas Pontificum *Eugenii*, & *Martini V.* loco *Lectionum* designari, & psalmos alio dispositos ordine ab eo, quo hodierna die in Ecclesia leguntur.

CODEX DCCCXCVII. *f.* III. 27.

Membranaceus, constans foliis 310. sæculi XIV. cum ob characterem, tum ob ornamenta aurea venustissimus. Est Missale *secundum consuetudinem Romane Curie*, præfixo *Kalendario Ecclesiastico*.

CODEX DCCCXCVIII. *f.* III. 28.

Membranaceus, habens folia 294. sæculi XIV. Est itidem Missale *secundum consuetudinem Romane Curie*. Præmittitur *Kalendarium*, quod compositum fuisse dicitur *Parisiis per diversos magistros ac summos Astrologos anno Domini* 1290. Codex elegantissimus, ac variis in locis auro, minioque pictus.

In fine hæc leguntur.

Explicit Missale secundum usum Romane Curie. Quod fieri fecit nobilis ac religiosus vir Frater Johannes de Rogerio Licentiatus in Decretis Ordinis S. Benedicti Prior de Monasteriis. Regencis Diocesis. Quod ego Lucas Desnoys incepi scribere vigesima tercia die Marcii hora vesperarum. Et complevi scribere decima octava die

Digitized by Google

die Septembris anno Domini milleſimo Quadrigenteſimo ſexto. & Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri Pape Benedicti tercii decimi anno duodecimo.

CODEX DCCCXCIX. *f.* III. 29.

Membranaceus, conſtans foliis 140. ſæculi XIV. Eſt BREVIARIUM ROMANUM, addito *Kalendario Eccleſiaſtico*.

CODEX CM. *f.* III. 30.

Membranaceus, conſtans foliis 387. ſæculi XIV. Eſt pariter BREVIARIUM ROMANUM, præfixo *Kalendario Eccleſiaſtico*. Literæ initiales imagunculis aureis ornantur.

CODEX CMI. *f.* III. 31.

Chartaceus, folia habens 64. ſæculi XV. Eſt MARTYROLOGIUM ROMANUM.

In fine.

Hunc librum ſcripſit optimus vir ac vere religioſus Frater Manfredus Bechius de Carmagnolia. Quem nimio zelo ex Janua per terram revocavi. Dum peſtis urbem illam depopularet. Sed revocatus in pace quievit. dum annum octuageſimum ageret. quem circa annum Domini MCCCCLXIV. libellum ego Frater Gabriel Buccius aptavi potius ob memoriam pii viri quam ob valorem libri.

CODEX CMII. *f.* III. 32.

Membranaceus, conſtans foliis 95. ſæculi XIV. in quo *Summa* MAGISTRI JOHANNIS BELETI *de Eccleſiaſticis officiis*.

CODEX CMIII. *f.* IV. 7.

Membranaceus, habens folia 109. ſæculi partim XII. & partim XIII. Multa continet. Et quidem

Fol. 1. Uſque ad folium 12. excerpta exhibet ex libro *Officiorum S.* ISIDORI, nec non ex operibus S. AUGUSTINI, AMBROSII, aliorumque, in quibus *Liturgica Canonica* tractantur.

Fol. 12. Sunt nonnulli Canones ex conciliis decerpti, ad quorum initium exſtat indiculus quidam *Conciliorum*, addito Epiſcoporum numero, qui illis interfuerunt, quem quidem indicem vulgavit Dacherius in *Spicilegio*.

Fol. 24. In inferiore ora paginæ hæc ejuſdem, a quo cetera, exſcriptoris manu exarata leguntur.

Anno Domini milleno
Et adjuncto bis centeno
Cum nono tredeceno
Gregorio Pontificali
Friderico Imperiali
Trono preſidentibus
Sol eſt obſcuratus
Et ut carbo denigratus
Ut in morte Domini
Ut innocentes Serenatum
Stella Clara prima
Tertia die preparata
Sexta feria vocata
Nona quippe decantata
Iſta cuncta ſunt patrata
Inchoante Junio
Et nigerrimum manentem
Paulatimque relucentem
Donec luxit plenius
Sedebant Monaci in Cena
Inditioneque duodena
Illo erat tempore.

Fol. 25. Interruptus videtur ordo *Canonum*. Incipit enim *vocabularium* quoddam, ſeu potius explicatio Latinorum quorumdam verborum: quæ additio librarii eſſe videtur, cum abſoluta Latinarum vocum interpretatione ordine alphabeti digeſta, ſtatim ſequatur priſtina Canonum collectio, incipiens a ſignis, *quæ ſuper Myſterium Chriſti facienda ſunt*.

Fol. 47. Exemplar eſt Epiſtolæ JOHANNIS PAPÆ (hujuſce nominis VIII.) ad INGELBERGAM REGINAM, cujus initium: *Omnes qui fidelitatem jurant Eccleſie &c.*

Fol. 48. Ejuſdem JOHANNIS exemplar alterum Epiſtolæ ad eandem *Reginam*; cujus initium: *Quia noſtrum*

Digitized by Google

de Wilberto impleſti preceptum &c.

Plurimas vulgavit tom XI. *Conciliorum* Labbeus Epiſtolas a *Johanne* VIII. ad *Ingelbergam*, ſive *Angelbergam* ſcriptas. Non reperias tamen, quæ in Regio noſtro Codice leguntur.

Fol. Eodem PASCHALIS PAPÆ (I. hujuſce nominis) *Epiſtola ad* LUDOVICUM IMPERATOREM. Incipit: *Honor quidem Sanctorum &c.*

Neque hanc in Collectione Labbeana invenire potuimus.

Fol. 49. *Epiſtola* GELASII ad *Petrum Epiſcopum Portentinum*; cujus initium: *Secundum quod veſtri Portitores &c.* Agit de Diacono, qui Inceſti accuſatus fuerat.

Non habuit Labbeus hujuſce Epiſtolæ exemplar, ut inter illas, quæ a Gelaſio I. ſcriptæ ſunt, tomo V. *Conciliorum* vulgaret. Ughellius autem omiſit PETRUM PORTENTINUM EPISCOPUM, qui *Gelaſii Papæ* ævo florebat, tom. VII. *Italiæ Sacræ.*

Fol. Eodem *pag.* 2. *Epiſtola* ejuſdem PAPÆ GELASII *ad Anaſtaſium Imperatorem*. Incipit: *Famuli veſtre pietatis &c.* Eſt potius pars, ſive compendium dictæ Epiſtolæ, quam integram edidit Labbeus tomo V. pag. 308.

Fol. 50. Excerpta ex *libro* CASSIODORII *ſuper Pſalterium*.

Fol. 52. Nonnulla interjecta ſunt de *Nativitate, & temporibus, atque fine* ANTICHRISTI, non memorato autoris nomine.

Fol. 54. Excerpta ex *Concilio Ancyrano* potiſſimum *de cuſtodia Parvulorum*; tum ex *Concilio Conſtantinopolitano, Laodiceno*, aliiſque de *Poenitentia*, Presbyteris præſertim ob *delicta carnis* imponenda.

Fol. 57. Excerpta itidem ex Epiſtolis EUGENII, FELICIS, NICOLAI, PASCHALIS II. aliorumque *de Teſtibus, de Judiciis, deque ſententiis ferendis.*

Fol. 63. Excerpta iterum *ex* AUGUSTINI *libro de Nuptiis, & Concupiſcentiis.*

Fol. 71. Incipit reapſe CANONUM COLLECTIO, quorum index præmittitur. Numerantur autem Canones XCI. ſed multo plures traduntur, quam in indice deſcripti fuerint, nullo tamen ordine diſpoſiti, nec in libros, ſive ut vocant, *Sectiones* diſtributi.

Cum vero in hac *Canonum Collectione* nil occurrat, quod ex Decretis Pontificum ſæculi XII. vel etiam XI. excerptum videatur, jure nos affirmare poſſe credimus, hanc *Canonum Collectionem* autorem habere IVONE & GRATIANO antiquiorem.

Obiter notamus *fol.* 78. inter hos Canones locum obtinere *Donationem* IMPERATORIS LUDOVICI *Romanæ Eccleſiæ* factam *in Partibus Tuſcie*, nimirum *Portum Centum Cellas. Cherebledam. Sutrium. Nepe. Caſtellium &c.* quam edidit præ ceteris Labbeus tomo IX. pag. 605.

Fol. 89. *De Johanne Prepoſito qui cum Diabolo coram* X° *conflixit. & de revelatione atque terribili tranſitu ejus.* Incipit: *nam ut pauca de multis contingam Leonis IV. Pontificis tempore &c.*

Fol. 94. *pag.* 2. *Sententie de Canonicis Epiſtolis ſecundum* BEDAM *expoſite.*

Fol. 104. *Excerpta Iſaie Prophete. Secundum dicta Aimonis Presbiteri.*

CODEX CMIV. *f.* IV. 8.

Membranaceus, conſtans foliis 250. ſæculi XIV. in quo PARISIENSIS *Summa Canonum*. Præmittitur index Capitum.

In fine exſtat *Tranſcriptum Privilegii de Sacramento Confeſſionis. Johannes Epiſcopus &c. Vas Electionis doctor eximius &c.* Datum eſt *Avenioni VIII. Kal. Auguſti Pontificatus anno V.*

Fol. ultimo *Racio ad inveniendum Paſcha*, Gallico idiomate exarata, poſteriori tamen ævo adjecta.

CODEX CMV. *f.* IV. 13.

Membranaceus, habens folia 133. ſæculi XIII. in quo IVONIS *Carnotenſis Epiſcopi Panormia*. Præmittitur idem omnino prologus, qui in ejuſdem *Decreti*

Digitized by Google

creti fronte legitur, ſub hoc titulo: *Incipit prologus Panormie Ivonis venerabilis Carnotenſis Epiſcopi de multimoda diſtinctione ſcripturarum. ſub una caſtorum eloquiorum facie contentarum.*

Panormia eſt veluti quædam *Decreti* Epitome, ut notavit editor Pariſienſis *operum* Ivonis pag. 480. & Oudinus tomo II. pag. 874. In VIII. partes tributa eſt: in noſtro autem Codice breviter deſcribitur ab initio, quidquid in unaquaque parte continetur.

CODEX CMVI. *f.* IV. 14.

Membranaceus, conſtans foliis 302. ſæculi XIV. quo Magistri Raymundi *Summa continetur cum Gloſſa*. In fine adjectus eſt index *capitum, & caſuum*.

CODEX CMVII. *f.* IV. 15.

Membranaceus, foliis conſtans 144. ſæculi XIV. in quo ejuſdem Raymundi *Summa* cum *Gloſſa*, adjecto in fine *Caſuum* indice.

CODEX CMVIII. *f.* IV. 16.

Membranaceus, habens folia 66. ſæculi XIII. *Canones* exhibet *Poenitentiales*. Initium fit a *Decretis* Lucii Papæ.

In poſtrema Pagella legitur Epiſtola, ſive præceptum antiquiori ſcriptum charactere editum a Bosone * *Epiſcopo Taurinenſi* ad Clerum, & Diœceſanos ſuos, quo illis *Treuvam Dei* * indicit, eoſque, qui *Treuvam* fregerint, anathematis poena mulctat. Eſt autem hujuſmodi.

„ Nato Domino Noſtro Jheſu „ Chriſto in mundo Angeli in ejus „ Nativitate cantaverunt Gloria in ex„ celſis Deo & in terra pax hominibus „ bone voluntatis. & cum ad perfe„ ctam deveniſſet ætatem inter cetera „ ſue ſancte predicationis verba dixit. „ hoc eſt preceptum meum ut diliga„ tis invicem. & alibi in hoc cogno„ ſcent omnes quia mei eſtis diſcipu„ li. ſi dilectionem habueritis ad in„ vicem. His ergo & aliis Sacre „ Scripture ammonicionibus Ego Boſo „ peccator Sanctae Taurinenſis Eccleſiae „ Epiſcopus conſiderans pacem vobis „ eſſe neceſſariam. mandamus per „ obedientiam & in remiſſionem pec„ catorum veſtrorum precipimus. vi„ delicet Abbatibus. Prepoſitis. Pleba„ nis. Sacerdotibus. Clericis. & om„ nibus Laicis. ut pacem que Treuva „ Dei dicitur ſecundum noſtre Sinodi „ conſtitutionem fideliter firmiterque „ cuſtodiatis. Inprimis ut Eccleſie & „ Cyminteria. & proprie res eorum. „ Sacerdotes quoque. & Monachi. & „ Sanctimoniales. omniſque Eccleſia„ ſtici chori. omni die Treuvam Dei „ habeant. Seculares vero Peregrini. „ & ad Sanctorum limina pergentes „ vel redeuntes. mulieres quoque. & „ parvuli. & viatores qui ſine recta „ vindicta ſunt. ſimiliter omni die „ Treuvam Dei habeant. quatuor ve„ ro diebus. videlicet a die Mercurii „ poſt occaſum ſolis uſque ad diem „ Lune Sole oriente. omnes tam ami„ ci quam inimici Treuvam Dei ha„ beant. ipſi & res eorum. Ab hac „ Treuva Dei excipimus publicos La„ trones. Scarampos. * & certum de„ bitorem. certumque fiſzorem. * & „ illos qui ſcienter res furatas eme„ rint. Qui autem ſupra ſcriptam „ Treuvam Dei fregerit. & infra pro„ ximos XXX. dies non emendaverit. „ Nos omneſque Sacerdotes qui ad „ Synodum venerunt. illum auctori„ tate Dei Patris Omnipotentis San„ ctæque Marie Virginis ſemper. „ omniumque Sanctorum Angelorum. „ Patriarcharum. Prophetarum. Apo„ ſtolorum. Martyrum. Confeſſorum. „ atque Virginum. omniumque Ele„ ctorum Dei. maledicimus. Exco„ municamus. & a liminibus Sanctæ „ Eccleſiæ ſeparamus. & fiat anathe„ ma Maranatha uſque ad adventum „ Domini. fiat. fiat. fiat.

* *Boſo*

Digitized by Google

* *Boſo* Taurinenſis Epiſcopus floruit anno 1120. V. Ughell. *Italiæ Sacræ*. Tomo IV. pag. 1045.

* *Treuva Dei*, ſive *Treva*, *Treuga*, ſeu *Trevia Dei*. *Id nominis primum auditum in Gallia, ubi cum bella flagrarent domeſtica, ſeu ea, quæ vulgo conſuetudinaria appellata docuimus ad Jonvillam diſſert.* 29. *& unicuique injurias ſibi illatas armis ulciſcendi facultas eſſet, in Aquitania, in Arelatenſi, & Lugdunenſi Provinciis, atque adeo in Burgundia, ceteriſque Franciæ partibus per univerſos Epiſcopatus inditum eſt, qualiter certis in locis a Præſulibus Magnatibuſque totius patriæ de reformanda pace, & ſacræ fidei inſtitutione celebrarentur Concilia: quod avide exceptum eſt ab omnibus majoribus, ac infimis, quos tenebant clades præteriti temporis. In his porro Conciliis illud potiſſimum ſtatutum fuit, ut inviolabilis pax ſervaretur; ut ſcilicet viri utriuſque conditionis, cujuſcumque antea fuiſſent rei obnoxii, abſque formidine procederent armis vacui. Quod, inquam, adeo lubenter omnes ſunt amplexati, ut palmis ad Deum extenſis Pax, Pax, Pax unanimiter clamarent, ut eſſet videlicet ſignum perpetui pacti de hoc, quod ſpoponderant inter ſe, & Deum.* Hæc ex Glabro refert Ducangius Tom. VI. col. 1266. & anno 1034. celebrata fuiſſe concilia *Bituricis*, *Bellovaci*, *& Lemovicis* addit, in quibus pax univerſis indicta, *ita ut nemo ſeditionem ageret, nullus per vim raperet, nullus, ut ſolebat, quaſi propter juſtas querelas pugnam inire conſtitueret &c.*

Eadem ferme habet Muratorius tomo II. *Antiquitatum Italicarum* diſſert. XXIII. col. 307. *At in ipſa Gallia*, inquit, *ubi gravius etiam, quam in Italia graſſabatur hæc peſtis, circiter annum Chriſti MXXXI. adinventnm eſt tandem aliquod levamen; inſtitutis nempe per Sacros vircs induciis ubique ſervandis, quæ ſub nomine Treugæ Dei celebres evaſere in Hiſtoriis, atque Conciliis &c.*

* *Scarampos* ita dictos fuiſſe quoſdam *uſurarios publicos ſub Joanne Rege Francorum, qui etiam edicto ejuſdem Regis anno* 1353. *proſcripti fuerunt*, ſcribit Ducangius Tomo VI. col. 198. Sed initio ſæculi XII. in uſu fuiſſe id nominis, nos docet Boſonis Epiſtola.

* *Fiſzor* eſt *Fiſſus*, ideſt *Confeſſus*, ut habet Ducangius Tomo III. col. 530.

CODEX CMIX. *f.* IV. 17.

Membranaceus, conſtans foliis 139. ſæculi XIV. in quo Decretalium libri *ab Anonymo* in compendium redacti, & commentariis illuſtrati.

CODEX CMX. *f.* IV. 18.

Membranaceus, conſtans foliis 126. ſæculi XIV. in quo *Diſtinctiones* Decretalium, autore *Anonymo*.

Fol. 81. Johannis Bononiensis Tractatus *de ordine judiciorum*.

Fol. 124. Libellus de *exceptionibus*, qui inſcribitur *Actor & Reus*.

CODEX CMXI. *f.* IV. 19.

Membranaceus, habens folia 267. ſæculi XIV. in quo *Libri* Decretalium cum adnotationibus in margine. Literæ initiales auro, varioque colore pereleganter pictæ ſunt.

CODEX CMXII. *f.* IV. 20.

Membranaceus, conſtans foliis 200. ſæculi XIV. in quo pariter *Libri* Decretalium, cum adnotationibus in margine.

CODEX CMXIII. *f.* IV. 22.

Membranaceus, cui folia 191. ſæculi XV. Eſt Index rerum, quæ in *libris* Decretalium continentur.

CODEX CMXIV. *f.* IV. 23.

Membranaceus, conſtans foliis 542. ſæculi XIII. ex dono recentiſſimo Augustissimi Regis, continet univerſos *Scripturæ* libros, cum præfationibus S. Hieronymi, quæ in Vulgatis Bibliis leguntur; adjecta inſuper præfatione Hugonis Cardinalis, quæ incipit: *Quoniam ſuper omnes ſcripturas verba ſacri eloquii neceſſe eſt ut fundamento veritatis firmiter innitantur.*

Scripturæ libri eodem ſe habent ordine, quo in Vulgatis editionibus, hoc tantum diſcrimine, quod *liber tertius* Esdræ proxime *ſecundo* adjectus eſt, qui ad finem *Bibliorum* una cum quarto rejici ſolet; & *Actus Apoſtolorum* poſt *Divi Pauli Epiſtolas* leguntur. Frequentes in margine occurrunt adnotatiunculæ, ab eodem qui, codicem ſcripſit, appoſitæ librario. Peculiari tamen præ ceteris animadverſione digna eſt annotatio, quæ triplici loco legitur,

Digitized by Google

tur, quæque præſtantiſſimi Codicis dignitatem, atque pretium mirifice auget, & commendat, ſcilicet: *Iſta Biblia eſt monaſterii Cartuſie Sancti Salvatoris de Monte Brachio ſub nomine Glorioſiſſime Virginis Marie. nunquam alienanda a dicto monaſterio ob reverentiam Reverendiſſimi Doctoris. Sancti Thome de Aquino. Cujus erat iſta Biblia. & in qua*, uti additur in eadem adnotatione, quæ in fine Codicis tertio ſcripta eſt, *legebat*.

CODEX CMXV. *h.* I. 2.

Membranaceus, conſtans foliis 92. circa finem ſæculi XIV. nitidæ lectionis, auro, variiſque ornamentis decoratus, tres libros continet *de officiis* MARCI TULLII CICERONIS, brevibus adnotationibus *interlinearibus*, & in margine alterius manus illuſtratus. Initio præmittitur totius operis analyſis, ab eodem conſarcinata, cujus ſunt adnotationes.

CODEX CMXVI. *h.* I. 2.

Membranaceus, conſtans foliis 358. ſæculi XV. præclaris inſtructus ornamentis, una cum ſtemmate gentilitio, complectitur *Epiſtolas* MARCI TULLII CICERONIS, eaſdem plane, quæ in Codice *h.* I. 1. Græca autem vocabula recentioris Scribæ manu deſcripta ſunt, ut & plurimæ Græcarum vocum interpretationes in margine.

CODEX CMXVII. *h.* I. 5.

Membranaceus, cui folia 308. ſæculi XV. nitidi characteris, ubi commentaria, & quidem ſatis prolixa in *epiſtolas Senecæ*. Cujuſque epiſtolæ primum exponitur argumentum, poſtea ſubjicitur explanatio, qua ea præcipue illuſtrantur, quæ ad morum diſciplinam ſpectant. Autor nullibi ſe prodit: tantum ad calcem hæc verba leguntur: *Explicit Epiſtola & totum opus Deo gratias vivo & vero Uno & Trino & Beate & Glorioſe Virgini Marie Matri Domini Noſtri Jeſu Chriſti & Beato Paulo Apoſtolo familiari & notiſſimo hujus preclariſſimi Doctoris & magiſtri tocius vite moralis Lucii Annei Senece Cordubenſis.*

Expletum eſt opus in civitate Januenſi ſub anno Domini 1403. . . . . *per manus Petri River de Bavaria civitatis Monacenſis.*

Fol. 306. *Marci Tullii Ciceronis Arpinatis Romani floris eloquii Scipionis ſompnium.*

CODEX CMXVIII. *h.* I. 10.

Membranaceus, duplici columna exaratus, ſæculi XIV. conſtans foliis 49. initio deficiens. Habentur in eo varia Epiſtolarum exempla, quæ uti legimus *fol.* 7. rogatu nobilis viri Ildefonſi diſcipuli, & ad aliorum diſcipulorum uſum anno 1252. a ſe ordinata, teſtatur ipſemet autor, nomine *Poncius Magiſter Provincialis*.

CODEX CMXIX. *h.* II. 5.

Membranaceus, duplici columna exaratus, conſtans foliis 100. ſæculi XIII. optimæ notæ, atque lectionis.

Fol. 1. Libri quatuor *Inſtitutionum* JUSTINIANI IMPERATORIS, additis in margine adnotatiunculis.

Fol. 47. Brevis ſumma eorum, quæ in ſingulis GRATIANI cauſſis tractantur. Præmittitur prologus, quem hìc ſubjicere opportunum ducimus.

„ Conſideremus quæ ſit hujus nomi-
„ nis quod eſt Decretale, ſignificantia.
„ Decretum a decerno verbo deriva-
„ tur. & ex ſe aliud nomen procreat
„ videlicet decretale cujus principale
„ eſt decretalia. Decretum igitur eſt
„ inſtitutum ſive conſtitutio. Unde &
„ decretalia vel decreta inſtituta ſive
„ conſtitutiones intelliguntur. Decreta
„ igitur Pontificum inſtituta vel con-
„ ſtitutiones eorum dicuntur quibus
„ mores & Eccleſiaſtica diſciplina in-
„ ſtituitur & regitur. Unde & Regi-

ſtrum

Digitized by Google

„ ſtrum Beati Gregorii dicitur liber „ decretalium Epiſtolarum ejus. De„ creta etiam canones vocantur. Canon „ regula. quia ex his regitur & guber„ natur Eccleſia.

Fol. 49. *Tractatus de legibus*, libris ſex diſtinctus, PETRI cujuſdam *diſertiſſimi* appellati: ſive *exceptiones legum Romanarum ad Odilonem*, ut inſcribitur in MS. Codice MDCCCXVIII. *Bibliothecæ Regiæ Pariſienſis* ex teſtimonio *Cangii* apud Fabricium Tom. V. *Biblioth. Med. & Inf. Lat.* pag. 838.

En earum titulus totuſque prologus, uti habetur in noſtro codice.

„ Petri viri diſertiſſimi in libris de „ legibus prologus incipit. Cum de „ pluribus diverſiſque cauſarum gene„ ribus per tot varioſque legum ſcru„ pulos ipſis etiam viris ſapientiſſimis „ legumque Doctoribus ad diffinitivam „ ſententiam ſine labore pervenire fas „ non ſit. utriuſque juris. naturalis ſci„ licet & civilis ratione perſpecta. judi„ ciorum & controverſiarum exitus pla„ nis & apertis capitulis enodamus. „ Si quid inutile. ruptum. ęquitative „ contrarium legibus reperitur. noſtris „ pedibus ſubcalcamus. quicquid no„ viter inventum. ac tenaciter ſerva„ tum. tibi Diloni viro ſplendidiſſimo „ Florentine civitatis magiſtro magni„ fico. quibuſque tibi placuerit. ſen„ ſibus integris revelamus. Ut in tuę „ ſedis examine. tuęque diſpoſitio„ nis ſerie. nihil injuſtum. provoca„ tioniſve juri ſubjectum appareat. „ ſed ad vigorem juſticię tuęque „ dignitatis gloriam. & ad ſupernę „ majeſtatis laudem. omni corruptio„ ne remota totum refulgeat.

Fol. 75. *Incipit liber Hiſidori de legibus*. Eſt nimirum pars libri V. *originum*, ſive *etymologiarum*.

Fol. 79. *pag.* 2. Liber *de verbis legalibus*, abſque autoris nomine. Prologi initium hujuſmodi eſt: *Introducendis ad Romanarum noticiam legum primo ſciendum eſt eſſe quędam verba legalia quę ſine diffinitione ipſorum intelligi nequeunt ac per hoc animum diſcere volentis in ipſo diſcendi ingreſſu perturbant &c.*

Fol. 89. *pag.* 2. Habentur variæ profeſſiones fidei, nempe *Romani Pontificis*, *Imperatoris*, *Metropolitani in ſuſceptione pallii*, *& Romani legati*: deinde nonnulla Romanorum Pontificum *Alexandri II. Urbani II.* & *Gregorii* decreta.

Fol. 91. Compendium *Inſtitutionum* JUSTINIANI, ab *Anonymo* concinnatum.

Fol. 99. *pag.* 2. perbrevis *Tractatus de jure & ejus ſpeciebus*, non indicato autoris nomine. Incipit: *Humanum genus duobus regitur naturali videlicet jure. & moribus &c.*

CODEX CMXX. *b.* II. 9.

Chartaceus, habens folia 233. ſæculi XV. cui titulus *De diverſis queſtionibus liber*, ad jus nempe civile ſpectantibus.

In fine hæc leguntur.

Liber iſte eſt mihi Urbano Rat quem perfeci in ſtudio Avinionenſi, dum videbam Bartolum & textus meos.

CODEX CMXXI. *i.* I. 1.

Membranaceus, cui folia 245. ſæculi XIV. Eſt *Antidotarium*, cui ſubjiciuntur varia capitula de medicis quibuſdam potionibus præparandis, tum de virtute, & proprietatibus nonnullorum ſimplicium abſque ullo ordine, & ſine autoris nomine.

CODEX CMXXII. *i.* I. 2.

Chartaceus, habens folia 188. ſæculi XV. in quo *Liber de conſervatione vite humane editus in preclaro ſtudio Montiſpeſſulis per Magiſtrum* BERNARDUM DE GORDONIO.

CODEX CMXXIII. *i.* I. 3.

Chartaceus, conſtans foliis 184. ſæculi XV. in quo

Fol.

Digitized by Google

Fol. 1. Remedia permulta curandæ febris.

Fol. 90. *Summa Giraudi Cremonenſis de modo medendi.*

Fol. 129. *Antidotarium Meſue* in duas partes diviſum.

CODEX CMXXIV. *i.* I. 4.

Chartaceus, conſtans foliis 171. ſæculi XV. Eſt *Theſaurus pauperum* ARNALDI DE VILLANOVA.

CODEX CMXXV. *i.* I. 5.

Chartaceus, cui folia 63. ſæculi XVI. inſcribitur *de ſecretis medicine*. Præit epiſtola Italice ſcripta a CAMILLA PIZZORNA, qua librum a marito ſuo, dum viveret, compoſitum, DUCI SABAUDIÆ humiliter offert & dicat.

CODEX CMXXVI. *i.* I. 6.

Membranaceus, habens folia 55. ſæculi XV. cui titulus: *Liber moralium de regimine dominorum qui alio nomine dicitur ſecretum ſecretorum editus ab Ariſtotile ad Alexandrum Regem.*

CODEX CMXXVII. *i.* I. 8.

Chartaceus, conſtans foliis 61. ſæculi XV. in quo primum libellus *de egritudinibus infantium*, autore PAULLO A FLUMINE; poſtea habetur ſermo de variis morbis, tacito autoris nomine.

CODEX CMXXVIII. *i.* I. 11.

Chartaceus, cui folia 269. ſæculi XVII. hunc præfefert titulum; *Fons aureus fluens nectare & ambroſia, in quo continentur Phyſico-Chemicorum ſelectiſſimorum remediorum preparationes, vires, & uſus. Item morborum omnium & precipue graviſſimorum Galenico gregi incurabilium curationes phyſice & Chymico-Medice propria laborum experientia philoſophica nobilis Joannis de Remond &c.* Idem nimirum auctor, qui in Codice *i* II. 46.

CODEX CMXXIX. *i.* I. 12.

Chartaceus, conſtans foliis 163. ſæculi XVII. in quo ſequentia opuſcula Chemica continentur.

Fol. 1. *Teſtamentum ultimum* RAYMUNDI LULLI *Carolo Odoardi Regis filio conditum.*

Fol. 73. *Appertorium Magiſtri* RAYMUNDI LULLI.

Fol. 89. *Il compendio del libro della quinta eſſentia di* RAYMUNDO LULLIO *del principio della pietra vegetabile.*

Fol. 99. *Il libro della divinita di* RAYMUNDO LULLIO.

Fol. 105. *Dell' Alchimia.*

Fol. 131. *Compendium trium* JOHANNIS ANGLII *indagatione Trinitatis.* Autor nimirum inſulſe omnino, ne dicam, impie, trium experimentorum Chemicæ artis effectus, & proprietates comparat cum Divinarum Perſonarum Trinitate.

Fol. 144. *Tractatus* PETRI *Opporenſis* alchimica quædam complectens, cujus initium:

Non miretur homo ſub enigmate talia dici
Publica ne fiant iſta latere volo.

Fol. 156. *La practica della pietra filoſofale ſecondo narra Gio: Egidio in lingua Aragoneſe.*

CODEX CMXXX. *i.* I. 13.

Chartaceus, habens folia 181. ſæculi XVI. in quo *Liber proverbiorum* RAYMUNDI LULLII, in tres partes diſtinctus.

CODEX CMXXXI. *i.* I. 14.

Chartaceus, foliis conſtans 128. ſæculi XVI. cui titulus:

Expoſitio artium & Medicine Doctoris HYPPOLITI PETRONII *de Monte Regali ſuper arte illuminati Doctoris Raimundi Lulli que dicitur ars generalis & ultima.*

Digitized by Google

CODEX CMXXXII. *i.* I. 15.

Membranaceus, cui folia 190. sæculi XIV. cui titulus:

Viaticus Isaac Salomonis Regis Arabum filius adoptivus a Constantino Cassianensis Montis Monaco translatus. Sunt nimirum libri septem CONSTANTINI *Cassinensis Monachi* de morborum cognitione, & curatione, multis tamen adnotationibus tum in margine, tum intra textum illustrati.

Fol. 138. *Liber de flebotomia*, sine autoris nomine: tum nonnulla *de incantatione, adjuratione, &c.* nec non *de signis in morbis.*

Fol. 143. *Antidotarium* NICHOLAI.

CODEX CMXXXIII. *i.* I. 19.

Chartaceus, constans foliis 113. sæculi XVI. in quo HIERONYMI MERCURIALIS *practicae medicinae primarii professoris in Patavino gymnasio praelectiones de curandis febribus.*

CODEX CMXXXIV. *i.* I. 20.

Membranaceus, habens folia 72. sæculi XV. hunc præfefert titulum; *Liber thesauri pauperum per Magistrum Petrum Yspanum tempore Pape vocati Papa Johannes.*

Sub nomine *Petri Hispani* circumferri varia opuscula JOHANNIS *Papæ* XXI. monet Nicolaus Antonius Tom. II. *Bioliothecæ Hispanæ* pag. 50.

CODEX CMXXXV. *i.* I. 23.

Chartaceus, constans foliis 41. sæculi XVII. in quo PETRI ALBI *Ragusei de compositione lapidis philosophorum Compendium.* Præmittuntur initio duo epigrammata in laudem autoris.

CODEX CMXXXVI. *i.* I. 25.

Chartaceus, sæculi XVI. constat foliis 53. Est autem *Tractatus* JOSIPPI DALIANI *a Monte Regali de prima lapidis philosophorum materia*, EMMANUELI PHILIBERTO DUCI SABAUDIÆ dicatus.

CODEX CMXXXVII. *i.* I. 26.

Chartaceus, cui folia 205. sæculi XVI. tractatum exhibet *de arte Chemica Domini* AFRICANI CARRETI *quondam Georgii.*

Adduntur in fine nonnulla circa eamdem rem poeticis numeris colligata, rudia prorsus, & incondita.

CODEX CMXXXVIII. *i.* I. 27.

Membranaceus, constans foliis 211. sæculi XV. in quo

Fol. 1. CONSTANTINI *Cassinensis Monachi libri de cognitione & curatione morborum*, initio mutili.

Fol. 81. *Antidotarium* alphabeti ordine concinnatum, sine autoris nomine.

Fol. 202. *Plantarum elenchus per nomina*, cum interpretatione *interlineari.*

CODEX CMXXXIX. *i.* I. 35.

Membranaceus, habens folia 44. sæculi XIV. in quo

Fol. 1. JOHANNICII *Isagoge in artem parvam Galeni.*

Fol. 8. HIPPOCRATIS *aphorismi.*

Fol. 19. Ejusdem *prognosticon liber.*

Fol. 23. *Incipit liber urinarum a voce* THEOPHILI.

Fol. 30. *Incipit liber pulsuum a voce* PHILARETI.

Fol. 32. *Liber tegni* GALENI, mutilus in fine.

CODEX CMXL. *i.* I. 39.

Membranaceus, constans foliis 60. sæculi XIV. cui titulus:

Incipit liber abreviatus aprobatus verissimus thesaurus rosarius philosophorum ac omnium secretorum maximum secretum & verissima compositione naturalis philosophie qua omne diminutum reducitur ad perfectum solificium & lunificium, jussu Roberti Je-

Digitized by Google

Jeruſalem, & Siciliæ Regis, ſed abſque autoris nomine.

CODEX CMXLI. *i.* I. 40.

Membranaceus, cui folia 92. ſæculi XV. admodum elegans, aureis literis, variiſque ornamentis, & ſtemmate *Regiæ Domus Sabaudiæ* inſignitus, tractatum continet *Moralem* erudiendo Principi accommodatum, PHILIBERTO *Sabaudiae Duci Beati* AMEDEI & YOLANDÆ *filio* inſcriptum. Deſideratur autoris nomen; ex contextu tamen colligitur, eum in *Taurinenſi Academia* legum interpretis munere functum fuiſſe.

Tres in fronte codicis conſpiciuntur tabellæ, in quarum prima exhibetur YOLANDA Philibertum piis monitis, optimaque doctrina imbuens, ſuperſcriptis his verbis:

Fili Deicola ſis. Magiſtratus corrige. in ſubditos ſis uti paſtor ad oves. patienter audi. paucis crede. loquentis qualitatem penſa.

In ſecunda PHILIBERTUS fratres alloquitur. In tertia idem PHILIBERTUS veluti concionem habet, variis omnium ordinum viris adſtantibus.

CODEX CMXLII. *i.* I. 41.

Membranaceus, conſtans foliis 43. ſæculi XV. optimæ lectionis, duo complectitur LUCIANI opuſcula, ſcilicet veræ hiſtoriæ libros duos, atque unum ex triginta dialogis mortuorum, *Charontis* nempe, *Mercurii*, *Menippi*, *Charmolichi*, *Lampichi*, & *Damaſiæ*. Hæc latinitate donavit *Lilius Caſtellanus*, cujus etiam præmittitur epiſtola ad Marcum Piſtorienſem hoc initio: *Bene ac decenter animaſti Marce pater ut eos tibi libellos deſignarem quos vir eruditiſſimus & jucundiſſimus Lucianus Greco ſermone conſcripſit quoſque ego ſuperiori tempore noſtros feceram &c.*

Epiſtolam ſequitur prologus Cardinali cuidam inſcriptus, cujus nomen per literas tantum initiales indicatur hoc modo: *ad Reverendiſſimum P. L. Op. Romanæ Eccleſiæ Cardinalem*. Incipit autem: *Si plures dignitati tue debent Reverendiſſime Pater ego magis debeo. neque quemvis alium facile inveniri puto: cui aut cumulatius contuleris, aut paterni amoris ſigna fortius demonſtraveris &c.*

Dialogo pariter præit interpretis epiſtola, ſine ulla tamen inſcriptione, cujus initium: *Sepe ac multum ea mente cogitavi que hac temporum clade de morte funerali pompa contemnendo graviter ac ſapienter ſolitus es mecum diſſerere &c.*

Nullam porro *Lilii Caſtellani* mentionem factam invenimus ab Alberto Fabricio in tom. III. *Bibliothecæ Græcæ*, ubi *Luciani* opera, & varios eorum interpretes recenſet. Ut vero hujus interpretationis ſpecimen aliquod habeat Lector, initium afferre placet prioris libri *verae hiſtoriae*.

Egreſſus olim ab Herculeis columnis: & in Heſperum Oceanum delatus: ſecundis quidem flatibus navigabam. Cauſa autem peregrinationis & argumentum mentis ſolertia: novarumque rerum deſiderium: ſcireque cupiebam: quis ſit Oceani finis: quique homines ultra Oceanum inhabitent &c.

Ad calcem totius Codicis multa leguntur carmina, & inter hæc ſequentia ſatis Latina, & elegantia:

Ad Paulum.

Cum doceas pueros neque enim potes ipſe negare
Cur preceptoris nomina Paule fugis.
Qui non vult dici miles fugit horrida bella
. . . . . .
Navita qui non vult dici tumida equora vitat.
Rura fugit qui non ruſticus eſſe cupit.
Tu quoque ſi non vis preceptor Paule vocari
Quod nunc Paule facis ne doceas pueros.

Nux Pontica.

Nil mihi duricies prodeſt: ſi mollior eſſem
Parceret a tritu petra lapiſque meo.

Digitized by Google

Epitaphium Virginis Delie.

Cypria cui formam dedit & ſua munera Pallas
Marmoreo tegitur Delia ſarcophago.

Bacchus fictilis vina prebens.

Liber pampinea redimitus tempora fronde
Leticiam populis delitiaſque fero.
Vina jocum cantuſque cient placidamque choream
Vina ſanos rapiunt Cypridis in furias.

CODEX CMXLIII. *f.* I. 45.

Chartaceus, habens folia 108. ſæculi XV. in quo *Liber de regimine Principum editus a Fratre* EGIDIO ROMANO *Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini.*

CODEX CMXLIV. *i.* II. 19.

Membranaceus, conſtans foliis 33. ſæculi XV. in quo

Fol. 1. *Brevis tractatus & introductorius ad judicia aſtronomie*, cujus autor non deſignatur. In fine nonnulla metrico numero exarata leguntur circa planetarum aſpectus, & ſigna Cœleſtia.

Fol. 21. MARBODI *tractatus de ſexaginta lapidibus*, in compendium redactus ſoluta oratione, ad cujus calcem *conſecratio lapidum precioſorum.*

Fol. 28. *Ars Ciromantie compilata ex multis ſapientibus*, abſque autoris nomine.

CODEX CMXLV. *i.* II. 22.

Chartaceus, conſtans foliis 213. ſæculi XV. in quo

Fol. 1. *Liber* JOANNIS *Hyſpalenſis de quatuor partibus Aſtronomiae*, quibus præit *Iſagoge.*

Fol. 51. Tractatus alter ejuſdem generis, ad cujus calcem hæc leguntur. *Perfectus eſt liber Meſſahala translatus a Joanne Hyſpalenſi.* Sequuntur deinde nonnulla de *natrivitatibus*, aliiſque ſimilibus, parvi utique momenti, cum tabulis aſtronomicis.

CODEX CMXLVI. *i.* II. 24.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, habens folia 90. ſæculi XV. ineuntis, cui titulus: *Novus Quadrans correctus Piſis a Magiſtro* PETRO DE SANCTO ANDEMARIO. Sunt in eo multæ aſtronomicæ tabulæ.

Fol. 84. *Canones ad conficiendas Ephemerides.*

Fol. 87. *Canones aſtronomiæ.*

CODEX CMXLVII. *i.* II. 44.

Chartaceus, conſtans foliis 35. ſæculi XVI. in quo PETRI PEREGRINI *Maricurtenſis de magnete, ſeu rota perpetui motus libellus Divi Ferdinandi Romanorum Imperatoris auſpicio per Achillem P. Gaſſerum promulgatus.*

In fine ſunt pauca *Gaſſeri* carmina cum elencho veterum ſcriptorum de *Magnete.*

CODEX CMXLVIII. *i.* II. 45.

Membranaceus, cui folia 213. ſæculi XV. tractatum *Anonymi* ſcriptoris continet *de febribus*, in quinque partes diſtributum.

CODEX CMXLIX. *i.* II. 46.

Chartaceus, habens folia 249. ſæculi XVII. in quo *Tractatus de inſtituenda curatione morborum fere omnium, quibus affici ſolent humana corpora per* JOANNEM DE REMOND, ut in Codice *i.* I. 11.

CODEX CML. *i.* II. 47.

Chartaceus, cui folia 275. ſæculi XVI. Eſt FRANCISCI VALERIOLÆ opuſculum, propria ipſius manu exaratum, nempe *loci communes ex Galeni operibus.*

CO-

Digitized by Google

CODEX CMLI. *i.* III. 1.

Membranaceus, duplici exaratus columna, habens folia 40. ſæculi XV. in quo *Lynconenſis* cujuſdam Epiſcopi, qui forte fuerit ROBERTUS cognomine CAPITO, *commentaria in libros Ariſtotelis Poſteriorum.*

CODEX CMLII. *i.* III. 2.

Membranaceus, conſtans foliis 94. ſæculi XIV. finem verſus, in quo ARISTOTELIS *organum*, præfixa *Porphyrii Iſagoge in Categorias*, abſque interpretis nomine.

CODEX CMLIII. *i.* III. 3.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 55. ſæculi XIV. in quo ARISTOTELIS *Methaphyſicorum libri.*

CODEX CMLIV. *i.* III. 4.

Chartaceus, habens folia 254. ſæculi XVI. in quo *Commentaria in libros* ARISTOTELIS *de Cælo*, autoris *Anonymi.*

CODEX CMLV. *i.* III. 5.

Membranaceus, foliis conſtans 93. ſæculi XIV. libros XIX. *hiſtoriæ animalium* complectitur ARISTOTELIS. Sub hoc titulo plures continentur libri, quos Ariſtoteles ſcripſit tum de hiſtoria, tum de partibus, & generatione animalium.

Eodem modo intelligit Albertus Fabricius, quod vulgo dicitur, libros XIX. *hiſtoriæ animalium Ariſtotelis* ſupereſſe apud Arabes, ideſt plures libros ſimul collectos *Ariſtotelis de animalibus*, qui in editionibus diverſis gaudent titulis.

CODEX CMLVI. *i.* III. 8.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, conſtans foliis 165. circa finem ſæculi XIV. in quo *Tractatus logicus*, ſine autoris nomine.

CODEX CMLVII. *i.* III. 9.

Chartaceus, habens folia 241. ſæculi XVI. in quo *Dialecticæ artis expoſitio*, ſcholaſtico more, ignoti plane autoris.

CODEX CMLVIII. *i.* III. 10.

Chartaceus, conſtans foliis 67. ſæculi XV. commentaria exhibet in libros *Phyſicorum* ARISTOTELIS, prætermiſſo pariter autoris nomine.

CODEX CMLIX. *i.* III. 11.

Chartaceus, habens folia 65. ſæculi XV. in quo Commentaria in eoſdem libros *Phyſicorum*, ignoti pariter autoris.

CODEX CMLX. *i.* III. 13.

Chartaceus, habens folia 79. ſæculi XV. in quo *Cayetani de Tienis expoſitio ſuper libros de anima Ariſtotelis.* Ad calcem eſt *epigramma in Leonem Ducem Borſii*: quod incipit:

Clauſus in extremis Regalis partibus aule
Infremit Inſubri miſſus ab urbe Leo &c.

CODEX CMLXI. *i.* III. 14.

Chartaceus, habens folia 53. ſæculi XIV. in quo *Quaeſtiones philoſophicae ex dictis Joannis Scoti ab ejus auditore Antonio Andrea collectae ſuper Porphyrium & librum praedicamentorum Ariſtotelis.*

CODEX CMLXII. *i.* III. 16.

Chartaceus, conſtans foliis 68. ſæculi XV. Sunt FRANCISCI MAYRONIS *expoſitiones ſuper univerſalia & praedicamenta Ariſtotelis.*

CO-

Digitized by Google

CODEX CMLXIII. *i.* III. 17.

Chartaceus, cui folia 47. ſæculi XV. Eaſdem continet MAYRONIS expoſitiones.

CODEX CMLXIV. *i.* III. 18.

Chartaceus, conſtans foliis 327. ſæculi XVI. *quæſtiones* exhibet ALBERTI DE SAXONIA *in libros Peribermenias & Priorum Ariſtotelis*.

CODEX CMLXV. *i.* III. 19.

Chartaceus, habens folia 39. ſæculi XV. cui titulus: *Compendium breve & valde utile in phyſicam naturalem editum ab excellentiſſimo Doctore Fratre Alberto Teuthonico de Ordine Predicatorum condam Epiſcopo Ratiſponenſi*.

CODEX CMLXVI. *i.* III. 20.

Partim membranaceus, partim chartaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 91. ſæculi XV. in quo ALBERTI MAGNI *diſputationes in libros Poſteriorum Ariſtotelis*.

CODEX CMLXVII. *i.* III. 21.

Chartaceus, duplici exaratus columna, habens folia 211. ſæculi XV. in quo PETRI HISPANI *Logica*.

CODEX CMLXVIII. *i.* III. 22.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 255. ſæculi XV. Eſt eadem PETRI HISPANI Logica, additis excerptis nonnullis parvi momenti.

Fol. autem 34. Sequitur opuſculum metricum, commentario explanatum, cui titulus *Diſtigium magiſtri* JOHANNIS DE GARLANDIA Grammatici, & Poetæ Angli, qui claruit circa annum 1040. & cujus varia opera tum edita, tum MSS. recenſet Fabricius Tom. III. *Bibliotheca Med. & Inſim. Latin. pag.* 56. nulla tamen *Diſtigii* facta mentione.

CODEX CMLXIX. *i.* III. 23.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, habens folia 138. ſæculi XV. in quo DOMINICI DE FLANDRIA, *Ordinis Prædicatorum quæſtiones in libros Poſteriorum, atque de anima Ariſtotelis*.

CODEX CMLXX. *i.* III. 24.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, conſtans foliis 126. ſæculi XV. Habentur in eo *quæſtiones in librum I. Poſteriorum* ARISTOTELIS, prætermiſſo autoris nomine.

CODEX CMLXXI. *i.* III. 27.

Chartaceus, folia habens 82. duplici columna, & multiplici exaratus charactere, ſæculi XV. in quo

Fol. 1. *Commentaria in octo libros Phyſicorum*. Interpretis nomen in fine ſcriptum, arte deletum fuit.

Fol. 37. *Opuſculum ſuper eoſdem phyſicorum libros* RICHARDI LAVVENHAN *Ordinis Beatæ Mariæ Genitricis de Monte Carmelo*.

Fol. 73. BURLEI *Tractatus de potentiis animæ*.

CODEX CMLXXII. *i.* III. 28.

Membranaceus, habens folia 42. ſæculi XV. in quo *Logica Venerabilis Magiſtri* PAULI PRIGUSENSIS.

CODEX CMLXXIII. *i.* III. 31.

Membranaceus, conſtans foliis 66. ſæculi XIV. commentaria exhibet in octo libros *Phyſicorum Ariſtotelis*, cum adnotationibus in margine, ſine autoris nomine.

CO-

Digitized by Google

CODEX CMLXXIV. *i.* III. 32.

Chartaceus, cui folia 304. ſæculi XVI. Sunt in eo *Quæſtiones in univerſam phyſicam* ORLANDI FRESII *a Monte Calvo*.

CODEX CMLXXV. *i.* III. 33.

Chartaceus, habens folia 323. ſæculi XVI. alterum continet volumen earumdem quæſtionum.

CODEX CMLXXVI. *i.* III. 34.

Chartaceus, cui folia 224. ſæculi XVI. Eſt volumen tertium earumdem quæſtionum ORLANDI FRESII.

CODEX CMLXXVII. *i.* III. 35.

Chartaceus, habens folia 174. ſæculi XVI. ubi JOANNIS RIOLANI *Ambiſini prolegomena in Ariſtotelis Logicam*; tum ſcholia in *Categorias*, & libros de *interpretatione*, de *prima reſolutione*, de *demonſtratione*, *Topicorum*, nec non *Ethicorum*.

CODEX CMLXXVIII. *i.* III. 36.

Partim membranaceus, partim chartaceus, habens folia 118. ſæculi XV. in quo *Quæſtiones in libros Phyſicorum Ariſtotelis*, ſine autoris nomine.

CODEX CMLXXIX. *i.* III. 37.

Chartaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 136. ſæculi XVI. cui titulus, *Ars reſpondendi*, autore ORLANDO FRESIO *a Monte Calvo*.

CODEX CMLXXX. *i.* III. 38.

Chartaceus, conſtans foliis 36. ſæculi XV. Eſt Logicæ compendium, prætermiſſo autoris nomine.

CODEX CMLXXXI. *i.* III. 39.

Chartaceus, habens folia 95. ſæculi XV. continet

I. Tractatum PETRI THOMÆ *Ordinis Minorum de formalitatibus*.

II. *Libellum Fratris* AUGUSTINI DE ROMA *Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini ad Magiſtrum Paganinum circa quæſtionem, num divinitas Chriſti ab anima & corpore ſeparata fuerit poſt mortem*.

III. Opuſculum de *communicatione idiomatum*, & pauca de *proportionibus*, parvi ceteroquin momenti.

CODEX CMLXXXII. *i.* III. 42.

Chartaceus, habens folia 150. ſæculi XV. ubi liber de vita, & moribus philoſophorum, idem, qui in Codice *i.* V. 41.

CODEX CMLXXXIII. *i.* III. 43.

Membranaceus, cui folia 68. ſæculi XIV. eleganti, nitidoque charactere exaratus, & imaguncula perbelle picta in fronte inſignitus, ubi SEVERINI BOETII *liber de conſolatione philoſophiæ*, cum adnotationibus *interlinearibus*.

CODEX CMLXXXIV. *i.* IV. 9.

Membranaceus, conſtans foliis 76. ſæculi XIV. finem verſus, decem libros continet *Ethicorum* ARISTOTELIS, latine redditos ab ignoto interprete.

CODEX CMLXXXV. *i.* IV. 10.

Chartaceus, conſtans foliis 80. ſæculi XV. Iidem habentur *Ethicorum* libri ex interpretatione *Leonardi Aretini*. Deeſt præfationis initium, totuſque liber X.

CODEX CMLXXXVI. *i.* IV. 11.

Membranaceus, habens folia 96. ſæculi

Digitized by Google

culi XV. nitidi characteris, & nonnullis instructus ornamentis, eosdem continet *Ethicorum* libros, eodemque interprete LEONARDO ARETINO.

CODEX CMLXXXVII. *i.* IV. 16.

Membranaceus, sæculi XV. vario scriptus charactere, foliis constans 93.

Fol. 1. SEVERINI BOETII *Arithmetice* cum adnotationibus in margine. Addita sunt nonnulla de *Boetii* nominibus, & dignitatibus.

Fol. 51. *Somnium Scipionis cum Macrobii expositione.*

CODEX CMLXXXVIII. *i.* IV. 17.

Chartaceus, constans foliis 193. sæculi XV. cui titulus: *Cato floridus.* Sunt nimirum sententiæ cum soluta, tum metrica oratione scriptæ, quæ sub adscititio *Catonis* nomine circumferuntur, una cum morali expositione ex sacris paginis, & Sanctis Patribus excerpta.

Fol. 172. *Sermo in honorem* B. M. V. sine autoris nomine, cujus initium: *In laude Virginis glorioſe omnis humana eloquentia deficit &c.*

Sequitur deinde tabula rationem demonstrans inveniendi Paschatis, post quam carmina nonnulla incondita prorsus de *signis mortis*, de *gaudiis Paradisi*, nec non ad tumulum *Guillelmi Marchionis Montisferrati* defuncti anno 1483. *die* 8. *Martii.*

Fol. 179. Pauca habentur de vita, & sanitate hominis tuenda.

CODEX CMLXXXIX. *i.* IV. 19.

Chartaceus, habens folia 46. sæculi XV. ubi SEVERINI BOETII *liber de consolatione philosophiæ*, additis nonnullis versiculis in fine, quibus inveniendi paschatis ratio traditur.

CODEX CMXC. *i.* IV. 40.

Membranaceus, duplici scriptus columna, constans foliis 179. circa finem sæculi XIV. Librum continet ÆGIDII ROMANI *Ordinis Eremitarum Sancti Augustini de regimine Principum.*

CODEX CMXCI. *i.* IV. 46.

Chartaceus, cui folia 87. sæculi XV. Est SEVERINI BOETII *liber de consolatione philosophiæ.*

CODEX CMXCII. *i.* IV. 48.

Membranaceus, constans foliis 24. optimæ notæ, sæculi XV. in quo

CATONIS *Sententiæ & disticha moralia*, adjecta Italica paraphrasi.

CODEX CMXCIII. *i.* IV. 53.

Membranaceus, cui folia 53. sæculi XV. auro, variisque coloribus passim ornatus, præter imagunculam, quæ est in libri aditu, *præcepta* continet ARISTOTELIS *ad Alexandrum*, omnino ut in Codice *i.* I. 6. Præit *Philippi* cujusdam Clerici præfatio, *Venerabili Guidoni de Valentia Civitatis Tripolis Pontifici* nuncupata.

CODEX CMXCIV. k. I. 1.

Membranaceus, constans foliis 98. sæculi XIV. in quo METAMORPHOSEON *libri XV.* additis in margine adnotationibus.

CODEX CMXCV. k. I. 2.

Chartaceus, habens folia 100. sæculi XV. in quo primum OVIDII *Fastorum libri sex*; postea

Fol. 97. Fragmentum veteris Kalendarii Romani, mensium scil. *Januarii*, *Februarii*, *Martii*, *Aprilis*, *Maii*, & *Junii.*

CODEX CMXCVI. k. I. 5.

Chartaceus, constans foliis 71. sæculi

Digitized by Google

culi XV. Continet quamdam *Anonymi* Poetæ Comœdiam, cujus titulus videtur fuiſſe PHILOGEMA, ad *Terentii* imitationem non infeliciter ſcriptam.

Præmittitur Comœdiæ argumentum, quod ita ſe habet.

Philogemam cum amaret Epifebus perdite ſuaſu & precibus eam noctu tandem domo abduxit. & clam parentibus. Cum quereretur urbe tota ad Heuſonium traducta eſt. Porro ad alium ut lateret. Hoc ubi vidit Epifebus Philogemam apud ſe eſſe non poſſe diutius hanc pro Virgine Ezobio dat uxorem aſtu ſuo & huic lene figmentum. Itaque deſpondetur Philogema & Ezobius ea potitur uxore.

Ludunt primam ſcenam *Epifebus*, & *Nicomius*, atque hoc pacto incipiunt.

Vere poſſum hoc dicere mi Nicomi amore me perditum & miſerum. atque omnem etatem meam contriviſſe. Dum amori operam dedi. utque uno verbo expediam. amavi fruſtra. Dii Boni. Tanta ne duritia affectus queque ut amori non reſpondeat &c.

Excipit NICOMIUS hiſce verbis: *Quamobrem iſthec dicis &c.*

Fol. 49. Sunt AULI PERSII *Satyræ*.

Ad calcem legitur.

Finito libro ſub anno 1460. *die* 24. *Novembris.*

CODEX CMXCVII. k. I. 7.

Membranaceus, conſtans foliis 84. ſæculi XIII. in quo Q. HORATII FLACCI *Opera*, additis intra textum, & in margine adnotationibus, plerunque ad *Etymologiam* verborum ſpectantibus.

CODEX CMXCVIII. k. I. 8.

Membranaceus, habens folia 130. ſæculi XV. in quo LUCANI *Pharſalia*, cum Scholiis in margine. Præit tetraſtichon.

Corduba me genuit. Rapuit Nero. Prelia dixi
Que geſſere pares hinc Socer inde Gener.

Pars II.

Continuo nunquam direxi carmina ductu
Que tractim ſerpant. plus mihi comma placet.

Idem prorſus, quod in antiquis Codicibus legit Albertus Fabricius *Bibliothecæ Latinæ* tomo I. pag. 450. aſt adjectis aliis duobus verſibus (unde fit Hexaſtichon) qui in noſtro Codice deſiderantur: nempe

Fulminis in morem quae ſunt miranda citentur.
Haec vero ſapiet dictio quae feriet.

CODEX CMXCIX. k. I. 15.

Chartaceus, conſtans foliis 19. ſæculi XV. Continet cujuſdam RIGETI, poetæ ineptiſſimi querimonias de Fortuna ad inſtar *lamentationum Jeremiæ Prophetæ*:

Quamodo ſola ſedet probitas flet ingemit Aleph
Facta velut vidua que prius uxor erat.
Cui de te Fortuna querar. cui neſcio quare
Perfida me cogis turpia verba pati &c.

In fine.

Explicit Rigetus de Fortuna.

CODEX M. k. I. 32.

Membranaceus conſtans foliis 33. ſæculi XV. in quo LEPIDI *Poetæ Comici* Comœdia PHILODOXIOS, Terentiano ſtylo ſcripta.

Sub *Lepidi* perſona latuiſſe *Baptiſtam Albertum*, putat Albertus Fabricius *Bibliothecæ Latinæ* tomo II. pag. 199. Nonnulli autem *Carolum Aretinum*.

Fabulæ argumentum his verbis incipit: *Philodoxus adoleſcens Doxiam Romanam civem amat perdite. Eſtque illi fide optuma & ſingulari amicitia conjunctus Frontiſis &c.*

Digitized by Google

CODEX MI. *k.* I. 37.

Membranaceus, conſtans foliis 11. ſæculi XVI. in quo JUVENALIS ANCINÆ *Foſſanenſis* Poetæ ad CAROLUM EMMANUELEM *Sabaudiæ Ducem*, qui ex lethali morbo convaluerat, *gratulatio*, elegiacis numeris ſcripta anno 1584. Opuſculum Roſſotto ignotum.

CODEX MII. *k.* I. 52.

Chartaceus, habens folia 5. ſæculi XVI. Continet ANTONII BERGÆ *Taurinenſis Civis* Orationem Panegyricam ad EMMANUELEM PHILIBERTUM *Allobrogum Ducem*. Latuit & hæc oratio Roſſottum, qui alioquin opera *Antonii Bergæ* diligenter recenſuit.

CODEX MIII. *k.* I. 56.

Chartaceus, conſtans foliis 11. ſæculi XVI. in quo CLAUDII PARENTII *Carmina Epithalamica* ad EMMANUELEM PHILIBERTUM *Sabaudiæ Ducem*, & MARGARITAM VALESIAM *Franciſci primi Galliarum Regis Filiam*.

CODEX MIV. *k.* I. 87.

Chartaceus, ſæculi XVI. conſtat foliis 14. Eſt DRAMMA heroicis verſibus ſcriptum de *Inſula Rhodo*, ob Principum Chriſtianorum diſcordiam a Turcis capta, non memorato Poetæ nomine.

En ſpecimen a *Turcæ* perſona deſumtum.

Vindictae impatiens mihi ſuggerit ira furores
Bellorum, quotiens oculis praefigo quot olim
Millibus exiguam Rhodiorum cinximus urbem
Quotque equitum paucis defenſa cohortibus, omnes
Turcarum medio disjecerit equore &c.

CODEX MV. *k.* I. 116.

Membranaceus, ſæculi XVI. conſtat foliis 14. Eſt RENATI LUSINGII *Alymæi* de *Nuptiis* CAROLI I. *Sabaudiæ Ducis*, & CATHARINÆ *ab Auſtria* Carmen; a Roſſotto prætermiſſum in *Syllabo Scriptorum Pedemontanorum*.

In fine adjecta eſt epiſtola ejuſdem *Renati Luſingii* Gallico idiomate ſcripta ad CAROLUM EMMANUELEM I. in qua emblematis a Regio Duce aſſumti explicationem tradit.

CODDX MVI. *k.* I 131.

Chartaceus, folia habens 21. ſæculi XVII. in quo MATTHÆI DE LOSTAN *Verruca ſervata*. Poema heroicum VICTORIO AMADEO *Sabaudiæ Duci* nuncupatum anno MDCXXVIII. Incipit.

Poſt domitos Ligures aſſuetaque caſtra triumphis
Allobrogum Caroli imperio Verruca ſequetur
Hectorea ſervata manu. Mea plectra movete
Pierides. rigidi Martis ſunt vota laborum.
Concelebrate decus perque ipſa periculą cautum
Heroem aeternis victorem pandere ſaeclis &c.

CODEX MVII. *k.* I. 144.

Chartaceus, conſtans foliis 16. ſæculi XVI. Continet PHILIBERTI CUFFI *Vigonenſis* carmina ſacra. Primum eſt ad CHRISTUM, cujus initium:

Summe hominum factor poenarum oblite tuarum
Largitor Sacri Sanguinis Etherei &c.

CODEX MVIII. *k.* I. 143.

Membranaceus, habens folia 3. ſæculi XVI. in quo JACOBI DE AMEDEO *Signiferi Secuſiæ, totiuſque Vallis* Carmen

Digitized by Google

men de *Laudibus* REGALIS SABAUDÆ DOMUS, perpaucis verſibus comprehenſum, & barbariem ubique redolens.

CODEX MIX. *k.* II. 1.

Membranaceus, conſtans foliis 256. ſæculi XIV. ſummæ elegantiæ, & venuſtatis, in quo NONII MARCELLI *de ſignificatione verborum*.

CODEX MX. *k.* II. 1.

Membranaceus, cui folia 80. ſæculi XIV. Eſt *Doctrinale puerorum*, fuſo commentario illuſtratum.

Auctor opuſculi eſt ALEXANDER DE VILLA DEI *Ordinis Minorum*, qui ſeculo XIII. florebat. Commentarium autem confecere FACINUS TIBERGA *Salutienſis*, & LUDOVICUS DE GUASCHIIS, & utrumque ſimul junctum prodiit anno 1433. & 1497. uti ſcribunt Roſſottus pag. 197. & Oudinus tomo III. pag. 154. qui inſuper plures MSS. Codices ejuſdem operis in *Angliæ Bibliothecis* lateſcentes enumerat.

CODEX MXI. *k.* II. 2.

Membranaceus, conſtans foliis 36. ſæculi XIV. Eſt idem *Doctrinale Puerorum* ALEXANDRI DE VILLA DEI, ſed abſque commentario. Additæ dumtaxat ſunt in margine nonnullæ adnotationes.

CODEX MXII. *k.* II. 3.

Chartaceus, habens folia 87. ſæculi XIV. Continet BARTHOLOMÆI PASCHALIS *Extractum*, ſive de *arte Grammatica tractatum* ad *Johannem Ludovicum Salutiarum Marchionem*, ut ex præfatione colligitur.

CODEX MXIII. *k.* II. 4.

Chartaceus, habens folia 122. ſæculi XV. in quo rurſus idem Tractatus BARTHOLOMÆI PASCHALIS *de Arte Grammatica*.

CODEX MXIV. *k.* II. 5.

Membranaceus, conſtans foliis 24. ſæculi XIV. ubi FRANCESCONI *Grammatica*, cum præfatione, quæ incipit: *Ut ad ſapientiam per Grammaticam venire poſſimus &c.*

CODEX MXV. k. II. 6.

Membranaceus, ſæculi XIV. conſtat foliis 51. Eadem habetur FRANCESCONI *Grammatica*, æademque præfatio.

CODEX MXVI. *k.* II. 10.

Membranaceus, ſæculi XV. ob initiales literas auro, variiſque coloribus pictas præſtantiſſimus, habet folia 211. Continentur in eo libri XII. *Æneidos* VIRGILII.

CODEX MXVII. *k.* II. 11.

Membranaceus, conſtans foliis 146. ſæculi XV. & multiplici ornamentorum genere elegantiſſimus, libros XV. complectitur *Metamorphoſeon* OVIDII.

CODEX MXVIII. *k.* II. 14.

Membranaceus, conſtat foliis 116. ſæculi XV. optimæ notæ, venuſtique characteris. Habentur in eo TERENTII *Comoediæ*.

CODEX MXIX. k. III. 2.

Membranaceus, conſtans foliis 79. ſæculi XV. elegantiſſime ſcriptus, & literis initialibus minio, varioque colore pictis inſignis. Eſt *liber miraculorum B. M. V.*

Initio codicis eſt tabula, ſive ſeries miraculorum, quæ in libro narrantur.

Digitized by Google

CODEX MXX. *k.* III. 3.

Membranaceus, habens folia 105. ſæculi XIII. in quo ODONIS *Cluniacenſis Abbatis de Vita S. Geraldi Comitis Aurelianenſis* libri IV. ad *Aymonem Abbatem*. Exſtant editi in *Bibliotheca Cluniacenſi* pag. 65. V. præterea Cave Tomo II. pag. 95. & Dupinium Tomo VIII. pag. 49.

Fol. 37. Vita S. VILLELMI, non memorato Scriptoris nomine. Prologus incipit his verbis: *Ad ſummam Dei gloriam & laudem de B. Villelmi Vita &c.*

Meminit hujuſce opuſculi Guilielmus Cave tomo II. pag. 41. & ejus *Anonymum* autorem putat ante ſæculum XI. floruiſſe.

Fol. 47. *Vita glorioſiſſime Marthe* Xpi *hoſpite a B. Marcilla ejus famula & filiola in Ebreo prius edita. & per eam in Latinum Sermonem per Sinticem de Ebreo translata*. Incipit: *S. Eccleſie tipum B. Martha* Xpi *diſcipula &c.*

Fol. 56. *Elucidarium ideſt diverſarum Rerum expoſitio*; ſive, ut in editis, *Dialogus Chriſtianæ Theologiæ*, inter opera dubia S. ANSELMI *Cantuarienſis Archiepiſcopi* relatus *pag.* 457. *appendicis*.

Collato MS. Codice cum editis a Gabriele Gerberon, multas primum deprehendimus variantes lectiones, quæ in verborum tranſpoſitione ut plurimum conſiſtunt. Poſtea nullam in MS. eſſe capitum partitionem, & loca Scripturæ, & SS. Patrum, ex quibus conflatum eſt *Elucidarium*, citari in margine; tum inverſum eſſe librorum ordinem: qui enim in Regio Codice eſt liber tertius, in editis ſecundum occupat locum.

Ceterum hæc pars Codicis ſcripta videtur ſæculo XII.

Fol. 94. *Expoſitio Orationis Dominicæ*, autore MAJONE MAGNO AMMIRATO. Præit epiſtola ad *Stephanum Ammiratum filium*, quæ incipit: *Stabilia & caduca noſtra & ſi noſtra tantum boni nominis velamine palliata te fili Kariſſime &c.* Hoc autem AMMIRATI opuſculum ſæculi XV. notam præſefert.

CODEX MXXI. *k.* 4.

Membranaceus, habens folia 115. ſæculi XII. ubi *Vita* S. MARTIALIS *Epiſcopi, qui unus ex ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis fuit. & ab eo per Petrum in Galliam miſſus omnes provincias ipſius regionis cum Rege Stephano convertit. Ubi per annos XXVIII. permanens virgo & plenus Spiritu Sancto aſſumptus eſt in pace II. Kal. Julii*. Ita ſe habet titulus, & quidem minio ſcriptus. Vitæ autem narrationi præmittuntur nonnulla carmina, rudia admodum, & impolita:

Chriſtus principium finis lux eſt via
Chriſtus
Nomine cujus in almifico ſemperque beato
Marcialis reſonant hic veraciſſima geſta &c.

Narratio vero ſic incipit: *Predicante Domino Noſtro Jheſu Chriſto aput Judeam in Tribu Beniamin. confluebat ad eum multa turba Judeorum. deferens ei que neceſſaria erant ad manducandum & bibendum. ſimulque audire deſiderans que ad animarum pertinent ſalutem. In cujus medio venit ad eum ex ſupradicta tribu. vir quidam nobiliſſimus Judeorum nomine Marcellus. cum uxore ſua Eliſabete. & filio unico Marciale &c.*

De hujus hiſtoriæ veritate, fide, & autore conſulendi ſunt PP. Bollandiſtæ Tomo V. *menſis Junii* pag. 539. *die* XXX.

Fol. 45. *pag.* 2. Miracula a S. MARTIALE patrata, quæ ex vita S. ELIGII excerpta dicuntur.

Fol. 49. Homiliarum S. GREGORII PAPÆ fragmenta.

Fol. 102. Capita duo priora libri primi de *Vita contemplativa*, quæ etſi in Regio Codice S. PROSPERI dicantur, JULIANO tamen POMERIO, ut alibi indicavimus, certiſſime tribuenda ſunt.

Fol. 105. ORIGENIS *Omelia in illa verba Evangelii ſecundum Mattheum*,

Egreſ-

Digitized by Google

Egreſſus Jeſus ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis &c.

Fol. 114. *pag.* 2. S. GREGORII *in illa verba*, Surge Aquilo & veni Auſter &c. Eſt numerus XXI. cap. IV. expoſitionis *Cantici Canticorum* Tom. III. *Operum*.

CODEX MXXII. *k.* III. 5.

Membranaceus, conſtans foliis 232. ſæculi XIV. ubi FRATRIS JACOBI DE VORAGINE *Vitæ Sanctorum*, præmiſſo earundem indice.

CODEX MXXIII. *k.* III. 6.

Membranaceus, habens folia 295. ſæculi XIV. mutilus principio, eaſdem continet FRATRIS JACOBI DE VORAGINE *Vitas Sanctorum*.

Fol. 285. Eſt fragmentum *Chronicorum*, ſcriptum, ut nobis quidem videtur, ſæculo XIII. & mutilum principio. Continet autem res geſtas tum in *Oriente*, tum in *Occidente*, & clauditur his verbis: *Denique Gregorius* (ſcilicet IX.) *multis tribulationibus preſſus moritur, & Innocentius IIII. natione Januenſis Concilium apud Lugdunum convocans ipſum* (ideſt Fridericum Imperatorem) *depoſuit. Quo depoſito & defuncto ſedes Imperii huſque hodie vacat.*

CODEX MXXIV. *k.* III. 7.

Membranaceus, ſæculi XIV. conſtat foliis 229. Habentur rurſus in eo FRATRIS JACOBI DE VORAGINE *Vitæ Sanctorum*.

In fine.

Expliciunt Vite & Paſſiones Sanctorum ordinate a Fratre quodam Predicatore.

CODEX MXXV. *k.* III. 8.

Membranaceus, habens folia 265. ſæculi IX. vel initio X. ſcriptus, literis initialibus aureis, & vario colore diſtinctis ornatus, continet *Vitas*, & *Paſſiones Sanctorum*, eo, quo exſcripturi ſumus, ordine, præmiſſo characteris ſpecimine.



INCIP. PASSIO

Longini militis. Et Centurionis. Qui Dno latere lancea percuſſit

Diebus illis fuit quidam milis Centurio nomine longinus qui crucem dni adſtans juſus a poncio pilato praeſide Latus dni lancea percuciens aperuit. Ed videns ſigna que

Fol.

Digitized by Google

Fol. 1. Eſt *Paſſio* S. Quintini *Martyris, quod eſt* XII. *Kal. Octobris.* Incipit: *Sanctum atque perfectum glorioſumque Sancti Quintini referre Martyrium &c.*

Fol. 8. *Paſſio* S. Apofteri, cujus initium: *In tempore illo quo Dignus Rex regnabat in Sicmon fuit homo &c.*

Fol. 16. *Paſſio* S. Longini Militis & Centurionis. *Qui Domino latere lancea percuſſit.* Incipit: *Diebus illis. Fuit quidam milis Centurio nomine Longinus qui Crucem Domini adſtans juſus a Poncio Pilato praeſide latus Domini Lancea percuciens aperuit &c.*

Fol. 20. *Paſſio Sanctorum Germanorum* Speusippi & Meleusippi. & Eleusippi; cujus initium: *Glorioſa Martyrum certamina ſtudioſius perſequi Chriſto auctore compellimur &c.*

Fol. 31. *Paſſio* S. Symforiani *Martyris.* Incipit: *Sub Aureliano Principe cum adverſus Chriſtianum nomen perſecutionis dire procella detonaret &c.* Vulgavit Ruinartius *pag.* 68. ex MSS. *Codicibus Abbatiæ Conchenſis* in Normannia, *Rosbacenſis Monaſterii*, & *Bibliothecae S. Germani a Pratis.*

Fol. 35. *Paſſio Sanctorum qui paſſi ſunt in Agauno* X. *Kal. Octobris.* Incipit: *Diocletianus quondam Romanae Reipublicae Princeps. cum ad Imperium totius orbis eſſet elatus &c.*

Fol. 43. *Paſſio Sanctorum* Crispini & Crispiniani *Martyrum.* Incipit: *Cum ſub Maximiano & Diocletiano qui ſimul imperii potiti &c.*

Fol. 49. *Vita* S. Remigii *Epiſcopi*; cujus initium: *Beatiſſimi Remigii Antiſtitis depoſitio &c.*

Fol. 54. *Paſſio Sanctorum Martyrum* Adriani *& Sociorum ejus.* Incipit. *In diebus illis factum eſt ut ingrederetur Maximianus Nicomediorum Civitatem &c.*

Fol. 66. *Paſſio* S. Agathæ *Martyris quae paſſa eſt in Provincia Siciliae. In urbe Catbenenſium ſub Decio Imperatore nonas Februarias.* Incipit: *Quintianus Conſolaris Siciliae audiens Sanctam opinionem Virginis Deo dicatae Agathae &c.* Typis edita legitur apud *Bollandiſtas* die V. *Februarii.*

Fol. 72. *Paſſio* S. Luciæ *Virginis & Martyris*; cujus initium: *Cum per univerſam Provinciam Sanctiſſimae Virginis Agathae &c.*

Fol. 76. *Paſſio Sanctae Virginis Domini* Lucejæ. *Die VII. Julias.* Incipit: *Lucaeja Virgo Dei Sanctimonialis Civis urbica capta eſt ab Auceja Rege Barbarorum &c.* Exſtat apud *Bollandiſtas* die XXV. *Junii.* Contulimus, & nonnihil diſcriminis deprehendimus.

Fol. 79. *Paſſio* S. Agnitis *Virginis. Quod eſt* XII. *Kal. Februarias.* Incipit: *Diem feſtum Sanctiſſimae Virginis celebremus &c.* Ediderunt *Bollandiſtæ die* XXII. *Januarii.*

Fol 84. *Vita & Converſatio* Antigoni, & *Sanctae Matronae* Eufraxiæ, cujus initium: *In diebus Theodoſii piiſſimi Imperatoris fuit vir quidam Antigonus nomine genere imperiale &c.*

Fol. 104. *Paſſio Sanctae ac Beatiſſimae* Eulaliæ *Virginis & Martiris; quae paſſa eſt IV. Idus Decembris ſub Calpurniano Praeſide.* Incipit: *Innumerus Populus. & infinita eſt multitudo quae pro Chriſti nomine crudeliſſimam mortem &c.*

Fol. 111. *Tmnus Sanctæ* Eulaliæ, cujus initium:

Laudem Beatae Eulaliae
Puram dicemus pectore.
Quam Chriſtus inter Martyres
Caſtas Sacravit Sanguine &c.

Fol. 111. *pag.* 2. *Paſſio Sanctae* Christinæ *Virginis.* Incipit: *Erat quaedam Sancta puella &c.*

Fol. 123. *Paſſio* S. Cyrici *qui paſſus eſt ſub die* X. *Idus Junias.* In margine hæc notantur, *omnino apocrypha.* Qua de cauſſa putamus, ab eodem, qui adnotationis autor fuit, abraſam etiam fuiſſe primam pagellam, ſi hæc verba, quibus *Paſſio* incipit, excipias, *In diebus Alexandri Praeſidis fuit &c.*

Hæc acta martyrii S. Cyrici edidit ex *Combefiſio* Ruinartius pag. 119. qui in *admonitione*, quam præmiſit hiſtoriæ *Paſſionis*, multa diſputat de eorum veritate, & fide.

Fol.

Digitized by Google

Fol. 134. *Passio Beati* LAURENTII *Martiris sive Arcidiaconi*, cujus initium: *Tempore illo milites tenentes Beatum Laurentium duxerunt. & tradiderunt eum Partenio Tribuno &c.*

Fol. 140. *Passio Sanctae* THEODOSIAE *Virginis*. Incipit: *In illis temporibus Diocletiano ... & Maximiano orta est persecutio in Christianis &c.*

Fol. 153. *Martyrium* BABILI *Episcopi cum tribus parvolis apud Antiochiam Civitatem die nono Kal. Febroarias*. Incipit: *Numerianus Rex cum immolasset obscaenis demoniis &c.* Eadem prorsus acta Martyrii S. BABILI legere est apud *Bollandistas* die XXIV. *Januarii*. Desiderantur dumtaxat ea verba, *die nono Kal. Febroarias*.

Fol. 157. *Conversio Sanctae* AFRAE, cujus initium: *aput Provinciam Rhecias in Civitate Augusta Narcissus Episcopus superveniens tempore quo persecusio orbis effervebat &c.*

Fol. 162. *Explicit Conversio Sanctae* AFRAE. *Incipit Passio ejusdem*; cujus initium: *Aput Provinciam Rheciam in Civitate Augusta. cum Christianis esset gloriosa persecutio & omnes pro Christi nomine variis supliciis &c.* Edidit hanc S. AFRAE *passionem* Ruinartius in *actis Martyrum* pag. 400. praetermissa *conversionis* ejusdem historia, quae in nostro Codice *Passioni* praefixa est. Variantes etiam lectiones passim observavimus.

Fol. 164. De *Beato* APOLLONIO *Martyre*. Incipit: *Tradebant ergo seniorem horum fuisse quemdam persecucionis tempore Apollonium &c.* In iisdem *Actis Martyrum* Ruinartii loco citato pag. 428.

Fol. 166. *Passio Sanctarum* CHIONIAE, HYRENIS. *atque* AGAPAE. Incipit: *Sanctarum itaque Chioniae & Hyrenis atque Agapae Dioclitianus rumore comperto jussit eas suis obtutibus praesentari. Quas cum vidisset &c.* Exstat eadem apud *Bollandistas* die III. *Januarii*. Conferentibus nobis utramque nonnulla occurrerunt lectionis discrimina, sed non admodum magni momenti. Recenset etiam Ruinartius pag. 348. acta hujus martyrii, sed toto coelo diversa ab his sunt, quae in Regio Codice.

Fol. 172. *Passio Sancti* CHIRILLI *Martyris Episcopi in Ægypto VII. Id. Juniis*. Incipit: *S. Chyrillus Episcopus. Cujus fides apud Deum & homines probata est &c.*

Memorant etiam *Bollandistae* eodem die S. CHIRILLUM, seu QUIRILLUM Martyrem; ast de historia martyrii, quae est in nostro Codice, ne verbum quidem.

Fol. 174. *Passio S.* GENESII *Martyris edita a Sanctae memoriae Paulino Episcopo*. Incipit: *Proprium atque indigenam Arelatensis Urbis Beatissimum Genesium &c.*

Edidit hanc GENESII *Passionem* Ruinartius pag. 473. ubi in *admonitione*, quam praemisit *Passioni*, ait, eam in pluribus aliis MSS. Codicibus, *Colbertino* videlicet, *Theodericiano*, & *Ignaciense* apud Rhemos, tribui *S. Paulino*: num vero *Nolanus*, an *Biterrensis*, an alius sit, non definit.

Fol. 176. *Passio S.* ELEUTHERII *Episcopi &* MATRES *ejus*, cujus initium: *Eleutheri nobilissimi viri nos delectat & animat &c.*

Fol. 183. *Passio Sanctae* JULIANAE *Puellae & Martyris*. Incipit: *In tempore illo quidam ..... nomine Eleusius amicus Maximini Imperatoris &c.*

Fol. 193. *Vita & Passio Beatissimi Martyris* EUGENI, cujus initium: *Septimo igitur Consolatus sui Commodus Imperator &c.*

Fol. 208. *Vita Sanctae* RADEGUNDIS *composita a Fortunato Episcopo*. Incipit: *Redemptoris nostri &c.*

Fol. 220. *Passio* S. MARINAE XIV. *Kal. Julias*. Incipit: *Post resurrectionem inlustrem Domini Nostri Salvatoris Jhesu Christi &c.*

Fol. 229. *Passio Sanctae* ANASTASIAE *Virginis*, cujus initium: *Igitur ut supra dictum est tradita Anastasia Praefecto &c.*

Fol. 232. *Passio Sanctae* MATRONAE. Incipit: *apud Urbem Thessalonicensium die Iduum Martyriarum* (idest *Martiarum*) *nobili*

Digitized by Google

nobili genere nata & splendidissima femina quae compellebat omnes suos suaeque sectae fieri socios hoc est Judaicae professionis Matrona &c. Passio *Bollandistis* omnino ignota.

Fol. 235. *Passio Sanctae* EUFEMIÆ *Virginis*. Incipit: *Quinto persecutionis anno Aureliani Imperatoris Prisco Proconsule in Europa in Civitate Chalcedoniae erat congregatio magna Christianorum &c.*

Fol. 243. *Passio* S. SATURNINI *Episcopi. Quod est III. Kal. Decembris.* Incipit: *In tempore illo quo post temporeum Salvatoris adventum &c.*

Retulit hæc acta Ruinartius *pag.* 109. sed, ut observare contigit, multum ab iis discrepant, quæ sunt in Regio Taurinensi Codice.

Fol. 248. *Prologus de gestis* S. HILARII *Episcopi Pictaviensis*, cujus initium: *Beatissimi Hilarii Confessoris vita vel operibus monuimus &c.* Post prologum sequitur gestorum narratio, quæ incipit: *Beatus Hilarius Pictavorum urbis Episcopus Regionis Aquitaniae oriundus fuit &c.*

Hæc recenti *S. Hilarii Pictavienſis Episcopi Operum* editioni addi poterunt.

Fol. 254. *Passio* S. ALBINI *Martyris*, cujus initium: *Magnas Martyrum praecelsasque virtutes humilis adtenuat potius quam explet sermo &c.*

Fol. 258. *Passio Sancti ac Beatissimi* VICTORIS & CORONÆ. *Quod est II. Idus Madias.* Incipit: *In Aegypto locus est nomine Coma. In diebus Antonini Pagani Regis facta est persecutio Christianorum &c.*

Fol. 260. *Passio Sanctorum Martyrum* NAZARII & GERVASII & PROTASI. & CELSI *Pueri. Qui sub Neronis imperio passi sunt.* Incipit: *Sanctus Nazarius secundum seculi dignitatem &c.*

CODEX MXXVI. *k.* III. 9.

Membranaceus, constans foliis 274. sæculi XIV. in quo FRATRIS JACOBI DE VORAGINE *Vitæ Sanctorum*, adjecto earundem indice.

CODEX MXXVII. *k.* III. 10.

Membranaceus, habens folia 89. sæculi XV. cujus literæ initiales aureæ, & vario distinctæ colore, continet primum *Epistolam* B. EUSEBII *ad Damasum Episcopum de morte glorioſissimi Hieronymi.*

Fol. 36. *Epistolam* S. AUGUSTINI *ad* B. *Cyrillum secundum Jerosolimitanum Pontificem de magnificentiis eximii Doctoris Beatissimi Hieronymi aliorum Doctorum Previi.* Est in *appendice* Tom. II. *operum pag.* 18. & inter *suppositiias* recensetur.

Fol. 43. *pag.* 2. Est *mira declaratio pestifere Secte Grecorum quod anime Beatorum & malorum privabantur gloria & pena ante diem Judicii.* Incipit: *Post obitum glorioſi Hieronimi quedam heresis inter Grecos &c.*

Fol. 45. *Historia mortis* B. EUSEBII & miraculorum, quæ ab ipso patrata sunt. Est in *appendice* supra citata operum S. AUGUSTINI *pag.* 22. & tamquam spuria rejicitur.

Fol. 49. *Epistola* B. CYRILLI *ad B. Augustinum de miraculis B. Hieronymi.* Et hæc loco citato inter *apocryphas*.

Fol. 75. PETRI PAULI VERGERII DE JUSTINOPOLI *Sermo de laudibus B. Hieronymi*, cujus initium: *Prestantissimi viri atque optimi Patres cum bona venia vestra pretermittam nunc parumper solitum morem sermocinandi &c.*

Fol. 80. HIERONYMI *Presbyteri Epistola de officio liberorum.* Apocryphum opinamur.

Fol. 82. Ejusdem *Epistola ad matrem & filiam in Gallia commorantes.* Exstat tomo IV. *operum. pag.* 729. num. LXXXIX.

CODEX MXXVIII. *k.* III. 12.

Membranaceus, habens folia 114. sæculi XIV. in quo S. BONAVENTURÆ *Vita B. Francisci Assisiatis*, præmisso capitum indice.

Fol. 118. Catalogus GENERALIUM MINISTRORUM *Ordinis Fratrum Minorum*, adje-

Digitized by Google

adjecta brevibus verbis eorundem hiſtoria. Incipit ab obitu S. FRANCISCI, & deſinit anno 1304. ideſt *Magiſtro Fratre Gunſalvo de Provincia S. Jacobi*, qui prædicto anno *Magiſter Geralis* in Comitiis Ordinis *Aſſiſii* celebratis renuntiatus fuit.

CODEX MXXIX. *k.* III. 14.

Chartaceus, conſtans foliis 92. ſæculi XV. in quo JOANNIS DE BRUTELLA *Venatorium Sanctorum Ordinis Canonicorum*; ſive de origine, progreſſu, & ſanctitate *Ordinis Canonicorum Regularium*.

CODEX MXXX. *k.* III. 16.

Chartaceus, conſtans foliis 184. ſæculi XVI. Continet *compendium rerum admirabilium Celice Virginis* CATHERINE RACONISIE *de tertio habitu Divi Dominici ab illuſtri viro* JOHANNE FRANCISCHO PICO *Mirandule Domino Concordieque Comite digeſtum. atque ab humillimo in Chriſto Servo Predicatorii Ordinis alumno Fratre* PETRO MARTIRE *Garreſieſi non paucis adauctis abſolutum*.

Scriptor *Ordinis Prædicatorum* Pedemontanus, qui effugit diligentiam Eccardi. Roſſottus autem *pag.* 469. ejus quidem mentionem fecit, ſed hiſtoriam *B. Catherinae Raconiſiæ* ab eo auctam, & abſolutam omiſit.

Ceterum codex ipſius autoris manu exaratus videtur.

CODEX MXXXI. *k.* III. 17.

Chartaceus, ſæculi XIV. habet folia 25. Eſt in eo *Hiſtoria Sancti* THURIBII, ad modum Lectionis Eccleſiaſticæ concinnata, cujus initium: *Hodie Thuribius Pontifex migravit feliciter a ſeculo &c.* non indicato autoris nomine.

CODEX MXXXII. *k.* III. 27.

Chartaceus, conſtans foliis 141. ſæculi XVI. in quo JOHANNIS TONSI *Patricii Mediolanenſis Vita Alfonſi Davali*, Præmittitur Epiſtola ad EMMANUELEM PHILIBERTUM *Allobrogum & Subalpinorum Principem*; quæ incipit. *Quæ duae res ab iis maxime ſpectari ſolent, Clariſſime Philiberte: qui ſub ampliſſimorum Virorum nomine libros emittunt, vel ut aliquo munere aditum ſibi ad eorum gratiam aperiant; vel ut ſcriptis ſuis defenſores parent &c.*

CODEX MXXXIII. *k.* III. 28.

Chartaceus, conſtans foliis 111. ſæculi XV. ubi

Fol. 1. C. PLINII *Oratoris Veronenſis Libellus de viris illuſtribus*.

Fol. 25. UBERTI DECEMBRIS *Romanae hiſtoriae breve Compendium*, cujus initium: *Regum Conſulum Imperatorum ac Ducum Romanorum &c.*

MS. in pergamena ſervari etiam in *Bibliotheca Ambroſiana*, neque hactenus typis conſignatum, ſcribit Argelatus *Bibliothecæ Scriptorum Mediolanenſium* tom. I. parte I. pag. 298. Sed minus recte in eo capite, quod Romanam hanc hiſtoriam PETRO CANDIDO DECEMBRI tribuat, non UBERTO *Candidi Decembris* Patri, a quo vere confecta fuit. PETRUS enim CANDIDUS *Uberti* filius expolivit duntaxat, ut ex præfatione, quæ præit Hiſtoriæ, clariſſime conſtat. *Regum, Conſulum, Imperatorum Romanorumque Ducum res geſtas, ac nomina, quibus Populus Romanus per annos ſeptingentos ab urbe condita, uſque ad Auguſtum Caeſarem, Orbem ſubegit, hoc brevi opuſculo ad te Sereniſſime Rex ſcribere inſtitui, ut labili admodum memoriae exiguo compendio ſubvenire queat. Nam cum, a Patre meo non tam minus polite, quam imperfecte hujuſmodi hiſtoria confecta eſſet, ſumpſi onus novae ſcriptionis &c.*

Fol. 36. CANDIDI DECEMBRIS *de VII. liberalium artium inventoribus ad Thomam Fregoſium Ducem Genuenſem liber*, cujus initium: *Labilis admodum res eſt tempus Princeps illuſtriſſime. Labilior tamen hominum memoria quibus ſuccurri potiſſimum ab*

Digitized by Google

bis qui domeſtieis urgentur neceſſitudinibus licet arduum opere pretium eſt &c.

Omiſit hunc libellum Argelatus loco ſupra citato in recenſione *Operum Petri Candidi Decembris*.

Fol. 44. *Summariolum exſcriptum ex libris omnimodae hiſtoriae ab* DIVO HIERONYMO *editis*. Eſt ſcilicet antiquæ hiſtoriæ, & potiſſimum Romanæ compendium ab *Anonymo* autore conſarcinatum ex libris præſertim *D. Hieronymi*. Incipit: *Solent aſſueti viatores adductis ſecum ſarcinulis quibus aliquando defatigati &c.*

In fine.

Summarium ex libris omnimode hiſtorie Divi Hieronymi exſcriptum per me Fratrem Laurentium de Canalibus MCCCCLVIIII. die quarta menſis Octubris.

Fol. 106. *Vita* B. PAULI *primi Heremite*. Autor non indicatur; Scriba autem idem, qui ſupra, LAURENTIUS DE CANALIBUS, ut notatur in fine.

CODEX MXXXIV. *k.* III. 29.

Chartaceus, habens folia 47. ſæculi XV. ubi de *vita & moribus Philoſophorum* liber, cujus initium: de *vita & moribus Philoſophorum veterum tractaturus multa que in antiquis auctoribus in diverſis libris de ipſorum geſtis ſparſim ſcripta repperi, in unum colligere curavi &c.*

Deſideratur nomen autoris.

In fine.

Finitur die VII. Decembris 1482.

CODEX MXXXV. *l.* I. 6.

Chartaceus, conſtans foliis 109. ſæculi XVI. Habetur in eo JOANNIS STADII *Oroſcopon* EMMANUELIS PHILIBERTI *Sabaudiae Ducis*.

De *Johanne Stadio*, ejuſque prognoſticis, tum de *Regia* EMMANUELIS PHILIBERTI erga eum munificentia, multa ſcripſit Thomaſinus *Illuſtr. Virorum Elog. pag.* 113.

CODEX MXXXVI. *l.* I. 14.

Membranaceus, conſtans foliis 53. ſæculi XV. ubi primum MAGISTRI LEONARDI CREMONENSIS *ex Ordine Minorum Artis Menſurativae practicae compilatio*.

Fol. deinde 29. *Tractatus* ARCHIMENIDIS *de menſura circuli*, cui ſubjicitur *Leonardi Cremonenſis* commentarius.

Lucas Wadingus in *ſui Ordinis Scriptorum Bibliotheca* omiſit *Leonardum Cremonenſem*.

Fol. poſtea 39. de XII. *Signis Coeleſtibus*, ſine autoris nomine..

Fol. autem 47. De partibus *Aſtrolabii*, ejuſque utilitate, & uſu, omiſſo pariter autoris nomine.

Fol. denique 52. *Expoſitio practice quadrantis*, itidem ſine autoris nomine.

CODEX MXXXVII. *l.* I. 17.

Membranaceus, cui folia 165. ſæculi XIV. PETRI TRECENSIS continet *hiſtoriam*, de qua V. Codicem *l.* III. 26.

CODEX MXXXVIII. *l.* I. 18.

Chartaceus, habens folia 27. ſæculi XVII. in quo MAGNOZII ANDREÆ *Hiſpani. Eremi Camaldulenſis in Etruria deſcriptio, Coſmæ Florentiæ Duci* dicata.

Scriptor Hiſpanus prætermiſſus a Nicolao Antonio in *Bibliotheca Hiſpanica*.

CODEX MXXXIX. *l.* I. 23.

Chartaceus, conſtans foliis 34. ſæculi XVII. in quo *Pacis Cartuſiae prope Aſtenſem Civitatem initae* anno 1615. explicatio, autore ALEXANDRO RAUDENSE.

CODEX MXL. *l.* I. 24.

Chartaceus, conſtans foliis 13. ſæculi XVII. in quo CHAVALLARDI JOANNIS PHILIPPI *funebris concio* DIVÆ CATHARNIÆ

Digitized by Google

THARINÆ AUSTRIACÆ *Subalpinorum Duciſſae*.

Fol. 13. Ejuſdem in *Tumulum* dictæ DUCISSÆ *Lacrymae*, verſibus deſcriptæ.

Sabaudus Scriptor, qui effugit *Roſſotti* diligentiam.

CODEX MXLI. *l.* I. 25.

Membranaceus, habens folia 34. ſæculi XVI. in quo Poetæ, cujus non indicatur nomen, *Egloga de victoria* a LUDOVICO XII. GALLIARUM REGE contra *Venetos* anno MDIX. parta. AMATUS, PROSPER, & VENETUS, induta paſtorum perſona, interloquuntur.

Fol. 19. Poema alterum, cujus titulus: *Pauperis Regni Legatio*. Autor plenus irarum eſt contra divites, qui opem ferre egenis crudeliter negant. Videtur autem eſſe quidam RADULPHUS, ut colligitur ex nonnullis verſibus jambicis, qui præmittuntur.

Sum pauperis legatio
Regni. Libellus quem vides.
Qui me tibi dono dedit
Radulphus artifex meus
Me ſcripſit exili ſtilo.

CODEX MXLII. *l.* I. 37.

Chartaceus, habens folia 31. ſæculi XVI. ubi JACOBI DALEXII *in concionem Claudii Paſchalii Propraeſidis in modum colloquii legitima Panegirico-reſponſio qua* HEROICI EMANUELIS PHILIBERTI *Allobrogum Ducis jura brevi dilucideque aperta ſunt*.

Multa recenſet tum edita, tum inedita *Jacobi Dalexii* opera Roſſottus *pag.* 301. *Syllabi Scriptorum Pedemontanorum*. Aſt nullam hujus reſponſionis ad *Claudium Paſchalium* facit mentionem.

CODEX MXLIII. *l.* I. 41.

Chartaceus, habens folia 89. ſæculi XVI. Hiſtoriam continet *Rupellanae obſidionis* ad *Gulielmum Gonzagam Ducem Mantuanum*, cujus initium: *Rupella Xantonum oppidum ad Oceanum in patenti planitie ſita eſt &c.*

Deſideratur autoris nomen.

CODEX MXLIV. *l.* I. 55.

Chartaceus, ſæculi XVI. foliis conſtans 34. ubi nonnulla fragmenta hiſtoriæ Aſtenſis hinc inde a variis autoribus collecta, quorum nomen in fine cujuſque fragmenti plerumque ſcriptum legitur. Quoniam vero ſingularia iis continentur monumenta ad Aſtenſes non ſolum, ſed etiam ad Subalpinos omnes, immo ad totius Italiæ populos ſpectantia, eaque ſcitu digniſſima, & hactenus uſque noſtris hominibus ignota, hæc typis conſignata cupido antiquitatis Lectori perlegenda in hoc MSS. Taurinenſium Codicum Catalogo exhibere, pro eo, quo tenemur, res Patrias illuſtrandi ſtudio, operæ pretium eſſe exiſtimavimus.

Quinque comprehenduntur parvis chartaceis voluminibus, quorum primum, ut diximus, conſtat foliis 34.

Quod commode Hiſtoria de Aſtenſibus ſcribi non poteſt.

AMicorum ſuaſionibus motus, & ut apud concives meos eorum, quae a praedeceſſoribus noſtris laudabiliter, & utiliter geſta fuerunt, memoria conſervetur, ex quarum rerum lectione & memoria, qui ſunt, & qui futuri ſunt cives, ad bene & laudabiliter vivendum; & ad virtutes adipiſcendas, & vitia evitanda quaſi exacutis ſtimulis impellantur, hiſtoriam Civitatis Aſtenſis ab origine uſque in praeſentem diem, quantum pro veritate ſciri poteſt, ſcribere decreveram. Verum tanta ſuper hac re mihi difficultas obviam facta eſt, ut quod deſtinaveram, omittere ſim coactus. Quis enim antiquorum temporum hiſtorias texere commode poteſt? Cum de his rebus, de quibus dicturus ſit, nullum tractatum invenerit; quod certe evenire credendum eſt ob barbaros, qui in Italia per multos annos fuerunt, & eam tyrannice occupantes deſtruxerunt, & invidia, ac malignitate impulſi anti-

Digitized by Google

quorum memorias extinguere ſunt conati. Aliis etiam de cauſis hoc evenire potuit, ut eſt credendum. Tot enim bellis, peſtibus, incendiis, ruinis, rapinis, & aliis malis miſera Italia vexata fuit, ut nihil ſit mirum, ut cum ſupradicta mala innumera fuerint, innumerabiles etiam fuerint cauſae, cur antiquorum geſtorum memoriae, tractatus, & hiſtoriae deperditae ſint. Neque enim credendum eſt, quod uno quoque tempore homines non fuerint, quibus non fuerit cordi geſta ſuorum temporum, quae vel viderunt, vel audierunt, ac etiam geſta temporum anteactorum per traditionem habita ab aliis, memoriae, & ſcriptis mandare. Quis etiam traditionibus, quae hoc tempore de antiquiſſimis rebus habentur, fidem indubitatam praeſtare audebit? Cum in tanto temporum intervallo multa e memoria cecidiſſe ſit credendum, quae ſi ſcirentur, alio forſan modo res dicendae forent, quo dicuntur, & multa, quae ſcelerate a quibuſdam geſta ſunt, ab eorum ſequacibus, & fautoribus, amicis, vel conſanguineis adeo diverſo, vel colorato modo recenſeantur, ut quod in ignominiam cedere debebat, id in laudem vertatur; & e converſo, quod ab aliis egregie, & laudabiliter geſtum eſt, id per livorem in ignominiam ab aemulis ſit verſum. Accidit quod in tanto temporum curriculo multa alio etiam modo, quo geſta fuerunt, referuntur: quod evenit, vel quia plura e memoria ceciderunt, vel quia ut plurimum fieri ſolet, qui audit, plus quam audierit, referat, vel quia qui male intelligit, quae audit, etiam pejus referat. His igitur & aliis difficultatibus & obſtaculis (quae longum nimis & taedioſum eſſet commemorare) impulſus, a propoſito ſcribendi hiſtoriam Aſtenſium revocatus ſum. Sed ne laborum meorum in perquirendis, & legendis ſcripturis antiquis inutilis omnino ſit fructus, non pro modo ſcribendi hiſtoriam, ſed pro modo referendi ea, quae geſta inveni, tamquam diarium, in quo cujuſque diei facta deſcribuntur, hunc librum ſcribere compendioſe volui, in quo quidquid vel ex ſcripturis tum publicis, tum privatis; tum etiam ex approbatis auctoribus, & ex relationibus, & traditionibus eorum didici, qui mihi magis ſcientifici, & veridici viſi ſunt; & praecipue Domini Anſelmi Pagani Artium, Medicinae, Legum, & Sacrae Theologiae Doctoris, & omnium ſcientiarum theſauri. Quo in opere nihil mihi laudis, vel aurae popularis aquiſitum volo, ſed tantum Lectores rogo, ut quod actum eſt, aequi boni conſulant, & quod per errorem omiſſum, vel non bene intellectum, aut ſcriptum ſit, ſua benignitate condonent.

Secundus Parrutia.

De Civitate Aſtenſi.

CIvitas Aſtenſis ab antiquo tempore adeo Civium, & ſubditorum numero, nobilitate, opibus, & aliis bonis floruit, ut vicinis ſuis timorem inferret, & cum in tanta multitudine, & rerum copia ſaepe orirentur contentiones, diſſidia, bella, & ſeditiones, pro hujuſmodi medela poſt multa conſilia publico decreto ſancitum fuit, ut quot annis Conſul fieret, & ſuper cujuslibet vita & moribus inquireret: & ubi reperirentur vel facinoroſi, vel ſeditioſi, vel aliis vitiis maculati Cives, pro delicti qualitate plecterentur: ubi vero in eos animadverti non poſſit, relegarentur in perpetuum, vel ad tempus. Et ut facilius de reditu memoria illis auferretur, quoſdam, qui ex majoribus familiis eſſent, ſub Oratoris ad alias civitates titulis, vel alia honeſtiori forma e Civitate emittebant: alios in Rerumpublicarum, Imperatorum, Pontificum, Regum, & aliorum Principum, aut Civitatum, cum quibus amicitia juncta eſſet Civitas, ſubſidium mittebant, propoſito etiam aliquibus ex eis de publica pecunia ſtipendio: & alios ad pugnandum vel pro patria, vel pro amicis ad burſam propriam cogebant; qui ubi legaliter, & ſtrenue ſe geſſiſſent, poſt certum temporis ſpatium liberi facti Civitati reſtituebantur. Alii etiam Cives vel ob grave aes alienum, a quo illis eſſet impoſſibile ſe liberare, vel quod tantorum mole ſcelerum premerentur, ut de remiſſione deſperarent, voluntarie exulabant, aut in exilium banno peſſimo illis impoſito ire cogebantur; & iſti vel cupiditate praedae, vel alia cauſa inducti ſaepe numero ad hoſtes Civitatis Aſtenſis, aut amicorum ejus confugiebant, & quidquid damni maxime poſſent, inferre vel Civitati, vel amicis ejus, id omne cunctis viribus, & omni aſtutia, & per quodvis ſcelus patrabant. Hinc etiam eſt, quod in quocumque bello facto in Italia, & in multis aliis etiam

longin-

Digitized by Google

longinquis Provinciis, & Regionibus, & Climatibus ſemper aliqui ex Aſtenſibus fuerunt, & etiam aliquando ab utraque parte praeliantium, quorum aliqui a Civitate miſſi, ut dictum eſt, pro Civitate, vel amicis pugnabant; alii vero ſpe lucri, vel gloriae ſuae ſponte profecti ſunt; alii demum exules, vel facinoroſi inimicis ſervierunt. Quare in antiquiſſimis ſcripturis vidi, quod tempore primi belli Punici Aſtenſes in Romanorum ſubſidium miſerunt equites mille, & peditum tria millia ſub Duce Generali Condelerio Maxilla, Manelli filio ex majoribus & ditioribus Civitatis, qui Manellus tertium Conſulatum in Civitate Aſtenſi geſſerat. Hic Condelerius quum eſſet annos triginta natus crine ruber, blaeſus, & ſemper pallidus, pauci ſermonis, & ſemper cogitabundus; & quum eſſet valde dives, jocis, & ſpectaculis publice populum delectabat, & palam, & occulte donis nunc hunc, nunc illum ſibi obnoxium reddebat. Unde evenit, ut cariſſimus populo factus Conſulem, qui tum erat Coctius de Rubeis, & alios primarios Civitatis in ſuſpicionem traxerit; ne is, qui auram populi tantis modis affectaſſet, inde viam ad occupandum ſuae Civitatis, & patriae imperium ſibi aperiret. Hac igitur de cauſa eum in carcere poſuerunt. Sed quum in eum non haberent juſtam cauſam animadvertendi; viderentque populum libere de ejus captivitate conqueri, habito ſuper hoc conſilio, & multa conſideratione, tandem ſtatuerunt cives, eum eſſe in auxilium Romanorum mittendum cum ſuperius memorata equitum, & peditum multitudine, ſperantes inde futurum eſſe, ut ipſo abſente Populus, qui fere tumultuabat, ſuum patrem liberari clamans, quieſceret, ſequaces, & fautores ejus cum eo fere profecturos, & Civitatem a ſeditionibus, quae oriri videbantur, liberaturos, & quod ipſe tanto honore decoratus eorum, quae a Civitate contra ſe geſta erant, oblivifceretur, dignitaſque in eum collata innocentiae ſibi objectorum criminum praeberet teſtimonium cunctis gentibus. Huic ergo Condelerio datae fuerunt de pecunia publica librae decem millia Aſtenſes; & ejus Duces Equitum fuerunt Archelaus Caze, ſive de Cazonis, Leander de Turre, Mutius Aſtexanus, Fazzellus de Fazzellis, Obertinus de Ottinis, & Mercurius de Sclavinis. Duces peditum fuerunt Popilius, ſive Pompilius de Zancho, Oppicinus Brayda, dictus Signatus, eo quod ſex digitos in manu dextera haberet, ac etiam pectus ex uno oſſe, ideſt integrum, quaſi loricam haberet, unde eveniebat, ut eſſet fortiſſimus; Rupaltus [quem alii Rubaudum, & alii Rambaldum vocant) de Troja, Marius Rota, Virginius Cathena, dictus de Colleonibus, eo quod tres teſticulos haberet, ab aliis etiam unus homo, & medius appellatus, Marcus Salvaticus, dictus Gibbus de Salvaticis a forma corporis; Tullius Lanzea, dictus homo bonus, non quia bonus eſſet, ſed quia malus, & ideo Homo bonus ironice dicebatur; Aſtexanus de Fara, Fabricius de Curte, Canidius, ſive Candidus Baudranus, Horatius Riſta, ſive de Reſtis, quem alii Gallinam auream vocant, eo quod ipſum gallinam cum pullis duodecim ex auro habere perhiberent; Aſcanius Fontana, Flaminius Minardus, Ariſminus de Bobus, ſive de Boba, dictus Dormiens, quod defectum in oculis haberet, unde ſemper dormire videbatur; Octavius Menſtruellis, quem alii de Pelletis nominant; & Camillus Teſta, quem alii Della Bella denominant, eo quod uxorem Valeriam nomine, pulcherrimam mulierem haberet. Iſti igitur omnes Duces affines, amicos, & clientes ſuos vocaverunt, & ſecum duxerunt, qui omnes fuerunt ex omnibus familiis tam de Hoſpitio, quam de Populo, & ut plurimum ex his, quos e Civitate exire bonum erat, quorum nomina hic brevitatis cauſa non referuntur. Condelerius igitur cum gentibus ſuis ex Aſta recedens Savonam profectus eſt, ibique ſuper naves aſcendit, & Siciliam verſus navigavit; ſed ex vi tempeſtatis fuit in Corſicam translatus, ubi ſtetit per circiter viginti dies expectans Attilium Romanum, qui cum per illud mare tranſiret cum Romanorum Claſſe, Condelerius copulatus eſt cum eo, nec unquam ab ejus amicitia & ſocietate diſceſſit, ſed ſemper ſtrenue in ejus obſequio pugnavit. Fazzinus vero Auricula quum eſſet nobilis de Populo, & dives, & non modo Condelerio invideret, ſed ejus carcerationis cauſa fuiſſet, multa illi crimina objiciendo, quae quum non potuiſſet probare, talionis poenam timens, ſponte exulavit, & congregata multitudine hominum facinoroſorum, & eorum, qui res novas deſiderabant, & eorum, qui

Digitized by Google

qui aere maximo alieno gravati erant, & eorum, qui omnium rerum inopia premebantur, & demum fugitivorum servorum, acceptas per eum litteras ab Asdrubale Carthaginensium Duce ostendit, & ad suppetias ferendas Carthaginensibus hortatus est; idque spe magnorum praemiorum, quae ipse de pecunia ab Hasdrubale habita se posse dare, & velle pollicitus est: & facta dictis conjunxit. Quare ex Astensi Civitate parvum numerum tam equitum, quam peditum, sicuti Condelerius fecerat, extraxit, quorum ipse Dux Generalis fuit. Hic Fazzinus equites etiam mille, & peditum tria millia collegit; & Duces equitum fuerunt Gillonus, sive Ghildonus de Lupis, dictus Monoculus, quod uno careret oculo; Brivius de Sacchis, Fluvius, quem alii Fulvium nominant, de Longa Spada, Marchisius de Pallidis, dictus Tinchas nescio qua de causa; Caesar Claudus, sive de Zoppis; Lama, quem alii Lamissum vocant de Lamis. Duces peditum fuerunt Pompejus Carbo, sive de Nigris, Morandus de Boiis, alii dicunt de Bobalis; Mutius Fantinus; Horatius de Leonardis, alii dicunt de Minardis; Fabius Pollitus; Pyrrhus Ælianus; Astexanus de Astexanis; Curtius de Andona; Paulus de Curte; Paulus de Montagnis; Attilius Salvaticus; Gardinus de Valle Aurea, quem alii de Vallarea dicunt; Vetturius Capellus; Camillus Chaballus, Venturinus Ventura, & Falco, sive Falconus Correrius. Iste igitur Fazzinus ad expensas Carthaginensium collectis equitibus, & peditibus juxta numerum supradictum, properavit ire Savonam, sperans de improviso & Civitatem capere, & navibus ibi a Condelerio paratis potiri; quo cognito a Savonensibus, & ab aliquibus militibus Condelerii, qui jam ibi advenerant, praeparaverunt se ad pugnam, quae secuta est, & afflictae sunt gentes Fazzini, & ex eis perierunt circiter trecentum. Sed cum ob victoriam Savonenses parvi facerent gentes Fazzini, post triduum evenit, ut Fazzinus ope Genuensium pugnaverit adversus Savonam, & partem Civitatis ceperit, spoliaverit, & combusserit; deinde Vulturem, sive Vulturium se recepit, ubi obtentis a Genuensibus navibus transfretavit, & venit in Siciliam, & inde profectus est Carthaginem, & copulatus est cum Hasdrubale, & cum eo semper fuit cum militibus suis, donec fere omnes perierunt; & horum opera, & medio Carthaginenses semper habuerunt secum de Astensibus, Celtis, & Liguribus in exercitu; exinde advenientes Carthaginenses in Italiam juxta Civitatem Astae possederunt terram, in qua Hanno Carthaginensis aedificavit villam, quam de suo nomine Hannonum vocavit.

Jaffredus Boanus.

Quomodo primum domus ex lateribus coctis aedificari coeperunt in Ast.

ANno ante Urbem Romanam conditam . . . . qui fuit annus Mundi . . . . & ante Nativitatem Domini Nostri Jhesu Christi annis mille ducentum quadraginta, quo tempore etiam constructa fuit Turris Babel altitudinis passuum 5174. cum antea circa flumen Tanari habitantes in specubus, cavernis, antris, collium criptis, arborum foraminibus, & tuguriis ex arborum foliis, aut palearum, vel nemorum tegumentis constructis, & coopertis habitarent, & illis pro domibus uterentur, hoc anno supra dicto Phoroneus ex Graecia veniens latericias domos aedificare docuit, sicuti Athenis ab Euryolo, & Hiporbio fratribus factum fuisse referebat. Quare circa flumen plura aedificia, licet parva constructa fuerunt.

Ex plurium memorialibus. Decianus de Nasiis

De Sancto Secundo Patrono Civitatis Astensis, & de ejus Martyrio.

ANno Domini 1342. & Mundi 5333. die trigesima mensis Martii in Civitate Astensi passus est Beatus Secundus Civis ejusdem Civitatis, & pro Christi fide coronam martyrii obtinuit capite truncatus ex sententia Sapritii, ex Dominis Consambraudi Vicarii Imperatoris, & acerrimi Christianorum persequutoris. Quod accidit, ut in vita ejusdem Sancti, quae sequitur, videri potest.

Ex plurimum memorialibus.

Thomas Auricula.

Sequitur Beati Secundi vita.

San-

Digitized by Google

Sanctum Secundum fuisse ex Equestri familia suadet ea traditio, quae hunc Sanctum Equitem fuisse fert; ad idque accomodatae ejusdem Sancti imagines. Non enim tunc erat aliquis Ordo aliorum Equitum, uti postea fuerunt. Confirmatur hoc ex Plinio Juniori, qui licet ex sorore Plinii Senioris nepos fuerit, tamen idem cognomen Secundi, uti avunculus, retinebat. Ipse etenim Plinius de avunculo loquens asserit eum fuisse ex Equestri familia. Erat porro haec familia Secunda Romae, sicut & Prima, & Tertia, & Quarta, & alia ab aliis numeris ordinalibus accepta; pro ut ex pluribus lapidibus, qui Romae & alibi visuntur.

Secundam porro familiam Veronam deductam fuisse, pro ut fieri usu veniebat, cum novae Coloniae deducebantur, argumento sunt jidem Plinii ex ipsa familia Secunda. Itemque Aldus, qui L. Aquilii Secundi Veronensis mentionem facit. Fuisse vero Astam etiam deductam, praeter hunc nostrum Martyrem, testantur duo lapides; unus quidem super Januam Macellorum, in quo Vettius Secundus: alius prope maximam Aram Ecclesiae S. Secundi, & ad cornu Evangelii humi positus, in quo Marcus Licinus Secundus habetur. Quod vero hic Sanctus Secundus dumtaxat dicatur omisso praenomine, & agnomine, id factum fuit ex usu Ecclesiae, quae tamtummodo nomen, seu cognomen retinere solet; quamvis ipsi Sancti praenomine, & agnomine, vel duplicato cognomine appellarentur; ut videre est in S. Clemente, Boetio, Augustino, Cypriano, & aliis. Quo vero nitantur fundamento, qui hunc Sanctum ex Pallidiorum familia ortum esse dicunt, nondum assequi potui. Certe ejus ego opinionis sum, ut eum e familia Vittia prodiisse censeam; in quam ducor auctoritate lapidis, de quo dixi in Macellorum aedibus conspici posse. Ita enim est inscriptus.

Concordiae
Coll. Fab. Asten.
Marcus. Vettius, Secundus
In Memoriam
Vettiae Soror.

Vettiam namque familiam Astae fuisse, ac ad haec nostra perveniisse, ita ut in M. Antonio Vittia Vercellensi Episcopo extincta sit, satis nobis constat, eamque inter Equestres ex eo colligitur, quod inter nobiles de Populo cen-seretur, quae utique sunt eae ipsae, quae Equestres. E plebe enim ad Equestrem Ordinem, ex Equestri ad Patritium assurgebatur.

Non omittendum, Castrum Aynaldi olim fuisse hujus familiae Vittiae, & in Instrumento rogato die XV. Decembris 1351. quo venditum fuit Malabaylis, ipsos venditores se nuncupare de Vittia, seu de Aynaldis. Ex quo patet ab ipsis locum nomen accepisse. Appellatur enim in his notis publicis Castrum, seu Nota Aynaldorum.

Id etiam addamus, partem ejus Castri, quae ad Damianos pertinet, emptam fuisse a Pallidis, ex quibus insurgit conjectura, quod Pallidi olim ex Vittiorum familia provenerint, sicut etiam quod ab eadem familia Vittia nomen acceperit Castrum, seu Oppidum illi conterminum Vittia appellatum. . . . . .

De Civitatis Astensis Castris, & Burgis Anno Domini 312.

CIvitas Astensis ab antiquo tempore amplissima fuit in se continens plures colles, valles, & omnem planiciem, ut infra demonstrabitur, & cincta erat sepibus pro muro.

Ad Solis ortum habebat Burgum Quarti Veteris, quod erat in plano ultra rivum Gherssiae versus Tanarum.

Ultra Tanarum inter Solis ortum, & Meridiem habebat Burgum Chrenae, ex quo facta fuit Villa Axani.

Ibi prope habebat Castrum Nassineti, & Burgum de Enante, ex quo facta fuit Villa Montis Marcidi.

Ad Meridiem habebat Castrum & Burgum Montis Gardini.

Ibi versus Tanarum habebat Castrum, & Villam Rochae Sclavinae, ex qua facta est Villa S. Martiani.

Inter Castrum de Enante, & Tanarum habebat Castrum, & Turrem Carcerorum in planicie.

Inter Meridiem, & occasum Solis habebat Castrum, & Burgum Belligerii.

Ad Solis occasum circa Tanarum habebat Burgum Valligerum, & ibi prope Burgum Vallis, quae nunc Sancti Christophori dicitur.

Sequebatur ibi prope Burgum majus.

Deinde Burgum vallis, quae nunc Sancti Petri vocatur.

Seque-

Digitized by Google

Sequebatur deinde Caſtrum, & Burgum Montis Bonini.

Item in valle Burburis habebat Burgum Vallis Laurorum, ſive Vallis Latronum.

Sequebatur Burgum Revignani cum Caſtro Montis Arati.

Deinde ultra Burburem habebat Caſtrum, & Burgum Caſalotti.

Inter occaſum Solis, & Septentrionem habebat Caſtrum, & Burgum Montis Fredoni.

Sequebatur Caſtrum, & Burgum Montis Falconis.

Ad Septentrionem habebat in Valle Revilati Caſtrum, & Burgum Vallis Ovinae.

Sequebatur ibi prope Caſtrum Sexanti.

Inter Septentrionem, & Orientem habebat Caſtrum & Burgum Boldoni, & de Via Teſta.

Sequebatur Caſtrum, & Burgum Mediae Solae in Valle Rivi Mediae Solae, qui alio nomine Rivus Clauſus dictus eſt.

Sequebatur Caſtrum Montis Rubei cum parvo Burgo.

In Valle Aurea, quae poſtea a Torrente Vallis Vertia fuit dicta, habebat Caſtrum, & Burgum Vallis Aureae.

Trans Vertiam habebat Caſtrum, & Burgum Canilliarum.

Item ibi prope Caſtrum, & Burgum Caſtri Leonis.

Item ibi prope Caſtrum, & Burgum Nuceti.

Item Civitas habebat intra ſe, & extra plura alia Caſtra, & Fortalitia.

Intra ſe habebat Caſtrum Vetus, Caſtrum Varronis, Caſtrum Montis Raynerii, Caſtrum Turretae, Caſtrum Seuſti. Et ultra Tanarum Caſtrum Juſtitiae, in quo dixi fuiſſe Carceres.

Item extra Civitatem erant Caſtra Rochae, dictae de Aratio, Caſtrum Villiani, Caſtrum Montis Groſſi, Caſtrum Inſulae, Caſtrum Motae; & ultra Burgum Vallis Sancti Petri Caſtrum Vaudaniae; ultra Burgum Mediae Solae Caſtrum Jardinae.

Ex his ergo patet, quanta fuerit Civitatis amplitudo, ita ut ſint, qui affirmant, qualis fuit Dominus Aurelius Caze in ſuis Memorialibus, fuiſſe aliquando, ut numerus Civium cujuſcumque ſexus, & aetatis ad quatuor centum ſeptuaginta millia, & plus aſcenderet; & temporibus ſuis, ideſt anno Domini 312. cum maxima epidemia fuiſſet, mortuos fuiſſe quadraginta tria millia, & quinque centum viginti unum viros ex morbo intra ſexdecim menſes; ex aliis malis mortuos eſſe duo millia, vel circa; exiiſſe de Civitate, qui amplius non ſunt reverſi, ſed habitaverunt alibi, ſeptem millia, reliquos recenſitos fuiſſe, & aſcendiſſe ad centum octuaginta novem millia: & dolet deſolationem Civitatis dicens: antea in bellis periiſſe de Aſtenſibus in paucis annis circiter triginta millia. Dicit durante ſupradicta peſte natos eſſe tredecim millia pueros, quod noſtris temporibus certe mirum videbitur, cum numerus Civium computatis habitatoribus Capſinarum circa Aſtam non excedat ſummam quadraginta octo millium, & quingentorum, vel circiter. Sed ſi conſiderentur varia bella, & deſtructiones, quas paſſa eſt Civitas, unde ex tanta amplitudine reſtricta eſt intra Burgum Montis Bonini ab Occidente, & Rivum Mediae Solae ab Oriente, & a Caſtro Veteri a Septentrione uſque ad Tanarum fere a Meridie: & ſi conſiderentur Barbarorum incurſiones, & damna data, tantae peſtes ſecutae, & civiles diſcordiae, ex quibus pluries Civitas vaſtata, & deſtructa fuit, & in praeſentem ſtatum reducta, facile erit, ut credatur eam tantorum populorum fuiſſe capacem.

Julius Falletus.

De Aſtenſibus, qui iverunt ad habitandum Beneventi, & Arimini.

EOdem anno ab Urbe Romana condita 470. vel circiter, cum Romani Ariminum, & Beneventum condidiſſent, fuit ſparſus rumor per omnem Italiam, quod cuicumque ibi voluiſſet domicilium conſtituere, data foret portio territorii ad laborandum, & colendum. Quare hoc audientes multi ex Aſtenſibus, qui inopia laborabant, vel qui exules erant, & de redeundo in patriam deſperabant, ad ea loca ſe ſe tranſtulerunt. Sed cum falſus rumor fuiſſet, multi ex eis redierunt in Aſt, alii vero obtinuerunt licentiam ſtandi, & ibi artem figulinam, in qua peritiſſimi erant, inſtituerunt: & fama eſt, quod Camillus Capra Arimini, & Axanus Bocconus fuere primi, qui vaſa ex luto in ipſis locis fecerunt.

Ex

Digitized by Google

Ex plurium ſcripturis Decianus de Naſiis.

Idem uno ore dicunt omnes, qui memorialia ſcripſerunt. Antonius Aſtexanus.

Tanarus a Tano dictus primo mihi nomen
Indidit, Aſta novum, mox dedit Aſta mihi.
Vindex dicta fui; nam Aſtam quis laeſit inultus?
Hoc Pollentinus teſtificatur ager.
Hoc Ferrarenſis, Ligur, Inſuber, atque Sabaudus,
Romanus, Gallus, cum Pedemonte Getha.
Quid Venetos memorem? Stratos mea Signa levarunt;
Vis meaque elatos preſſit, & indomitos.
Nam mitis ſum facta tuo ſub Numine Quinte
Carole, teque meo vindice nil timeo.

Hos verſus ſe legiſſe refert Dominus Baldaſſar Lupus Capitaneus peditum Aſtenſium, & dicit poſitos fuiſſe ſuper arcu triumphali ligneo conſtructo apud Sanctam Mariam, quae nunc Nova dicitur in Burgo Sancti Petri prope Ulmum in adventu Caroli Quinti Imperatoris Anno Domini . . . .

Baptiſta Lunatus

Idem audivi ab eodem Domino Baldaſſare, Gulielmus Cornalia.

De expulſione Familiae de Ruvere de Civitate Aſtenſi.

ANno Domini 693. & Mundi . . . . cum Ruverorum familia, ſive della Ruere eſſet, in Civitate Aſtenſi numero virorum, & opibus potens, & familiae de Ælianis adverſaretur aemulando, Æliani, qui cum pluribus amicitia & conſanguinitate juncti erant, collectis amicis & re diſcuſſa exploratores poſuerunt, qui actiones illorum della Ruere proſpicerent: quod factum fuit; & inventum eſt, quod Civitatis dominium obtinere affectabant, (quod tamen alii illis falſo adſcriptum dicunt) Tamen hac de cauſa e Civitate omnes expulſi ſunt hoc anno Domini 693. illiſque proſcripta bona. Sed poſtea reſtituti & patriae, & bonis eodem anno, innocentia eorum patefacta, fuerunt. Multi tamen ex eis, & praecipue Edmundus, qui erat fere ipſius familiae caput, noluere redire in Civitatem, ſed abiere, & habitavere alibi. Ipſe autem Edmundus profectus Taurinum, habitavit ibi cum familia ſua in ſempiternum.

Ex Archivio Civitatis. Raymundus Turcus.

De Reditu Federici in Italiam.

ANno Domini 1166. & Mundi 6365. audiens Federicus Imperator Populos Longobardiae milites ipſius Imperatoris e ſuis civitatibus & caſtris ejeciſſe, collecto ingenti exercitu in Italiam venit; nemini per viam nocens; quod certe mirum fuit. Cumque in Italiam perveniſſet, partem exercitus ad cuſtodiam Civitatis Lucae, in qua Guido Antipapa erat, ut ſic ſecurus eſſet, miſit: ipſe vero cum reliquo Anconam obſedit, & cepit. Dum autem haec a Federico fierent, Civitates Longobardiae renovato inter ſe foedere, Mediolanum reaedificaverunt, & munierunt, ut adverſus Federici rabiem propugnaculum eſſet: & familia de Mari miſit plures ex ſuis ad ibi habitandum, qui poſtea fuerunt dicti de Marinis. Idem fecit familia de Turre, idem illa de Sachis, idem illa de Teſta, qui poſtea de Tettonibus dicti ſunt; idem illa de Quarterio, ſive de Borgogninis, quae poſtea ibi fuit dicta de Myna; idem illa de Lupis, & plures aliae.

Hoc anno novum edictum promulgavit Federicus de recipiendo Guidone, quem Paſchalem tertium vocitabat, cui Civitates Lombardiae minime paruerunt.

Ex Archivio.

De aedificatione Civitatis Alexandriae, & de familiis Aſtenſibus, quae illuc miſſae fuerunt.

CIrciter anno Domini 1168. & Mundi 6367. cum antea Civitates Longobardiae partes Pontificis Alexandri III. ſequentes Federico Sueco Imperatori, qui Barbarubea appellatur, adverſarentur, & ſe ab ejus obedientia liberaſſent; cumque adverſus eas Federicus veniſſet cum exercitu, ipſarum milites ad pugnam promptiores, & ardentiores cernens, timuiſſet, & in Germaniam perrexiſſet: hoc anno Domini 1168. praedictae Civitatas Lon-

Digitized by Google

gobardiae omnes unanimes, & expensis communibus inter Roveretum, & Burgolium civitatem novam ad Tanari ripas condiderunt, quam in Federici spretum, & in Alexandri tertii Pontificis honorem Alexandriam vocaverunt; & incolas Rovereti, & Marengi patrias suas relinquere & in ea habitare fecerunt. Quin imo unaquaeque ex dictis Civitatibus aliquos ex suis Civibus ad illuc habitandum misit, & omnes isti circiter quindecim millia fuerunt, inter quos agros diviserunt, unicuique juxta numerum familiarum, & animarum parte attributa. De Astensibus illuc iverunt fere omnes illi de Putheo, aliqui de Ferrariis, sive de Milanesiis; aliqui de Merlanis; illi de Fara; illi de Vaschis (advenae Montis Vici, qui cum de Populo essent, in Alexandria facti sunt de Hospitio) aliqui ex illis de Vitia, qui ibi Invitiati dicti sunt, & insignia mutaverunt; illi de Lanzea, de Verasiis; aliqui de Billianis, de Pallearíis, de Cortesiis, de Pillotis, de Pannizzonibus, omnes illi de Squarciaficis, omnes Lamborini, omnes illi de Gallia, & plures de Marchesiis, sive de Marchisiis; reliqui vero usque ad numerum trium millium & centum triginta fuerunt de plebe. Interea cum haec fierent, Romani memores damnorum a Federico acceptorum, nisi a Pontifice impediti fuissent, Albam, & Tusculum diruissent, se Societates per Italiam ire, misericordiam clamantes.

Ex his, quae vidi, Gulielmus Ventura.

Idem refert Secundus Parrutia.

Haec familia semper abundavit viris probis, & praecipue hoc tempore, quo habet Simonem Pasquam Cardinalem Tit. S. Sabinae. Hic vir eruditissimus, & consummatissimus in literis Latinis, & Graecis, in Philosophia, & Theologia, a principio fuit Episcopus Sarzanensis, & Lunensis: mox interfuit Tridentino Concilio. Fuit de rebus gravibus S. R. E. apud Cosmum Medicem Internuncius, & apud Alphonsum II. Ducem Ferrariae. Postmodum a Pio IV. Cardinalis sub Sanctae Sabinae titulo creatus est. Tandem mortuus est anno Domini 1555. die IV. Septembris Romae, & sepultus in Ecclesia Sanctae Sabinae, & non multo post Januae translatus, & in Templo Pacis, ubi Fratres Minores de Observantia habitant, quo in loco extat Epitaphium ejus his verbis:

Simoni Pasquae Galeatii Filio Patritio Genuensi: Theologo & Philosopho. Romanae, Graecaque Eloquentia clarissimo. S. R. E. Presbytero Cardinali Sanctae Sabinae. Qui cum clare domi forisque de Republica meritus esset, Romam a Pio IV. Pontifice Maximo accitus Episcopus Lunensis primum est factus, ac post egregie navatam biennio Ecclesiae Dei Tridentino in Concilio operam, in amplissimum ordinem cooptatus est. Viro integerrimo, & in summa gravitate jucundissimo. Vixit annos LXXIII. menses X. dies II. obiit Romae pridie nonis Septembris anno Salutis 1565. Stephanus Frater Geminus, Moerens posuit.

Hic Simon filius geminus cum Stephano fuit Galesii, & Pellegrinae Stellae, quae Pellegrina filia fuit Petri Stellae, & Lichinetae de Monte Nigro.

Stephanus tamen natus per horae spatium post Simonem. Hic indefessus saepe fuit ad Insulas Canarias, ad Provinciam Brasiliam, ad Indias Lusitanorum, ad Sanctum Jacobum de Finibus Terrae, & fere per totam Europam. Tandem mortuus est Januae marmoreo conditus sarcophago cum hac inscriptione.

Stephano Pasquae Galleatii filio Patritio Genuensi animi, corporisque dotibus perornato. Aeque adversis atque secundis in rebus invicto. Tur-

bo-

De Familia de Pasqua.

HAec Familia, ut plures aliae, ex Janua venerunt, & habitaverunt in Asta per plures annos, inter quos fuit Michael Pasqua dictus Riverolius, qui habitabat in Asta anno Domini 1226. & hic fuit, qui Astenses impulit ad eundum in Flandriam, & Galliam, & ibi exercendum usuras, dicens plures familias Januenses hoc medio fuisse factas locupletes, sed non post multum temporis spatium illum poenituit consilii dati; & cum quod prius laudaverat, tunc abhorreret; ab omnibus bilinguis, & duplicis naturae est habitus & existimatum fuit, quod sic diceret, quia Astenses lucra Januensibus ademissent. Quare ipse propter pudorem ob datum consilium, & propter iram, quia verba ejus in contrarium interpretarentur, e Civitate recessit anno Domini 1260. quo anno coeperunt Flagellantium

Digitized by Google

bolentis temporibus Senatoria dignitate, ceterisque Reipublicae Magiſtratibus egregie perfuncto. Joannes Franciſcus, & Octavianus Epiſcopus Hieracenſis Patri benemerito pii animi Monimentum poſuere. Vixit annos LXXXIII. Cardinali Fratri Gemino ſuperſtes annos XIII. menſes IV. dies VIII. obiit pridie Idus Decembris 1578. *Bene precare quisquis es. Ita tibi quoque alii bene precentur.*

Horum frater fuit Petrus Antonius natus poſthumus Patris.

Horum frater fuit etiam Baptiſta, qui Comes Palatinus obiit Januae annos natus *69.*

Horum frater fuit Franciſcus, qui militiae deditus obiit ſubmerſus fortuna in mari anno Domini 1523.

Horum frater fuit Jacobus, qui mortuus eſt Januae anno Domini 1577.

Ex Stephano, & ex Violantina filia Johannis Marchiſii, & Brigidinae Paſſanae nati ſunt Galleatius, qui ſubmerſus eſt in mari juxta Narbonam anno Domini 1569.

Franciſcus Andreas Octavianus Juriſconſultus, qui anno Domini 1574. die 17. Septembris annos natus 33. a Gregorio XIII. Papa Epiſcopus Hieracenſis electus eſt. Julius, qui Malthenſi bello interfuit . . . . . Inde poſtquam in Flandria pugnaſſet per quinquennium, tandem in Hiſpania diem clauſit extremum annos natus 35. anno Domini 1580. die XVI. Auguſti. Pellina, quae cum nupſiſſet Chriſtophoro Mecotae in Hiſpania, in Civitate Madrid obiit anno Domini 1572. Sed quid amplius de hac familia refero? cum innumeri ſint vel nobilitate, vel virtutibus clare, ut luce meridiana illuſtriores videantur.

Ex variis hiſtoriis, & ex his, quae vidi, Brutus Salomonius.

Hujus familiae multos, & primarios recenſet Camillus Camilli in expoſitione inſignis Octaviani Paſquae.

Gulielmus Cornalia.

De damnis datis per Federicum Imperatorem Aſtenſibus, & de irruptione in illius exercitum in Urbe facta.

ANno Domini 1230. & Mundi 6429. Civitas Aſtenſis a Federico Imperatore multa damna paſſa eſt. Nam Duces ſuos miſit cum exercitu, qui eam per quinquaginta octo dies obſederunt ſtricte; ſcilicet a die vigeſima tertia Junii in vigilia S. Johannis Baptiſtae, uſque ad diem decimam nonam Auguſti: & villas & caſtra circum circa Forenſium civium, & Marchionis Montisferrati ope ceperunt; & ſegetes & vineas incenderunt, & vaſtaverunt; & forſitan Civitati ſimiliter feciſſent, niſi Alexander de Comentina tum Conſul, & Albertus Scottus Placentinus tunc Aſtenſium Capitaneus cum militibus electis nocte feſtivitatis Sanctae Mariae Aſſumptae, quae feſtivitas eſt Eccleſiae majoris Civitatis Aſtenſis, e Civitate clam, & tacite exiviſſent, & ante auroram in hoſtes irruiſſent, & eos nihil tale timentes (& qui die antecedenti dum Cives ad pugnam invitarent, nec illis reſponſum daretur, cives cuniculos in tanis timide degentes, & mures in caveis injurioſe vocabant) & vino, ſomnoque ſepultos graviter afflixiſſent, & pluſquam ſeptem centum ex eis occidiſſent, & totidem captivos feciſſent, qui ſteterunt carcerati in Civitate Aſtenſi per tres menſes, inde ſoluta pecunia ſe redemerunt. Milites ergo Federici hac ruina habita ab obſidione Civitatis Aſtenſis receſſerunt. In hac obſidione perierunt variis modis de Civibus Aſtenſibus circiter centum; inter quos Bartholomaeus de Cathena, Henricus de Cortizanis, Simon de Duxiis, Antonius de Veraſiis, Gaſparinus Salvaticus, Thomas Ventura, & Caeſar Rotarius, omnes nobiles de Populo (Aledramus tamen Rotarius Caeſaris Pater erat nobilis de Hoſpitio, idque ſibi acquiſiverat ob ruinam datam Bonifacio Marchioni Montisferrati prope Tongum; quam dignitatem etiam Caeſar filius obtinuiſſet, niſi tunc non pugnaſſet cum Marchione; quare rebellis fuerat declaratus, ad delendam quam infamiam in hoc bello pluſquam ſtrenue ſe geſſit, licet obierit) capti vero fuerunt Marcus Pelleta, Marcus Cachairanus, Fabius Scarampus, Laurentius de Duxiis, Virgilius Pallidus, Angelus de Damianis, Thomas Natta, Secundus Buneus, ſive de Brina, ſive de Cherio, Carolus de Vettulis, Andreas Garretus, Jacobus de Comentina, Thomas Urinus de Barberina, & Ambroſius de Tillia, ſive de Tigna, partim nobiles de Hoſpitio, partim de Populo, qui captivi permutatione cum aliis captivis ex adverſariis redempti ſunt.

Digitized by Google

De Giraldino Rotario, & quod Antonius Aſtexanus compilavit hiſtoriam, ſive Chronicam Aſtenſis Civitatis.

NObilis Giraldinus Rotarius de Monteacuto exiſtens anno Domini 1420. Vice-Sindicus, cum ſaepius occaſione negotiorum Civitatis ſcripturas, quae in Archivio erant, revolviſſet, vidiſſetque in illis aliquas memorias tractantes geſta aliquorum de ſua familia, quae ſibi non placebant, cogitavit malum in corde ſuo, fingensque velle ex confuſis ſcripturis, & memorialibus diverſorum, quae in Archivio erant, ordinatam hiſtoriam, ſeu Chronicam componere, abſtulit ex Archivio omnes antiquas ſcripturas. Sed cum ex ejus ſermonibus Cives in ſuſpicionem ejus, quod ipſe animo conceperat, quod erat obliterandi ea omnia, quae ſibi, vel ſuis, ideſt eorum exiſtimationi noxia eſſe viderentur, vel etiam cremandi; animadvertentes etiam eum non componere hiſtoriam, ſicut promiſerat, de voto totius Conſilii Sindicus, & Conſiliarii ad hoc deputati, qui erant Benedictus Pelleta Sindicus, Laurentius Iſnardus, Jacobus de Quarterio ex nobilibus de Hoſpitio, & Leonardus Mulatius, ſeu de Volpono, & Jacobus Partita ex nobilibus de Populo, abſtulerunt ab eo omnes ſcripturas, & eas tradideruut Antonio Aſtexano; idque fuit anno Domini 1427. Kal. Aprilis, qui Antonius ex eis, & aliis memorialibus per eum ex diverſis ſcripturis collectis Chronicam Aſtenſem compilavit, & eam die 24. Januarii 1455. tradidit Conſilio, & repoſita fuit in Archivio, cujus ego copiam habeo.

Franciſcus Turzanus.

Hujus Chronicae ego exemplum habeo, ſed, quod vel incuria auctoris, vel ſcriptoris id evenerit, mihi ſatis confuſa videtur, & inordinata.

Brutus Salomonius.

Hujus Chronicae ego exemplum habeo, quod mihi videtur ſatis imperfectum, & ordine praepoſtero compilatum.

Gulielmus Cornalia.

Alterum volumen conſtat foliis 40.

Julii Falleti in librum ſuum de Memorialibus Civitatis Aſtae Prologus.

IMmortalitatis deſiderium in omnium cordibus hominum tam inſitum eſt, ut etiam aliqui turpi, & reprehenſibili via & modo illam aſſequi ſint conati. Hinc fuit quod Heroſtratus auſus fuit templum Dianae Epheſiae, quod inter ſeptem mundi mirabilia adnumerabatur, incendere, ut ſic nomen ejus, quod alias non fuiſſet cognitum, ad cunctorum hominum notitiam perveniret. Alii ſanioris judicii ex clare pro patria geſtis ſtatuas promeruerunt; alii ex aliis multis modis nomina ſua in libris immortalitatis conſcribi, & incidi in cordibus hominum procuraverunt. Mihi in mentem venit id aſſequi via, ſi non laudabili, ſaltem non damnanda, ob idque cum multa de origine, augmento, & rebus feliciter, & infeliciter ab Aſtenſibus geſtis a pluribus ſcripta, & ſparſa invenerim, ea omnia in unum colligere decrevi, & in hunc librum redigere, cujus nomen eſt Memorialia de origine, & geſtis Civitatis Aſtenſis; & hoc nomine Memorialium uti volui, quod viderim ab aliis uſurpatum; & quia cum brevitati ſtuduerim, nec hiſtoriam ordinatam texere me poſſe, vel ſcire cognoverim, non omnia me referre debere quae geſta ſunt, ſed quae magis memoriae digna, breviter, & compendioſe narrare. Quo in officio, quid pro rei veritate invenerim, & ſentiam, libere dicam. Non tamen tacebo ea, quae ab aliis ſcripta mihi non videntur recte cum ratione congruere, & fieri non potuiſſe, quae poſtea lectoris judicio diſcutienda, & credenda ejus arbitrio relinquam. Ego quidem, quae vera exiſtimabo, pro veris narrabo; quae vero mihi dubia videbuntur, tamquam dubia proferam. Benignos demum Lectores rogo, ut ſi quid minus recte, vel clare expreſſum, aut per ordinem fuerit, excuſent, & me veritatis ſtudioſiorem, quam eloquentiae exiſtiment; nec potuiſſe in tanto temporis curſu rerumque diverſitate, Scriptorum diſcrepantia, & computi temporum differentia, multarum rerum ex his, quae tractantur, invenire tempora, & verum inveſtigare exitum, & proceſſum. Sed ut in his, quae dicenda ſunt, aliquis ordo ſervetur, ab

eo

Digitized by Google

66 initium Civitatis Aſtae, quod & ex traditionibus Antiquorum, & ex aliquibus lapidibus antiquis colligi poteſt, incipiam.

Civitas Aſtenſis antiquitus Tanarea vocabatur a Tanaro flumine, eam per medium dividente. Tanarum vero a Tano ex deſcendentibus Japhet filii Noe dictum multi exiſtimant; idque arguunt ex eo, quod Gomerus Gallus filius Japhet primus fuit, qui Italiam habitavit, & coluit, & filiis ſuis Regiones Italiae diviſit, e quibus Tanus proceſſit. Nec hoc ſolum argumento opinionem ſuam firmant, ſed aliqui affirmant, & maxime Raymundus Turcus in ſuis ſcripturis, quarum exempla apud me ſunt, atteſtatur ſe cum in Civitate Pollentiae obſes pro Aſtenſibus eſſet anno Domini 1050. extra portam majoris Eccleſiae dictae Civitatis monumentum antiquum cum hac inſcriptione vidiſſe.

D. O. M.
Petro Et Matthaeo Fratribus
De Novellis. Quod Aſtenſes. Et
Alios Pollentii Civitatis Hoſtes Profligaverint,
Patriae Libertatem Servaverint.
Oram Fere Omnem Quae Tano A Gomer Tradita
Fuerat.
Reipublicae Subjecerint.
Tandem A Longobardis. Dum Strenue Pugnarent: Caeſis.
Cives Grati Animi Ergo. P.P. III. Kal. April.
Anno DCXLII.
L. D. D. D.

Supra dictis ego fidem eſſe adhibendam puto, quia in Monaſterio Apoſtolorum ſuper arcu Sacriſtiae videtur lapis cum alia inſcriptione, quae non parum affert fidei ſupradicto lapidi, qui videtur antiquitus fuiſſe in aliquo arcu triumphali, vel ſimili fabricato a Civibus in honorem Pompeji Magni. Inſcriptionis hoc eſt exemplum, quod ab omnibus videtur.

GN. Pompejo Magno, Qui XXII. Regibus
Subactis. Aſtam A Gomer Conditam.
A Galleis Dirutam Reſtauravit.
In Rei Memor. Publ. Laetitiae.
Et Grati Animi Teſtim.
Cives PP. An. Ab. Urb. Rom. Cond.
DCXCIIII.
L. D. D. D.

Nec certe in tanto temporis ſpatio poſt tantas calamitates, & ruinas, quas paſſa eſt Civitas noſtra a Gallis, & a Carthaginenſibus, ab Herulis, Vandalis, Gothis, Longobardis, & ab aliis nationibus barbaris, & a vicinis Principibus, Populis, & Civitatibus, & ex civilibus diſcordiis, & a falſis Civibus, quae omnia rerum antiquarum memorias ut plurimum deleviſſe credendum eſt, minori teſtimonio mihi opus fuit, ut crederem ſupradicta, quam ipſius antiqui lapidis. Cenſeo igitur originem Civitatis eſſe antiquiſſimam ex his cauſis, & a Gomero Gallo prodire. Hic Gomerus Gallus ex Phoenicia recedens cum multis militibus ſociorum & populi novas ſibi ſedes quaerens, & habitationes, pluribus Provinciis, & Regionibus luſtratis tandem in Italiam pervenit, & ut fama eſt, eam Liguriae partem, ubi nunc Genua eſt, primo incoluit, & populis ſuis hinc inde ſparſis, eos agros ſerere, & vites colere docuit: & cum vini quantitatem maximam, & id optimum colligerent, omnem Italiam a vino, quod eorum lingua Enos vocabatur, Etruriam appellaverunt, ipſique Phoenicum omiſſo nomine Enotrii dici coeperunt. Iſti populi variis in locis ſparſi ſub tuguriis, rupibus, vel arboribus habitabant. Neque enim adhuc uſus aedificandi, & conſtruendi domos advenerat. Alii non diviſim, ſed conjunctim vivebant, componentes ſimul tuguria. Ex his, qui primi Italiam incoluerunt, ex ſupradictis certum eſt, veniſſe aliquos ad habitandum extra flumen Tanari, ibique ſparſos habitaſſe, fluminique a Tano eorum Duce impoſitum nomen, & inde incolas Tanareos fuiſſe dictos. Et cum Populi Italiam habitantes ut plurimum rudes, & ignari ſuae originis eſſent, exiſtimantes ſe eſſe de primis hominibus, qui nati eſſent in mundo, jactantes originem ſuam eſſe uſque ab origine mundi, Enotriorum nomen in Aborigenes mutaverunt, quaſi ab origine mundi natos. Attamen Tanarei licet inter Aborigenes numerarentur, proprium tamen nomen retinuerunt; ſicut & aliae populationes, quarum unaquaeque proprio nomine fuit appellata. Cum autem in dies magis populi creſceret numerus, coeptum eſt de agri fertilitate propter armentorum paſculum decertare, cumque viderent facile eſſe unumquemque, dum ſolus eſſet, ſuperare; cogitaverunt coetus componere, ut ſic vel alios ſubjugarent, vel ſaltem melius ſe ſe defenderent; hincque hominum conventus, & cohabitationes,

Digitized by Google

tationes, & sic paulatim Oppida, indeque Civitates ortae sunt: hocque modo verisimile est insurrexisse Civitatem nostram Astam. Sunt qui asserunt Tanaream Populationem adeo floruisse, ut vicinis populationibus jugum imponere tentaverit. Quod facile fuisset, nisi Arcadum novas sedes quaerentium exercitus maximus in Italiam venisset, & Hetruriam, & omnem Italiae Regionem usque ad montes occupasset. Et cum tunc populi Tanari ripas incolentes, ac etiam illi, qui Tauri fluminis (quod flumen postea Padus dictum est) ripas incolebant, jugum Arcadum subire nollent, Tanareos primo fuisse afflictos dicunt, inde Taurios, qui Tanareis opem tulerant, fuisse non longe a montibus a Pallante Arcade viro giganteae staturae adeo profligatos, ut vix decima eorum pars superfuerit, & intra montes sese recipere sint coacti, Pallantem vero ob tantam victoriam Diis immolasse, & in loco, ubi pugnatum fuerat, novam populationem constituisse, eamque de suo nomine Pollentiam appellasse, & in ea loricam suam ponderis quadrigentarum librarum, & hastam crassitudinis illius ligni, super quo a texentibus volvitur, & colligitur tela, quae a Pollentinis per multos annos summo studio, & sedula diligentia conservata fuerunt. Ad quod etiam fuerunt inducti ab Oraculi responso. Nam ipsi de duratione eorum Civitatis quaerentes, Oraculum respondisse ferunt, tamdiu duraturam fore eorum populationem, sive Civitatem, quoad ipsi loricam illam, & hastam penes se haberent. Quomodocumque res se habeat; neque enim in tanto temporis cursu id pro certo affirmaverim, certum est Pallantiam, sive Pollentiam Civitatem fuisse magnam, pugnacis populi, & ad cunctas artes, & studia tum belli, tum pacis apti plenam, & etiam divitiis tum publicis, tum privatis affluxisse; quibus ex causis, & numero Civium freti Pollentini vicinis populis, & praecipue Tanareis ausi sunt bellum inferre, sperantes Tanareorum populatione, quae maxima erat, domita ceterorum facile sibi fore dominio potiri. Sed infelici omine hoc sunt aggressi. Nam Pollentini a Tanareis victi, & afflicti fuerunt, ita ut parum abfuerit, quin etiam libertatem amiserint; facti sunt tamen Tanareis sub tributo. Sub Hetruscis, qui Arcadibus successerunt, inde sub Trojanis Pollentini vires resumpserunt, & libertatem sibi vindicaverunt. Nam Tanarei a Trojanis, & Latinis, & Hetruscis afflicti sunt Pollentinorum tunc rebellium ope, & fuerunt de Tanareis facti captivi in illo bello plurimi ex majoribus; unde factum est, ut Pollentiae Civitas denuo floruerit. Sed post non multos annos Pollentini suae perduellionis & perfidiae poenas dederunt; nam a Tanareis, qui vires reassumpserant, eorum Civitas capta, spoliata, & quasi tota succensa fuit, & ablatae Pollentinis fuerunt a Tanareis & Lorica, & Hasta Pallantis, quae Hasta cum in media Tanareorum platea plantata fuisset, & illi tamquam tropheum appensa lorica, Tanareorum Civitas coepit ab illa hasta Asta vocari, & sic usque in praesentem diem vocatur.

Quae de origine, & denominatione Civitatis a me scripta sunt, ex antiquissimis scripturis, & Memorialibus Hirtii de Troja (quem alii Horatium nominant), quae in Civitatis archivio sunt, & a quondam Domino Melchiore Falleto avo meo collecta sunt, & in suis Memorialibus descripta, ex quibus ego extraxi, & huic sententiae magis aquiesco, quam illi, quae ab aliquibus dicitur, Pompejum Magnum aedificasse Civitatem in loco, ubi Hastam suam plantavit, dicens: Hic Hastam meam planto: Hic Hastam meam aedificabo. Nam originem Civitatis antiquiorem fuisse, tum ex supradicti lapidis inscriptione licet conjicere, tum ex multis actionibus gestis a Civibus ante Pompeji tempora, affirmari potest; & ne videar falso id asserere, quae ab antiquis traditionibus, & scripturis de Astensium gestis collegerim, hic referam.

Julius Falletus, qui vivebat, cum capta fuit Asta a Friderico secunda vice, idest anno 1164. nam sub eodem anno idem Julius asserit se interfuisse his, quae cum summa barbarie, & impietate a Federico, & ejus militibus in Astam commissa fuerunt. Hoc tamen adnotandum, quod plerique Scriptorum Rerum Astensium, cum ea fuerint opinione imbuti, ut Asta dicta fuerit a Pallantis Hasta, victa Pollentia in Astam relata, juxta eandem opinionem, eam cum aspiratione scribunt, cum tamen revera apud quoscumque autores alicujus notae sine aspiratione sit scripta. Nam, uti diximus, Asta idem est Graecis, quod urbs Latinis. Imo in elogio illo magni Pompeji, quod dicitur inscriptum in arcu, qui erat in Abbatia

SS.

Digitized by Google

SS. Apoſtolorum, Aſta ſcripta erat ſine aſpiratione, prout ex exemplari apud Franciſcum Panem reperto, in quo erat forma ejuſdem lapidis deſignata, aperte conſtat. Sed uti dixi, ex quo imbuti erant hi recentiores ea opinione, quod ab Haſta Pallantis ſit huic urbi nomen inditum, ad eam confirmandam ipſam aſpirationem illius nomini praefixerunt.

Exemplar porro Panis eſt hujuſmodi

GN. Pomp. Q. XXII.
Reg. Subact.
Aſtam
A. Gome. Cond.
A. Gall. Dirut.
Reſtau.
Pub. Let. PP.

Hoc, inquam, eſt germanum exemplum elogii, ac lapidis, a quo deductum illud, quod hic inſerit Julius Falletus in pluribus variatum, ſed male; licet opinioni ejuſdem, & aliorum recentiorum conſentaneum. Nam primo male additum Magno. Nam licet ab aſſentatoribus ita appellaretur Pompejus, non tamen publicis in locis, niſi ſub finem vitae illius. Male item totum nomen Pompeji poſitum; abbreviatum enim, ſive prioribus tantum literis indicatum magis ſapit antiquitatem. Male tertio ad illas literas Reg. quae in noſtro dumtaxat ponuntur, additae illae duae J. B. ut ſcilicet ſignificent Regibus: Id enim non importabant illae litterae Reg. Non enim tot Reges domuerat Pompejus, ſed Regiones; tot enim ſubjecerat. Male quarto appoſuit H. ante Aſtam. Romani namque omnes eam ſine aſpiratione ſcribebant. Sic Ptolomaeus, Plinius, Claudianus, ceterique. Male quinto pro Gomer poſitum Gomero; etſi enim Chriſtiani Latine ſcribentes Hebraicas voces Latinas eas declinando faciant, priſci tamen eas ita ut ab Hebraeis proferebantur, relinquebant, uti ſervatum videmus a Hieronymo & aliis, qui Sacram Scripturam ſive in Graecam, ſive in Latinam linguam tranſtulerunt. Male ſexto additum G. ut ſcilicet ſignificet Gallo: ſecuti ſunt nempe Johannis Annii Viterbienſis fabulas, quas ſub nomine Beroſi Caldaei Babylonici ſacerdotis edidit, qui Gomer vocat Gomerum Gallum, ut ſcilicet probabiliorem faciat opinionem ſuam, juxta quam Galliis ab ab ipſo Gomero Gallo fuit inditum nomen; ex quo praeterea apparet hanc inſcriptionem immutatam nequaquam fuiſſe a Julio Falleto, qui longe ante Annium vixit. Fuit enim inſtituti Sancti Dominici poſt annum 1500. Julius autem vivebat anno 1160. Nam, uti dixi, in hujuſmodi elogiis antiqui quam breviſſimi erant.

De deditione facta per Mediolanenſes Federico I. Imperatori.

CUm Federicus Imperator anno Domini 1157. K. Februarii inſtantibus Abſelmo Epiſcopo Aſtenſi, & Gulielmo Marchione Montisferrati Civitatem Aſt fere totam diruiſſet, & incendio conſumpſiſſet, eodem furore motus, quo etiam contra Eccleſiam pugnabat, adverſus alias Civitates arcum furoris ſui tetendit; unde & Derthonam obſedit anno ſcilicet Domini 1155. quam, quod reſtitiſſet graviter, expugnavit, & pene funditus diruit. Eandem etiam jacturam paſſae ſunt plures Villae, & Oppida ultra Ticinum in Regione Lumellina, & Novarienſi; deinde transfretato Ticino flumine obvios habuit Oratores, & Primarios Mediolanenſium, qui non modo ei coronam obtulerunt, ſed & bona, & perſonas. His igitur ductoribus ſequebatur iter; ſed cum ex induſtria illum Mediolanenſes per ſylvas, & invia ac difficilia loca ducerent, & cum averterent a Mediolano, quoad uſque ea Civitas magis munita eſſet, id animadvertens Federicus celeri gradu Mediolanum petiit, & in Mediolanenſium deſpectum Germani Burgos ejus igne conſumpſerunt; unde Mediolanenſes contra Imperatorem portas clauſerunt, qui excuſans, quae facta erant, eo inſcio facta fuiſſe, exceptus fuit in Civitate, & ab Archiepiſcopo coronatus. Paucis poſt diebus Papiam petiit, inde Laudum, & tandem Placentiam obſedit, ſed audiens, quod Pontifex ad eum veniret, ipſe ſoluta obſidione ſuperatis alpibus Apennini juxta Pontremolim Lucam applicuit. Inde Sutrium, ubi Pontifex erat, petiit, a quo exceptus ambo inde ſimul receſſerunt, & Romam iverunt, ubi coronatus fuit. Sed cum novi motus in Germania fierent, ipſe in Germaniam ad eos ſedandos profectus eſt. Sed cum anno ſequenti 1156. nata eſſent diſſidia inter Pontificem, & Federicum, & Mediolanenſes, reaedificata Derthona, & deſtructis Como, & Laudo in Imperatoris ſpretum, jam jam ab eo deficerent

Digitized by Google

ficerent, ipſe Reginaldum Cancellarium ſuum, & Othonem Comitem Palatinum de Vvitiliſpach in Italiam miſit, qui a Cremonenſibus magnifice excepti ſunt, & ipſe cum valido exercitu eos ſecutus eſt, & in adventu Brixiam cepit anno Domini 1157. Cumque inde caſtra ad Abduae ripas poſuiſſet, a Mediolanenſibus, qui in altera fluminis ripa, contumeliis affectus eſt: quare ſuccenſus ira flumen tranans, inimicos in fugam vertit; poſtea Mediolanum etiam petiit, credens Mediolanenſes humiliter ad ſe venturos eſſe, qua ſpe fruſtratus ſe deſpectum exiſtimans, majori ira ſuccenſus aucto exercitu ex Papienſibus, Cremonenſibus, Novarienſibus, Aſtenſibus, ac aliis Longobardis Mediolanum obſedit, & pugnavit, & Mediolanenſes in Civitatem ſe recipere coegit, & Burgos ejus populatus eſt; inde obſidionem ſtringens anno Domini 1158. eo res Mediolanenſium deducta eſt, ut cum graviter bello premerentur, nec reſiſtere poſſent, cunctis, quae illis prodeſſe poſſent, tentatis, cum nihil proficerent, tandem ſe, & ſua Imperatoris tradiderunt voluntati. Gladios itaque evaginatos ſuper colla ponentes, cruces quoque, & alia inſignia proferentes nudis pedibus ad pedes Imperatoris ſe proſtraverunt, quibus Imperator precibus Regis Bohemiae, & Leopoldi Ducis Auſtriae, & aliorum Principum, qui in hac deditione operam navaverant, flexus vitam donavit, qua deditione facta egreſſi ſunt e Mediolano ſeorſum nobiles, ſeorſum populares, qui proceſſerunt uſque ad urbem Laudenſem, ubi erat Imperator. Plebei vero vexillum Sancti Ambroſii ſuper carrocium ſuum affixerunt, quod carrocium, ſicuti antea Eribertus eorum Archiepiſcopus eos docuerat, multis crucibus exornabant. Itaque Imperatori jurata, & tradita eſt poteſtas ſuper Urbem.

Ex his, quae vidi, Julius Falletus.

Idem, quod ſupra, inveni in pluribus ſcripturis, & vidi ruinam Civitatis Aſt, quae certe lacrymabilis res eſt. Siquidem in ea deſtructione perierunt ex ferro, & flammis ultra octo millia virorum, mulierum, & parvulorum; nec parcitum fuit religioſis viris: ſi quidem Monaci S. Benedicti caeſi ſunt, eorum Coenobium ſpoliatum, & ſuccenſum, & ſacra vaſa prophanata, & rapinae expoſita. Moniales Sancti Spiritus defloratae, & tandem occiſae, & earum monaſterium ſpoliatum, & dirutum: Presbyteri, & aliae religioſae perſonae contumeliis affectae, verberatae, vulneratae, trucidatae; virgines, & aliae mulieres per totam Civitatem libidini militum expoſitae; aliae auribus, & naſo mutilatae; aliis fuerunt ſectae mamillae; aliae ſpoliatae nudae, & columnis, & aliis ſimilibus locis, aut cancellis variis modis ligatae, ut ſic pudenda praetereuntibus oſtenderent. Fuerunt etiam facti plures captivi, & ducti apud exercitum, & tandem huc, atque illuc in carceribus poſiti, ubi vel miſeram vitam fame, vel foetore finierunt, vel ſe redemerunt ſolutis ingentibus pecuniarum ſummis. De nobilibus perierunt in deſtructione Civitatis multi de Coſta, de Regibus, de Solario, de Caſtello, de Cathena, de Cortizanis, de Aſinariis, de Duxiis, Pulientibus, de Cortandono, de Cortiſellis, de Farina, de Carretis, de Pelletis, de Iſnardis, de Rota, de Rotariis, de Furno, de Montagnis, de Turchis, de Falletis, de Variſellis, de Ritiis, de Venturis, de Quarterio, de Borgogninis, de Mari, de Malabaylis, de Garretis, de Cantù, de Lajolis, de Bullis, & fere omnes illi de Montibus. Nec fuit ulla familia nobilis, de qua non perierint ad minus tres, & de aliquibus ultra ſeptuaginta perierunt, ut fuit de familia de Regibus. Captivi vero facti fuerunt ultra decem millia viri; nec de nobilibus ſalvi facti ſunt aliqui, niſi pauci; Thomas ſcilicet Alferius, Nicolaus Ponte, Gaſpar Buſca, Stephanus Brunus, Robertus Pallidus, Blaxius Duxius, Petrus Vitia, & Ambroſius de Antignano, qui ob id quaſi ipſi partes Imperatoris foviſſent, fuerunt a Civitate expulſi; ſed innocentiam ſuam oſtendentes ſalvi a poena facti ſunt, & redierunt domum. Captivi vero ſexaginta millia librarum poſt menſes decem & novem ſe redemerunt, ſed multi, ut dictum eſt, jam perierant. Ex hac ruina Civitas damnum paſſa eſt inaeſtimabile, & tunc vicini, & maxime Marchio Montisferrati occaſionem rei bene gerendae nactus plures Villas, & Caſtra Aſtenſibus ademerunt; nec occaſionem perdiderunt Marchiones Saluciarum, Inciſiae, & de Carreto; ſed tandem rebus Aſtenſium aliquando quieſcentibus, Aſtenſes Deo, & Beato Secundo faventibus omnia, quae ſua erant, recuperaverunt, & alia lucrati ſunt. In hac ruina plures ſcri-

Digitized by Google

Scripturae incendio conſumptae ſunt, & combuſta eſt Bibliotheca Monachorum Sancti Benedicti, in qua erant libri pluſquam quinque millia.

Secundus Parutia.

Idem vidi notatum in Memorialibus Epiſcoporum. Andreonus Garretus, ac etiam in Memorialibus, quae ſunt in domo mea.

Narrat hanc hiſtoriam Nauclerus Gen. 39. Brutus Salomon.

Hanc Mediolanenſium hiſtoriam narrant plures hiſtorici, & alii; & inter ceteros Simon Majolus in libro de Imaginibus Centuria XII. cap. 17. & hiſtoriam Aſtenſis ruinae vidi in Memorialibus Gulielmi Cornaliae, a quo eſt mea deſcendentia, & in Memorialibus Ogerii Alferii, & in Memorialibus Ruffini Venturae, & in Memorialibus, ſeu Chronica Antonii Aſtexani.

Gulielmus Cornalia.

De Duxiorum familia, ſive de Duxiis, ſive de Ducibus.

HAec familia antiquiſſima eſt, & ut fertur, originem habuit a parvo principio, ſed tamen inſigni propter virtutem. In ſcriptis ergo Faebii de Reſtis (quem alii Fabium nominant, & qui fuit circiter anno ab Urbe Romana condita 143. ſub Tarquinii Priſci Regno, quod eſt anno mundi 3352. vel circiter) invenitur, quod cum Belloveſus Ambigati Gallorum Regis filius in Italiam cum Gallorum innumera multitudine per juga montium, qui Jovis, & Cinitii vocantur, deſcendiſſet, ibique fixiſſet; . . . . . Taurinum agros Saluvios, qui nunc Salutiani vocantur, & alios Subalpinos populos foedere ſimul iunctos coacto exercitu ſibi juxta Eridani ripas ſe oppoſuiſſe, cum eo pugnaſſe, illique gravem cladem intuliſſe; quo viſo Belloveſus coactis omnibus militibus ſuis (ſiquidem in antecedenti pugna vix tertiam exercitus ſui partem ſecum habebat) flumen tranſire enixus eſt. Sed cum hi populi interea Hetruſcos ſibi aſſociaſſent, atque ingentem exercitum comparaſſent, evenit ut Belloveſi res in maximo diſcrimine verſaretur; jam jamque cum operis coepti poeniteret, cumque de regreſſu in Galliam conſilium haberetur, omniumque vota ad id eſſent propenſa vel eo maxime, quia exercitus commeatus inopia laborabat, & peſtilens lues multos necaverat, nec ceſſare videbatur: id audientes aliqui milites, qui omnino in Galliam redire nolebant, eo quod ibi in egeſtate eſſent, conſilio inter ſe habito decreverunt, quidquid de ipſis fortuna ferret, ibi habitare, ubi tunc erant (quod in loco ubi Carnianum eſt, fuit) cumque hac intentione adverſus ejus loci habitatores mitius agerent, ab eis diligebantur: ex quo evenit, ut non modo cum eis amicitiam contraxerint, verum etiam intercedente matrimonio Carni (id enim unius ex Gallis nomen erat) cum Tana filia cujuſdam, qui Provincia vocabatur, affinitatem etiam contraxerint; quare ab incolis ejus loci didicerunt locum, ubi flumen facilius trajicere poſſent. Quo cognito cum Gallorum jam immineret receſſus dies, iſti Gallorum vices miſerati ad eos unum de ſociis, qui Iodoch vocabatur, miſerunt, qui Belloveſo, quae ab incolis ejus loci acceperant, nuntiaret, & dummodo eis, qui eum locum inhabitabant, nullum damnum inferretur, favorabile eorum ſervitium eos praeſtituros, ſponderet; quibus conditionibus a Belloveſo obtentis ſequenti nocte exercitus Gallorum pars per demonſtratum locum flumen trajecit, & omnem regionem, quae cis Padum eſt, obtinuit. Quod videntes Hetruſci ſibi timentes inde receſſerunt, & ad res, & ſedes ſuas defendendas perrexerunt. Taurini vero, & Saluvii propriis viribus libertatem ſuam tueri non valentes Belloveſi Imperium ſubierunt. Belloveſus ergo obſequii ſibi a Carno, Jodoch, & aliis eorum ſociis praeſtiti memor, non modo ejus & eorum clientibus offenſam omnem prohibuit, ſed Carno cunctos habitatores ejus loci, in quo degebat, & plures alios circumcirca ſtantes ſubjectos eſſe voluit. Inde aliqui volunt ex Carni, & Tanae nominibus Carnitanum fuiſſe dictum oppidum, quod nunc Carnianum appellatur. Jodochum vero, eo quod ſtrenuus miles eſſet, Turmae praefecit (quam Phalangam vocant, alii Legionem dicunt) & ad occupanda loca miſit. Sed cum peſtis in Gallorum exercitu debacchatetur, Clouis, [alii Claudium dicunt] Frater Jodoci medicinae peritus, compoſitis medicaminibus, & dato certo vivendi ritu peſtem ſedavit, ex quo Belloveſi ſibi gratiam,

Digitized by Google

tiam, & totius exercitus ſibi benevolentiam comparavit. Jodoch igitur ceſſata peſte collectis militibus ſuis in planitiem, ubi nunc Villa Nova eſt, venit, & omnia loca circumcirca ſibi ſuppoſuit; quod videns Baldan, ſeu ut alii dicunt, Baudronus, alius ex ſociis ſuis invidia tactus coepit ſubjectos Jodocho populos variis allicere modis; ſe eorum incolumitati, & libertati ſtudere fingens, ſicque plures ex eis ad ſe vocatos, & Podevo alio ex ſociis ſibi adjuncto, orationem ad eos habuit contra Jodochum, & eo res proceſſit, ut eum ex illis finibus expellere deſtinaverint, locumque ſortiti ibi munitiones extruere, ubi ſe collegati reciperent, coeperunt, & Jodocho alibi occupato compleverunt, nemine obſtante, quam poſtea Villam ſic munitam a Podevo Podevarinum appellaverunt; quo completo adverſus Jodochum manu armata venerunt, ut eum perderent. Sed tantum abfuit, ut voti compotes facti fuerint, ut etiamſi eum de improviſo adorti fuerint, tamen ipſe non modo ſe defenderit, ſed eos captivos fecerit, pluribus aliis caeſis. Hos igitur captivos Jodoch ad Belloveſum miſit vinctos. Belloveſus ergo in Poduam, & Baldan noluit animadvertere propter egregie per eos navatam operam apud Carnitanum in tranſitu Eridani, & in aliis locis, ſed vinctos eos ſervavit, ſocios vero ſuos ſuſpendi mandavit; cumque Jodochum laudaſſet plus ſatis, quod non modo ſtrenue ſe geſſiſſet in defendendo, & adverſariis profligandis, verum etiam benigniter tamquam qui cum in infidos, & invidos ſocios juſte poſſet animadvertere, ab eo abſtinuiſſet, ipſum totius ſui Exercitus praefectum creavit, & Ducem appellavit. Quod nomen deinceps ſemper fuit ſibi dictum, nec amplius Jodoch fuit vocatus: quo in munere Praefecti, & Ducis ita ſtrenue & prudenter ſe geſſit, ut inde & immortalem ſibi gloriam, & multas divitias comparaverit. Cumque poſtea Belloveſus omnem Italiam ad uſque Hetruriam obtinuiſſet, Mediolanum & alias Civitates aedificaſſet, & iſtius Ducis conſilio & opera in omnibus tum belli, tum pacis negotiis uſus eſſet, ei & Clouis, ſive Claudio fratri multa contulit privilegia, & caſtrum Brioy in Gallia cum pluribus adjacentibus, & circumſtantibus locis eis donavit, & in Italia modia triginta ſex millia terrae, prati, & nemoris, & interea paludem & lacum, ubi nunc Villa Nova eſt, quae palus in medio rerum donatarum erat poſita, dono dedit, & immunes a quocunque onere reali, vel perſonali in perpetuum eſſe voluit, & cum ipſius Ducis precibus (qui Baldani, ſeu Baudrani, & Podovae miſertus erat) Belloveſus eos liberaſſet e carceribus, in quibus per octo annos & ultra ſteterunt, Inam Baldani filiam mulierum pulcherrimam Duci in matrimonium collocavit, & Meniam Podovę etiam filiam decoram aſpectu Clouis, ſeu Claudio in uxorem dedit; ſic ſperans futurum, ut inter Baldanum, Podovamque ex una, & Ducem, & Claudium ex altera exortae inimicitiae dirimerentur; quod certe contigit; ſed parvo duravit tempore. Nam invidia proſperitatis horum fratrum, quae cauſa fuerat prioris machinationis, quam Baldan, & Podova contra eos ſtruxerant, etiam ad denuo ſtruendos dolos contra eoſdem animum Baldan, & Podovae incendit. Quare Podova Meniam filiam ſuam Claudii medici uxorem induxit ad eum veneno necandum, quod ipſa praeſtitit. Sed cum non ſatis caute circa adminiſtrationem verſata eſſet, ipſa ſe ipſam etiam veneno peremit. Alii dicunt, quod cum Claudius ſe ab uxore venenum accepiſſe cognoverit, eam coegiſſe ad bibendum reliquum vini venenati, ex quo ipſa etiam obiit. Alli dicunt Podovam ſcelus ſceleri addendo dediſſe venenum filiae, ne patris ſcelus proderet. Quomodocumque ſit, perierunt ambo vir & uxor veneno: relicto tamen Stipuntio, & Gilla filiis impuberibus. Dux vero ſibi cavens, dolos ſibi paratos evaſit. Podova deinde, cum eum poenituiſſet proditionis adverſus innocentem admiſſae, quadam die ad Ducem venit, & genibus flexis ab eo veniam imploravit, & obtinuit. Baldan hoc audiens, ſibi timens Podovam occidere tentavit, cum in venatione eſſet. Sed cum exequi non poſſet, ſatellitis cujuſdam ſui opera Podovam coenantem confodit, fuitque etiam a circumſtantibus ſatelles confoſſus; cumque idem facere tentaret Duci, non potuit adimplere morte praeventus; Dux poſtea uſque ad extremum ſenium gloria celeberrimus, omnibus carus, divitiis affluens, & vitae moderatione conſpicuus perſeveravit, inde obiit ſummo omnium moerore. Attamen inter deſcendentes ejus, qui poſtea Duxii dicti ſunt nomen in cognomen mutando,

&

& inter deſcendentes Baldani, qui Baudrani dicti ſunt, nomen etiam in cognomen mutantando, perpetua fuit aemulatio, conatique ſunt Baudrani totis viribus non modo famam, & opes Duxiorum extinguere, ſed etiam corpora eorum. Ex Duce ſuperfuerunt decem filii; Belloveſus ſcilicet; qui ei ſucceſſit etiam in regimine exercitus Belloveſi Regis; Segoveſus, quem in Galliam ad poſſidendum bona, quae ibi habebat, miſit; Inus, quem aliqui Janum vocant; Levaldicius, Eduxenus, Jodochus, Clouis, ſeu Claudius maſculi: & Galla, Alviſia, & Lino foeminae. Ex Ino, ſeu Jano proceſſerunt inde multi alii, inter quos anno ab Urbe Romana condita 210. fuit inſignis Livius, dictus Lupus a comedendi voracitate, qui fuit adverſus Romanos Dux Gallorum, & pugnavit cum . . . . . , & captivus factus eſt, & Romam ductus ibi in carceribus per duos annos ſtetit; inde liber factus aeris mutationem timens mortuus eſt.

Fx Faebi de Reſtis, Deciani de Naſiis, & Vallarandi de Troja Memorialibus. Mutius de Glande.

Hanc hiſtoriam narrant Jacobus Caze, & Thomas Auricula ſic ut ſupra eſt. Raymundus Turcus.

Quod Romani Siciliam occupant.

CIrciter anno ab Urbe Condita 543. & Mundi 4990. Romani Capuam obtinuere, inde perrexere in Siciliam cum exercitu, & ibi plures pugnas fecerunt, in quibus victores cum remanſiſſent, caeſis multis millibus virorum, qui pro Sicilianis militabant, inter quos fuerunt multi Aſtenſes, Inſulae totius dominium obtinuerunt, & praeſidio firmaverunt.

Ex plurium Memorialibus. Paganus Inciſia.

Quando Galli adorti ſunt Romanos, & victi ab eis.

ANno ab Urbe condita 608. & Mundi 5055. exiſtentibus Conſulibus Lucio Catulo, & Aulo Manilio Tiberis adeo excrevit, ut omnia aedificia Romae, quae in planitie poſita erant, ſubverterit; unde multa hominum, & mulierum, & parvulorum millia perierunt. Eodem tempore Galli, contra quos Romani in Liguria pugnabant vario marte, adorti ſunt Romanos, ſed victi a Romanis fuerunt, & inter Gallos fuerunt plures Aſtenſes, de quibus multi perierunt, & multi captivi facti ſunt, qui ſteterunt in carceribus per multum tempus; inde ſeſe redemerunt maxima pecuniae quantitate ſoluta. Sed cum durante eorum captivitate multa damna paſſi eſſent in perſonis, & rebus; quando poſtea reverſi ſunt, aliqui extrema laborabant egeſtate; alii ex infirmitatibus, quas aquiſiverant in carceribus, perierunt.

Ex Archivio Civitatis, & ex Memorialibus Philippi Ricii. Julius Falletus.

Et ex Aquila Volante Leonardi Aretini.

Gulielmus Cornalia, & Brutus Salamonius.

De Publio Ælio Pertinace Imperatore.

ANno Domini 170. & Mundi 5369. cum M. Antonius Verus, & Lucius Aurelius Verus Imperatores colligerent milites pro expeditione Marcomanica, petierunt auxilium a populis ſibi confoederatis, & ſic a Liguribus, quare ad id bellum iverunt plures tam de Aſtenſibus, quam de Pollentinis, & Albenſibus, & aliis vicinis populis. Aſtenſium tunc Dux fuit Claudius Peyla ſtrenuus miles, Albenſium vero Dux fuit Publius Ælius Pertinax, ex Alba oriundus, filius Notaſii, qui cum ad militiam valde eſſet inclinatus, ſtrenue tam in ea expeditione, quam in Pannonia ſub Marco Antonio praedicto, & poſtea etiam ſub Lucio Commodo militavit. Quare ſummopere ab exercitu diligebatur. Et cum poſtea anno Domini 195. & mundi 5094. obiiſſet Lucius Commodus, Publius Ælius Pertinax ad Imperium aſſumptus eſt, & imperavit menſibus tantum ſex; nam inſidiis Didii Juliani, qui ei in Imperio ſucceſſit, fuit in Palatio a militibus occiſus.

Ex ſcripturis, quae ſunt in Archivio Albae. Jacobus Caze.

Ex plurium Memorialibus, Paganus Inciſia.

De ſecundo bello inter Romanos, & Carthaginenſes.

ANno ab Urbe Romana Condita 530. & Mundi 4980. ſecundum bellum inter

Digitized by Google

Romanos & Carthaginenſes coeptum fuit poſt Sagunti ruinam, in quo bello multi Aſtenſes cum Carthaginenſibus fuerunt.

Ex plurium Memorialibus. Paganus de Inciſia.

De Gothis, & eorum adventu in Italiam.

SCiendum eſt Gothos multa nomina habuiſſe. Primo ſiquidem fuerunt appellati Scithae, & ſedes ſuas habuerunt verſus Tanaim prope Europam, gens ferociſſima (ſunt tamen qui dicunt eos Aſiam incoluiſſe) iſti a Lucullo, dum in Aſia bellum gereret, victi fuerunt. Eoſdem etiam Caracalla ſuperavit, & domuit anno ..... Non multo poſt Viſigothi (ſic dicti) quia antea armis Romanos vexaverant, & illis multa damna intulerant, ſe cum Oſtrogothis (ſic dictis) ſe conjungentes exercitum trecentum millium virorum collegerunt, & Meziam, ac Thraciam vaſtaverunt : demum occupata Thracia, ac etiam poſtea Macedonia, Claudius II. eos vicit, & debellavit, caeſis amplius quam ducenta millia, & ſubmerſis duobus millibus navium ipſorum. Quare illi ſtatuam in Capitolio Senatus poſuit. Aurelianus deinde Canobium Gothorum Regem ad Danubii ripas vicit, unde in Triumpho decem foeminas ex Amazonibus habuit. Inde anno Domini 378. imperante atrociſſimo Chriſtiani nominis perſecutore Valente, Hunni Viſigothos ultra Danubium pepulere caeſos ex eis innumera multitudine. Gothi demum anno Domini 400. in Italiam venerunt, & illam ſpoliaverunt, & ruinis, & caedibus, & aliis malis vaſtaverunt.

De Waramondo, qui ſe Gallorum Regem fecit.

ANno Domini 426. & mundi 5625. cum propter ſcelera Romanorum Imperatorum Romanum Imperium valde declinaret, id cernens Waramondus inter Gallos vir ſtrenuus, & in maxima exiſtimatione, Gallos a Romanorum ditione ſubducere cogitavit; ratus populos illos ſemper rerum novarum cupidos ex innata animorum inquietudine facile in ſuam ſententiam reduci poſſe. Nec eum fefellit opinio; ſiquidem ſtatim atque cum Gallis de recedendo ab obedientia Romanorum tractatum fuit, & de proprio Rege eligendo, illi libentiſſime fuerunt aſſentiti; cumque Waramondi virtus tunc celebris eſſet, eum ſibi Regem elegerunt.

Ex plurium Memorialibus, & ex hiſtoriis. Raymundus Turcus.

De Eccleſiis Catholicis, quae conſtitutae fuerunt in Italia.

IN Italia cum primum in illa coepit ſedem ponere fides Catholica, duae Eccleſiae fundatae ſunt; Romana ſcilicet, & Mediolanenſis ab Apoſtolis; & inde Sanctus Marcus Aquilegienſem conſtituit. Ex Mediolanenſi, quae a Sancto Barnaba fundata fuit, etiam Aſtenſis eodem Sancto auctore originem habuit, & B. Mariae dicata anno Domini.....

De Prohibitione facta Clericis, ne uxores ducant.

ANno Domini .... cum antea tempore Divi Ambroſii Epiſcopi Mediolanenſis ipſe Sanctus Praeſul aliquos Sacerdotes ſub Hoſtiariorum, & Lectorum titulo ordinaſſet, quibus uxorem ducere conceſſerat, modo Virginem ducerent, qua defuncta vitam vidualem ſervarent; idque uſque ad Alexandri III. Papae tempora duraſſet; tandem Alexander III. Papa id vetuit, ſtatuens ne de cetero liceret Clerico cuivis uxorem habere, quod inde a Concilio approbatum fuit; mandans inſuper, ut perpetuo caſte viverent; quare poſtea anno Domini 1062. Henribaldus Cotta, cum Clericis conjugatis moleſtus eſſet, ab eis crudeliter fuit trucidatus.

De Victoris Pſeudo-Pontificis morte; & quod Guido in ejus locum ſuffectus eſt, & de Aſtenſibus.

ANno Domini 1165. & mundi 6364. cum pracedenti proximo anno Federicus Concilium in Divone convocaſſet, cui noluit adeſſe Alexander, ſed aliud in Turone celebravit, & Federicus ira fervens adverſus Alexandrum Victorem in Italiam miſiſſet, volens poſtea eum ſequi, hoc anno Domini 1165. Victor

cum

Digitized by Google

cum in Italia in Civitate Lucae eſſet, mortuus eſt, quo defuncto Guido in locum ejus ſuffectus eſt. Romani tamen Alexandro faventes eum ex Gallia revocaveruut, & cum veniſſet, ab eis cum maximo gaudio exceptus eſt; propter cujus adventum Populi Longobardiae in ſpem libertatis, & ſalutis venerunt & adverſus Federicum, qui tirannice, & in virga ferrea dominabatur, ſumptis armis milites ejus a cuſtodiis aliquorum oppidorum ejecerunt; inter quos Aſtenſes obſederunt cuſtodes Caſtri, quod Epiſcopi vocatur, & cuſtodes Caſtri Vallorum, & Caſtri Montis Raynerii, ſive Arenarii, & per famem, & alia incommoda eos ad deditionem compulerunt; & ſimiliter cuſtodes Caſtrorum Annoni, Rochae Aratii, & Rochae Sclavinae ejecerunt, ceperunt, & plures occiderunt, & in libertatem ſeſe poſuerunt.

De Henrici Imperatoris morte, & de damnis, quae dedit Aſtenſibus.

ANno Domini 1126. & Mundi 6325. cum antea anno Domini 1118. Henricus a Gelaſio Papa ope Gulielmi Apuliae Ducis, & Roberti Campaniae Principis, ac plurium aliorum fugatus in Germaniam reverſus eſſet, id aegre ferens, hoc anno Domini 1126. ſub Honorio Secundo Papa in Italiam cum exercitu rediens multa mala fecit; tandem a Deo percuſſus coecus factus eſt, & Trajecti mortuus eſt decimo Kal. Junii in ipſis feſtis Pentecoſtes. Hic Henricus multa mala intulit toti Italiae, & maxime Aſtenſibus, qui quatuor vicibus ſe ſe a vexationibus redemerunt maxima pecuniae quantitate perſoluta.

De Ruina Civitatis Aſtae.

VIdi ego ruinam Civitatis Aſtae, quae certe lacrymabilis eſt. Siquidem in ea deſtructione perierunt & ferro, & flammis octo millia virorum, & mulierum, & parvulorum; nec parcitum fuit religioſis viris. Siquidem Monachi S. Benedicti caeſi ſunt, eorum Coenobium ſpoliatum, ac ſuccenſum, & ſacra vaſa prophanata, & rapinae expoſita. Moniales quaedam defloratae, & tandem occiſae, & earum Monaſterium ſpoliatum, & dirutum. Presbyteri, & aliae religioſae perſonae contumeliis affectae, verberatae, vulneratae, trucidatae. Virgines, & aliae mulieres per totam Civitatem libidini militum expoſitae. Aliae auribus & naſo mutilatae; aliis fuerunt ſectae mamillae, aliae ſpoliatae nudae, & columnis, & aliis ſimilibus locis, aut cancellis variis modis ligatae, ut ſic pudenda praetereuntibus oſtenderent. Fuerunt etiam facti plures captivi, & ducti apud exercitum, & tandem huc atque illuc in carceribus poſiti, ubi miſeram vitam fame, vel foetore finierunt, vel ſe redemerunt ſolutis ingentibus pecuniarum ſummis. De nobilibus perierunt in deſtructione Civitatis plurimi, nec fuit ulla familia nobilis, de qua non perierint ad minus tres, & de aliquibus ultra ſeptuaginta; ut fuit de familia de Regibus. Nec de Nobilibus ſalvi facti ſunt, niſi pauci: captivi vero ſexaginta millibus librarum poſt menſes decem, & novem ſe redemerunt, ſed multi ut dictum eſt jam perierant. In hac ruina plures Scripturae incendio conſumptae ſunt, & combuſta eſt Bibliotheca Monachorum S. Benedicti, in qua erant libri pluſquam quinque millia.

Guillelmus Ventura.

Anno 1244. Innocentius de Fliſco Januenſis Pontifex Maximus venit Aſtam pergens Lugdunum, & hoſpitatus fuit in Monaſterio Apoſtolorum ad expenſas dicti Monaſterii — Contra Bzovium, & Sabellicum.

Anno 1273. 2. Julii. Indict. 1. die Dominica D. Conradus Epiſcopus Aſtenſis adiens locum, ubi debebat conſtrui Eccleſia Fratrum Ordinis Poenitentiae Jeſu Chriſti, qui deinde Ordo Servorum Beatae Mariae nomen aſſeruit, in Burgo S. Marci in praeſentia Fratrum, & D. Manuelis de Coconato, Fratris Uberti Cardinalis, & aliorum teſtium infraſcriptorum, ipſe D. Conradus Mitratus lapidem in Oratorio Confrariae ipſius Burgi primarium conſecravit, & manu propria poſuit nomine vocabuli Sanctae Catharinae, & Miſſam per ſuum Capellanum celebrari fecit ibidem. Deinde Fratribus ipſius Oratorii competens Coemeterium, & in eo Crucem ligneam fecit apponi, eiſque conceſſit Indulgentias 40. dierum, uſque ad annum proximum omnibus volentibus ipſis Fratribus manum adjutricem porrigere, & eun-

tibus

Digitized by Google

tibus etiam ad dictum locum causa poenitentiae.

III. Idus Julii obiit Dominus Ubertus S. Eustachii Diaconus Cardinalis, Archidiaconus hujus Ecclesiae, qui reliquit huic Ecclesiae libras 400. Astenses pro una Capellania, & Crucem auream, ubi est de vera Cruce, in qua Christus pependit cum pede argenteo, vestes de Sanneto rubeo, scilicet Planetam, & Manile . . . . . & Pluviale, & tria Pallia.

De Corpore S. Secundi.

ANno Domini 1212. Indict. XV. die Martis. Kal. Aprilis Alardus Praepositus, Michael Blandus Scarampus, Guillelmus de Novaria, Albertus de Cathena, Conradus de Platea, & Magister Artesius Canonici Collegiatae S. Secundi, cum fama vulgaretur ejusdem Sancti Martyris corpus Venetiis esse, investigare decreverunt, num forte aliqua fraude sublatum fuisset. Quapropter turre confracta duo monumenta marmorea, & in medio eorum unum plumbeum invenientes ibidem, illud, quod est plumbeum, primo aperuerunt; ita quod Sanctum Corpus a vertice usque ad pedes inspexerunt integrum, & viderunt. Videntes igitur, & in Domino exultantes, reclauserunt monumentum, sicut fuerat prius. Et postmodum aliud quod est a dextro latere aperientes, in eo aliud Corpus integrum invenerunt. Tertio vero monumento clauso remanente, cum illud aperire non possent, turrem exultantibus animis reclauserunt. Facto autem mane mulieres invento coemento adhuc recenti clamabant dicentes, quod exinde Sanctum Corpus extractum fuerat, & furatum. Unde tota Civitate conturbata pariter & commota, venerabilis Pater Episcopus Guidottus cum fratribus suis, & Potestate Civitatis Aimerico de Cremona nuncupato, multisque aliis ad Ecclesiam praefatam accedens, aperto foramine, quod dicti Canonici de nocte fecerant in turre suprascripta, Corpora Sanctorum, sicut praediximus, invenit in ea, & ea tam Clericis, quam Laicis compluribus evidenter ostendit. Unde recluso foramine ac firmato, omnes una voce pro inventis Corporibus laudes reddiderunt Altissimo Creatori, cui est honor & gloria in saecula saeculorum. Amen.

Julius Falletus de Rebus Astensibus.

De Privilegio concesso per Federicum Imperatorem Taurinensibus, ex quo damnum accidit Civitati Astensi.

ANno Domini 1228. & Mundi 6427. ut magis Astensis Civitatis conditio fieret deterior, Taurinenses a Federico II. Imperatore obtinuerunt sub die prima Decembris hujus anni Domini 1228. ut Bagnolienses, Caburrenses, Publicii, Scalingii, Plosacenses, Bargienses, Vigonenses, incolae Vallis Macii, (alii Macrati dicunt) ac ceteri Subalpinae Provinciae Nobiles Taurinum incolere tenerentur, singulique ibidem domos aedificarent. Ex quo gravia damna Astensibus obtigerunt; siquidem Carolus, & Hugo Plozasco, qui inter Subalpinos non mediocri in existimatione erant, & qui illis a Ruvere (qui ab Astensibus ad Taurinenses defecerant) obstabant, & res Taurinensium, & Marchionis Salluciarum, & Marchionis Montisferrati aequa lance pensabant, hujus edicti, virtute Astenses relinquere coacti sunt, quibus tamen etiam aliquando favorabiles extiterunt. Difficile est enim antiquam animi affectionem, nulla maxime intercedente offensa, evellere.

Ex ipsius Privilegii Taurinensibus concessi copia, quae in Archivio Civitatis Astensis servatur. Franciscus Turzanus.

De Origine Congregationis Augustinianae, quae Lombarda appellatur.

ANno Domini 1444. frater Joannes Roccus Papiensis, & frater Gregorius..... Cremonensis Augustiniani Congregationi Augustinianorum, quae Lombarda appellatur, in Cremae oppido initium dederunt. Haec Regula Sancti Augustini adeo existimatione brevi tempore crevit, ut pluribus locis Pedemontis Monasteria obtinuerit, & proventus; inter quae fuit Civitas Astensis, quae anno Domini 1459. illi locum prope Arcem parvam Civitatis, quae Cittadella vocatur, donavit, atque eleemosinis piorum Civium victum pro binis fratribus obtinuerunt.

Ex historiis & Archivio Civitatis. Franciscus Turzanus.

Vo-

Digitized by Google

Volumen tertium complectens folia 25.

De Victoria Annibalis adverſus Romanos ad Lacum Traſimenum, ſive Peruſii.

ANno ab Urbe Romana condita 538. & Mundi 4985. cum anno praecedenti Annibal in Italiam deſcendiſſet, & prope Trebbiae flumen (alii dicunt apud Ticinum) cum Publio Cornelio Scipione Conſule pugnaſſet, & exercitum Romanorum fudiſſet, hoc anno ex ſtationibus hibernis diſcedens primo vere, poſtquam audivit Romae creatos fuiſſe novos Conſules, ſcilicet Gneum Servilium, & Cajum Flaminium; jamque Servilium ad Padum veniſſe, & a Scipione exercitum habuiſſe, ipſe incurſiones fecit in Hetruriam; & priuſquam id Romanis notum fieret, omnem Hetruriae regionem ſpoliavit, nec longe abfuit a Roma ipſa; quod videntes Romani cum exercitum validum qui reſiſtere poſſet, non haberent, exterriti valde ſunt. Ne tamen ſibi ipſis deeſſent, quamvis ab Urbe abeſſent & Conſules, & ceteri Magiſtratus, elegerunt Centennium praeclarum virum, & inter primarios Urbis in eorum Ducem, & conſcripto tumultuario exercitu octo millium virorum, illum Centennio dederunt, & ad Lacum Traſimenum, alias Peruſii, miſerunt, ut Carthaginenſes ab excurſionibus vel in totum averteret, vel ſaltem retardaret. Interea Flaminius, qui cum triginta millibus militum, & peditum interiorem Italiae partem cuſtodiebat, haec audiens, magna cum feſtinatione veniens (cum rei bellicae ignarus eſſet), nulla data quiete militibus, & peditibus ſuis, (exiſtimans ita ſibi famam comparare), feſtinabat pugnare cum Annibale; quo cognito Annibal, & cognita etiam Flaminii inexperientia, caſtra poſuit & in colle, & ad Lacum, & equites levis armaturae in inſidiis poſuit in valle. Tunc Flaminius paulo ante auroram viſo exercitu Annibalis ſubſtitit aliquantulum, ut exercitus Romanorum quieſceret, & vallum compleretur, quo facto exercitum adhuc feſſum ad pugnam duxit; & quamquam a principio Romani ex animi vigore pugnantes Carthaginenſes premerent; nihilominus durante pugna, cum laſſi eſſent, reſiſtere non potuerunt; quare paulatim retrocedere coeperunt; mox inſtantibus, & magis irruentibus Carthaginenſibus, & praecipue illis, qui ex inſidiis eruperant, terga vertentes in fugam verſi ſunt, & afflicti, ac profligati; & ex eis perierunt viginti millia, & inter eos Flaminius ipſe; reliqui vero circiter decem millia fugerunt in quodam Caſtrum vetus, quod in Colle erat. Sed cum eos Maharbales Dux militum Annibalis inſecutus eſſet, videretque ſe non poſſe eos per vim vincere, decrevit vincere dolis. Suaſit ergo eis, ut depoſitis armis recederent; promittens eis ſe, quo vellent ire, permiſſurum abſque offenſione; quod illi credentes, poſtquam arma depoſuerunt, eos Maharbales contra fidem cepit, & fere nudos ad Annibalem duxit. Tunc Annibal (majori utens perfidia) allegans Maharbalem ipſo inſcio nullas potuiſſe cum eis conditiones ponere, cunctos, qui veri Romani eſſent, vinctos retinuit, reliquos vero, qui de confoederatis eſſent, liberos ad ſuos remiſit, hoc modo ſe eorum benevolentiam captaturum exiſtimans; ſpolia vero, & praedam diviſit inter Gallos, & Celtas, qui ſecum militabant. In hac pugna tanta animi ferocitate, & obſtinatione pugnatum fuit, ut terraemotus (qui ea pugna durante adeo ingens fuit, ut ex eo multae Civitates ruerint), non fuerit auditus. Tunc Romani audientes ſui exercitus ruinam, & Conſulis mortem, & quod Annibal propter hanc victoriam elatus ſuperbia cunctis Civitatibus, quae ſibi non obedirent, minaretur; & videntes quod omnes Italiae Populi de propria ſalute ſolliciti, victori obedientiam praeſtare erant parati, Fabium Maximum Dictatorem conſtituerunt, qui collecto exercitu, ut melius, & citius potuit, adverſus Annibalem perrexit; ſed cum belli fortunam experiri nollet, nunquam ad pugnam cum Annibale deſcendit, ſed ſemper exercitum inſtructum ducens juxta flumen, (quaſi pugnaturus) adeo Annibalem detinebat, ut Carthaginenſes in maximam motus difficultatem ſemper traxerit, & alia multa damna eis dederit, & Romanos, qui ob tantas clades dolentes erant, & ſaepius de ſalute Reipublicae deſperaverant, in ſpem victoriae reduxerit. Tunc Annibal videns, quod per quaecumque faceret, nullo tamen pacto Romanos ad pugnandum allicere poterat, ac

Fabii

Digitized by Google

Fabii artes cognoſcens, & ut malis ſibi ob annonae difficultatem imminentibus provideret, perrexit in Apuliam cum omni ſuo exercitu. In hoc bello tam pro Romanis, quam pro Carthaginenſibus fuerunt multi Aſtenſes. Pro Romanis ſiquidem fuerunt Pirronus Voglietus, qui ad Scipionem ante aufugerat, cum a Civitate exul fuiſſet factus; eo quod Aſtenſes a Carthaginenſibus recedere hortaretur; & cum eo fuerunt ultra quingenti viri; illi ſcilicet, qui in Pirroni ſententiam tranſierant, ſub Ducibus minoribus, Marco de Naſiis, Palamede Cantono, Hierone, ſeu Hieronymo Fazzelo, Fabio de Longa manu, Hectore de Andono, Mario Minardo, Farono Novello, & Rizzino Capello, qui ab Aſtenſibus declarati fuerunt rebelles, & omni honore, & dignitate privati; & ſic cum antea de Nobilioribus de Hoſpitio eſſent, Villici declarati ſunt ſimul cum omnibus aliis eorum ſequacibus, & fautoribus, & eorum bona publicata. Quod quidem apparenter factum fuit; ſed revera gradus, & qualitates eorum nobilitatis retinuerunt; ſed ideo hoc factum fuit, ne Annibal de inclinatione Aſtenſium verſus Romanos cognoſceret.

Cum Annibale, & Carthaginenſibus item fuerunt circiter mille viri ſub Haxtexano de Turre Duce Generali: & Duces minores fuerunt Noxetus (alii Tixetum dicunt) de Roca, ſeu de Sclavinis, Fulcus Lora, (alii dicunt de Lupis) Albonetus Albus, Perpetuus Correſius, Ruffus de Troja, Genuzzius Mazza, dictus Guercius, Camillus Reſtus, Paris Cazenus, ſive de Caze, Sgarbilia, ſeu Corbilius de Volta, Fadinus Saccus, Amatus Fontana, & Minucius, ſeu Muſſius de Planco; & iſti cum ſequacibus ſuis ab Annibale de Romanorum ſpoliis locupletati. De his vero, qui pro Romanis pugnaverunt, multi in bello perierunt, & inter eos Palamedes Cantonus, Faronus Novellus, Fabius Lupus, Marius Minardus, & Rizzinus Capellus; & de eorum ſequacibus obierunt circiter centum octoginta quinque. Reliqui cum eos Annibal audiviſſet exulare a Civitate, & ob id ſtipendia a Romanis quaeſiviſſe, ab Annibale dimiſſi ſunt libere ire, quo vellent: quare aliqui apud eum ſteterunt, alii domum redierunt, alii alio ſe contulerunt.

Ex plurium Memorialibus. Jacobus Caze, & Thomas Auricula.

Ex plurium Memorialibus in Archivio. Jacobus de Borcanino.

Ex plurium Memorialibus. Paganus Inciſia.

Concordat cum Leonardo Aretino lib. 2. cap. 77. Aquilae Volantis, licet nullam de Aſtenſibus mentionem faciat.

Gulielmus Cornalia.

De Bello Celtiberorum cum Romanis.

CIrciter anno ab Urbe Romana condita 600. & Mundi 5047. Celtiberi bellum moverunt Romanis; & ut magis eis nocerent, Gallos ſibi fecerunt ſocios: & conſiderantes, quod ſi contingeret eos debere deſcendere in Italiam, conveniens erat quod aliquam nationem inter Italicos ſibi copularent, a qua & milites, & frumentum, & alia ad bellum neceſſaria habere poſſent; cumque multum ſuper hoc cogitaſſent, accidit quod inter eos erant aliqui exules Aſtenſes, inter quos erat Livius de Boiis, quam familiam hodie vocant de Pelletis, & vocabatur eo tempore de Boïs, eo quod a Gallis Boiis qui in Aſt fuerant, proveniret. Hic ergo Livius cum propter aſſaſſinium commiſſum in perſonam Valerii Corbi viri primarii inter Cives, & optime de Republica meriti exularet, & nullam haberet ſpem remiſſionis, audiens haec cogitavit, quod ſi tanquam Ambaſſator Celtiberorum veniret in Aſt, ſecurus fieret, & ſic de ſua liberatione ipſe tractare poſſet, & ſi poſſet Aſtenſes cum Celtiberis jungere amicitia, ſperabat quod Celtiberorum precibus Civitas ſibi veniam eſſet datura, pro ut optime accidit. Iſte ergo ad primarios Celtiberorum pergens, quis eſſet, & unde eſſet, narravit; atque ſi ab ipſis tamquam eorum Ambaſſator in Aſt mitteretur, ſe facturum promittebat, ut Civitas ligam, & ſocietatem cum Celtiberis faceret; quod conſilium cum placuiſſet Celtiberis, ipſe Livius una cum Oſca viro magnae exiſtimationis inter Celtiberos deſtinati ſunt Ambaſſatores primo ad Gallos, poſtea ad Aſtenſes; & ſic horum opera Galli, & Aſtenſes ſocietatem fecerunt cum Celtiberis, qui Aſtenſes & Livio Oſcha Celtiberorum nomine petente pepercerunt, & eundem Ducem Auxiliariorum, quos mittebant, creaverunt.

Livius

Digitized by Google

Livius ergo ad bellum pergens quaecumque ſtrenuum militem, & prudentem Ducem decent, in Romanorum damna geſſit. Romani vero adverſus Aſtenſes ira moti quoſcumque ex eis habere potuerunt, in ſervitutem redegerunt, & amicorum ſuorum (qui apud Aſtenſes habitabant) opera plurima damna Aſtenſibus dederunt, & ſe Civitatem funditus diruturos affirmabant; jamque ob eam cauſſam exercitum parabant, quo viſo Aſtenſes eos, quos in Celtiberorum auxilium miſerant, domum redire juſſerunt, & Ambaſſatoribus Romam miſſis, pacificati ſunt cum Romanis.

Ex plurium Memorialibus. Paganus Inciſia.

In hoc haec hiſtoria conſonat his, quae apud Titum Livium habentur, videlicet, quod eodem tempore bellum Romanis cum Celtiberis, & Liguribus erat. Verum diſcrepat in tempore, quo utrumque finitum: nam Publio Cornelio Lentulo, & Marco Titio Pamphilo Conſ. Liguribus pax data, ut in fine lib. X. Decad. IV. ideſt anno 455. ab Urbe condita. Celtiberi haud multum poſt ſubacti.

De Galba Imperatore, & quod aliquos equites Aſtenſes privavit militiae honore.

ANno Domini 70. Mundi 4269. cum Galba Sergius in Hibernia cum exercitu tunc exiſtens a militibus electus, & ſalutatus fuiſſet Imperator, ipſe inde recedens, & Romam pergens tranſivit per Aſt, & hoſpitatus eſt in domo Curtii Reſti nomine Communis, & ad Burſam Communis. Primarios autem ſui exercitus, & alios viros majoris gradus, qui apud eum erant, Conſules Civitatis tunc exiſtentes, ſcilicet Ligurinus de Laureto (quem falſo aſſerunt Aſinarii fuiſſe de ſua familia), & Alexander de Porcili eos diſtribuerunt per Civitatem, & eos ad hoſpitandum tradiderunt viris primariis, & magis divitibus Civitatis, quod aliquibus placuit; alii vero eos hoſpitari noluerunt, & alii licet eos exceperint, tamen eos male tractaverunt. Quare Galba hoc videns, decreto ſuo hoc ſtatuit, ſcilicet ut illi, qui libenter acceperant ſuos Duces; & proceres exercitus, deinceps de Imperatoris hoſpitio appellarentur, & ceteros in dignitatibus antecederent; illos vero, qui vel non exceperant, & exceptos male tractaverant, populares, ſive de Populo vocari juſſit, & pro talibus haberi, & tractari. Nec eo contentus plures alios tum Aſtenſes, tum de aliis Civitatibus levibus de cauſis, licet ſub ipſo ſtrenue militaſſent, militiae honore privavit, propter quod ab his, & ab omnibus aliis tum Aſtenſibus, tum alienigenis odio fuit habitus.

Ex plurium Memorialibus. Jacobus Caze.

Hanc Galbae declarationem ſe in Archivio Civitatis vidiſſe teſtatur Thomas Auricula, qui etiam addidit, quod ideo aliquae familiae Civitatis dictae ſunt de Hoſpitio, & aliquae de Populo, quae differentia & hodie videtur.

Robertus Turc.

Plura exempla iſtius declarationis factae a Galba vidi ego Julius Falletus apud diverſos Cives, qui ſe ex illis familiis, quae tunc de Hoſpitio fuerunt declaratae, deſcendere affirmant, ut ſunt Varixellae, Pelletae, Peilae, Andones, De Curte, Capelli, Naſii, Romani, Criſtae, Mentones, Ranzii, & alii.

Plura exempla iſtius declarationis vidi apud diverſos, ſed non in forma authentica, & quia facta inter ſe de illis collatione non reperi eas concordare, exiſtimo a multis fuiſſe copiatas, & ultra id quod pro veritate fuit, mutatas, & auctas ad familiae ſuae decorem ampliandum.

Andreonus Garretus.

Idem Sentio cum Andreono Garreto. Paganus Inciſia.

De Clothario Galliae Rege.

ANno Domini 588. & Mundi 5787. mortuo Chilperico Galliae Rege, ſucceſſit Clotharius filius ejus infans quadrimeſtris ſub tutela Guntranni Avunculi, & Fredegundae matris, cui Childebertus filius quondam Sigiſberti Fratris Chilperici bellum intulit, ſed Fredegunda collecto exercitu, & vocatis in ſubſidium amicis, inter quos erant Aſtenſes, pugnavit cum eo, vicit, & eum occidit veneno. De Aſtenſibus ibi multi miſſi fuerunt, & multi ſponte ſua iverunt. Qui miſſi fuerunt, Ducem habuerunt Anſelmum de Mari Garretum. De his qui ſponte iverunt, praecipui fuerunt Pavarinus de Pavarinis, Manuel Roghietus, Simbaldus Cortexius, Baſtardus de

Digitized by Google

Solario, Robertus, & Andreas de Cazanis, Bertandus de Bertandis, Lambertazzius Minardus, Thaddaeus de Comentina, Thomas Correrius, Jacobus Fontana, Petrus Saccus, Manuel Pelleta Penatius, Roboaltus, sive Ribaudus de Glando, & Bartholomaeus Stella, qui omnes erant exules e Civitate, & secum duxerunt circiter tercentum viros, & sibi ducem constituerunt Audeninum fratrem Bertandi supradicti, qui Audeninus cognominatur Testagrossa, qui ibi mortuus est, cui postea successit in officio Petrus Pelleta Menstruelis, qui etiam ibi mortuus est, & ei in officio successit Joseph Pelleta de Bojis, quo etiam mortuo successit ei Michaellonus de Monsierio, & eo etiam mortuo, successit in officio Thibaldus de Volpono, dictus Bucanigra; & cum interea Regina victor extitisset, Astenses gaudentes, & a Regina donis, & honoribus cumulati domum redierunt.

Jaffredus Boanus ex Memorialibus.

De Friderico secundo Imperatore.

ANno Domini 936. Otho primus Imperator a Germanis coronatus fuit Imperiali diademate, & ab hoc usque ad Fridericum Secundum, quem anno Domini 1220. Honorius Papa coronavit, fuerunt tredecim Imperatores. Hic Fridericus imperavit annis 43. & plura bella gessit cum Pontificibus; unde propter hoc fuit anathematis vinculo colligatus, & Imperiali dignitate spoliatus per sententiam Innocentii quarti Papae in Generali Concilio. Cumque tandem mortuus esset, diu vacavit Imperium. Reliquit autem Manfredum naturalem filium, qui Apuliae, & Siciliae Regna obtinuit. Contra tamen jus, ut plures dixerunt, hic Manfredus Ecclesiae hostis fuit, & omnium qui Ecclesiae partes soverent; & praecipuo odio prosecutus est Florentinos, quorum majorem partem exulare fecit, e patria expulit, domos succendit, & diruit, & alia mala illis intulit.

Ex variis Historiis. Secundus Parutia.

Hic Manfredus quadam die juxta Ortonam cepit Robaudum de Cathena Ducem Astensium, qui pro Innocentio quarto Pontifice pugnabant, & eum simul cum Fabio de Cantù Signifero ejus, & aliis octuaginta Astensibus carceri mancipavit, & misit in Apuliam: ubi carcerati steterunt per menses circiter viginti duos: ubi plura mala passi sunt tam in corporibus, quam in bonis, & ex animi moerore multi perierunt; alii vero se redemerunt libris duodecim millibus: idque accidit anno Domini 1253. die 7. Junii.

Ex variis Historiis, & ex Memorialibus plurium, & ex litteris ipsius Robaudi, quae sunt apud Benedictum de Cathena.

Secundus Parutia.

Idem scribit Ruffinus Ventura.

Concordat cum Bruneto Latino Gulielmus Cornalia.

De Federici Imperatoris in Germaniam reditu, & quod Alexandriae datus est Episcopus.

ANno Domini 1175. & Mundi 6374. Federicus Imperator Italia pacata in Germaniam redire voluit, & ex Papia recedens Valentiam petiit, inde Casale, quod antea Sedula appellabatur: mox in Civitatem Astensem venit, in qua aegrotavit per viginti dies; deinde recedens Taurinum petiit, cui Civiti, licet sibi adversaria fuisset, nihilominus pepercit; inde per Montem Jovis in Burgundiam, postea in Germaniam profectus est. Tunc Alexander Pontifex cuncta in pace futura existimans, Civitatem novam de suo nomine Alexandriam vocatam Episcopali Sede decoravit hoc eodem anno Domini 1175.

De Asta Urbe.

Marcus Antonius Majolus.

LOngobardos, dum Italiae dominarentur, Ducem, qui in Asta resideret, constituisse satis manifestum est his, qui historiarum lectione delectantur. Postquam vero Imperii dignitas ad Germanos translata est, libertatem sibi vindicasse, eamque cunctis viribus servasse, cunctis patet. Haec dominata fuit Oppidis, Villis, Castris, & aliis locis, quorum ultra ducentum subjecta habuit. Nec solum Oppidis dominata fuit, sed etiam per varia tempora multis Civitatibus, videlicet Albae, Montivico, Foxano, Cuneo, Savilliano, Saluciis

Digitized by Google

luciis, Cario, Cevae, Aquis, Alexandriae, Terdonae, Caſali, Valentiae, ac aliis locis inſignioribus. Haec abundavit ſemper numero familiarum nobiliſſimarum, Civium in omni genere virtutis illuſtrium: fuit potens armis, atque ubere glebae; ita ut vicinis Civitatibus, & Principibus bellum intulerit ſaepe, & de eis victoriam reportarit. Haec totam Pedemontanam Regionem, & multas alias ſuis familiis, & civibus inſignioribus decoravit. Ex hac Civitate prodierunt Lazarus Scarampus Comenſis Epiſcopus: Conradus Aſinarius Urbis Romae Gubernator, mox Epiſcopus Vercellenſis: Antoninus. Coppa Epiſcopus Siſteronenſis in Provincia Genuae: Majolus affinis meus Epiſcopus Vulturarienſis in Regno Neapolitano: Melchior Pelleta Suffraganeus Taurinenſis: Octavianus Cacheranus Ozaſcus magnus Cancellarius Sereniſſimi Sabaudiae Ducis, & author Deciſionum Pedemontanarum: Georgius, & Marcus Antonius Nattae: Albertus Brunus: Jovannes Nevizzanus: Amedeus Ponte, & alii plures Legum Doctores celeberrimi: Gabriel Buneus, & Botallus Medici Regis Franciae, quorum Botallus fuit etiam Epiſcopus Montis Lucidi. Quid dicam de auctore ſummae Aſteſanae? Quid de Comite Jordano de Alliano Generali Rectore Claſſis Manfredi Regis Siciliae? Quid de Roberto Rotario Sanſeverino, magno Scutifero Sereniſſimi Ducis Sabaudiae? Quid de Carolo Montafia equite Malthenſi, & magno Longobardiae Priore? Quid de Ludovico, Petro, Nicolao, & alio Ludovico Dentibus de eadem familia de Montafia, ſeu de Variſellis, quorum virtus, & geſta poſſunt quidem admirari, ſed non imitari? Quid de Federico Aſinario Comite Camerani, viro & Muſis caro, & Bellonae? Longum eſſet, ſi cunctos vellem recenſere; & ob id ſat erit dicere hanc Civitatem ſemper nobilitate, virtute, numero Civium, & divitiis illuxiſſe. In hac duae quotannis Nundinae celebrantur, confluentibus ex quavis Europae parte mercatoribus, & olim quater in anno fiebant Nundinae Theloniorum, ſeu Bancheriorum; ſed aliquorum injuria tranſlatae fuerunt Placentiae.

De Caſtro Alferio.

Secundinus Ventura.

VIlla Caſtri Alferii eſt de Villis antiquis Civitatis Aſt, & olim erat in planitie juxta Rivam Verſiae: ſed propter bella, cum anno Domini... deſolata a Marchione Montiſferrati fuiſſet, Solariorum tunc Forenſium ope reaedificata eſt, ubi nunc jacet, & ſepta muris, & vallo, & foſſatis; & cum antea Villa Rabioſa vocaretur, nunc dicta fuit Caſtrum Alferium, ſeu Caſtellum Alferium; eo quod exiſtente Ogerio Alferio Sindico Anno Domini... reſtaurata fuit. Illi vero de Carrandino, & illi de Spina, & illi de Dona, & illi de Cotio, qui erant de dicta Villa, & favorabiles fuerant Marchioni contra propriam Patriam, ſicuti etiam illi de Petrono receſſerunt a Poſſe Civitatis, & habitaverunt uſque in hodiernum diem ſuper dominio dicti Marchionis, a quo illi de Petrono obtinuerunt poſſeſſiones non longe a loco, ubi fuerat Villa Rabioſa, & ibi aedificaverunt ſibi domos, & locum illum de ſuo cognomine vocaverunt, cum quibus etiam habitaverunt inde ad aliquos annos Carrandini. Spinae vero habitaverunt in Tunco ſimul cum Ceſtis; Cotii vero, Donae, Cabelli, Lorelli, & Medaliae habitaverunt in Caliano.

De reditu Federici Imperatoris in Italiam.

ANno Domini 1174. & Mundi 6373. Federicus Suecus Imperator, dictus Barbarubea, quaſi rabidus factus adverſus Pontificem, & adverſus Civitates Longobardiae, quia votis ſuis parere noluiſſent, hoc anno Domini 1174. in Italiam rediens cum validiſſimo exercitu per Cinitium Montem Secuſiam proditorie obtinuit, & diruit, Subalpinis multa mala intulit, & etiam Aſtenſibus. Nam Civitatem obſedit per dies triginta quinque; demum eam expugnavit, & vaſtavit; & Henricum Aſinarium Sindicum cum Jacobo de Turre, Simone Turco, Joſephone de Naſiis, Jacobo Ritio, Antonio Gutuario de Caſtello, Rubaudo Pallido, Laurentio Bulla, Percivale Lajolio, Federico de Comentino, Maſſaruch

Digitized by Google

de Solario, Joanne Iſnardo, Pompeo Volietto, Gaſpare de Mari, Baudracono Malabaila, Conſtantino Lupo, Conſtantio Guerra, Rochlando Natta, Hieronymo Damiano, Secundo Garreto, Ludovico Vulpono, ſive Mulatio, Antonio Aſteſano, Joanne de Pontibus, Roberto Cacherano, Oliverio Serra, Ambroſio Vitia, Antonio Veraſio, Stephano Civina, Marcheto de Montibus, Carolo de Curionibus, Marco de Novellis, Ludovico de Coxano, ſive Buſca, Raphaele de Gorzano, Hieronymo Mazzola, Jacobo Canneto, Secundo Cantavena, Secundino Ventura, Georgino Alliono, Octavio Saraceno, & aliis pluribus conſiliariis ad ſe vocavit, quibus inhoneſtas conditiones propoſuit, quas cum approbare nollent, vel non poſſent, eos & alios plures ex majoribus Civitatis circiter centum captivos ſecum duxit, & Civitatem militibus expoliandam propoſuit; qui per omne crudelitatis genus graſſati adverſus miſeros Cives, multos ex eis tormentis atrociſſimis afflixerunt, multos occiderunt, Templa, & domos ſpoliaverunt, Virgines tum ſacras, tum alias violaverunt, ceteris mulieribus per omnem libidinem abuſi ſunt, & aliquas earum libidini eorum minime conſentientes vel deformaverunt, nares, aures, & labra amputando, vel mammillas amputando, aut alia ludibria, & improperia, & mala faciendo illas mori coegerunt. His geſtis pro redemptione Civium captivorum libras centum millia extorſit, quibus habitis receſſit, & Alexandriam petiit, quam per menſes quatuor obſedit; ſed tandem longa obſidione faſtiditus ipſo die Sancto Paſchatis ſe ab obſidione levavit, & Papiam profectus eſt, ubi de pace Italiae tractatum fuit, quam Veneti amplexati ſunt alacri animo ſoluta confoederatione, quam cum Emanuele Graecorum Imperatore habebant, ad quod aſſentitus eſt Pontifex.

Quae hic etiam narrantur facta a Federico in Aſtenſes, ad ſecundam Civitatis invaſionem, & direptionem pertinent, anno ſcilicet 1164. Nam in hac tertia Cives illi ultro januas aperuerunt, & ipſe ſolo tranſitu contentus ad oppugnandam Alexandriam properavit.

Ex Memoriali actorum Anſelmi Aſinatii habetur, quod nobiliores illi parati erant reſiſtere, ſed plebe nondum ab praeteritis duabus direptionibus reſpirante, ac animos deſpondente tranſitum conceſſere. Fallitur tamen circa annum Aſinarius. Non enim quintus in Italiam Federici deſcenſus anno 1168. ut ipſe habet, ſed anno 1174. accidit; ut videre eſt apud omnes, qui de rebus Federici agunt.

De Bonifacio Marchione Montisferrati, qui Cretae Inſulam ab Imperatore Graecorum dono habitam Venetis vendidit.

ANno Domini 1200. & Mundi... cum Bonifacius Marchio Montisferrati ab Alexio Iſaci filio Imperatore Conſtantinopolis Cretae Inſulam dono habuiſſet, ipſeque Bonifacius Theſſaliae Regnum ad ſe pertinens aggreſſus ipſum obtinuiſſet; cumque in eo bello omnem ſuam pecuniam conſumpſiſſet, ac in egeſtate eſſet, Balduini Flandriae Comitis conſilio Cretae Inſulam Venetis accepta magna auri quantitate vendidit. Poſtea Bonifacius, & ſocii ejus Hadrianopolim obſederunt, & pugnare coeperunt; ſed ab ea obſidione ſe ſe retrahere ſunt coacti: nam Ungari, & Valachi in majori robore, quam ipſi haberent, veniebant inſtructi ad pugnandum. In iſto bello fuerunt de Aſtenſibus circiter equites tercentum, & pedites mille ſub diverſis Ducibus. Nam cum Marchione Montisferrati erant equites centum, & pedites quatuor centum ſub Duce Generali Bonifacio Pallido. Duces equitum fuerunt Albertus Robba, & Carolus de Capellis. Duces peditum fuerunt Horatius Cavallus, Henriettus Natta, & Jacobus de Vetulis. Cum Ludovico vero Sabaudiae Comite iverunt Ludovicus de Varixellis, ſive de Montafia Dux Generalis cum equitibus ducentum, & peditibus ſexcentum. Equitum Duces fuerunt Antonius de Gorzano, Caeſar de Luciis, [qui ſolus de familia Luciorum remanſerat, quae familia antiqua fuit, & ex Urbe Roma in Civitatem Aſtenſem venit cum Cajo Julio Caeſare, dum ad bellum adverſus Gallos pergeret] Petrus Gallus de Gallis [etiam de antiqua familia de Hoſpitio: nam anno Mundi 4996. & ab Urbe Roma condita 549. iſta familia cum antea eſſet de Populo, & advena ex Gallia, tunc familia Sulpitii Galli Romani fuit a Civibus inter nobiles deſcripta de Hoſpitio] & Johannes Stephanus de Lombardis, ſive de Longobardis, cujus familia

anno

Digitized by Google

anno Mundi 5949. Scilicet anno Domini 750. favore Luithprandi Longobardorum Regis, cum antea eſſet de Populo, cooptata fuit inter familias de Hoſpitio.

Ex Archivio. Jacobus de Borcanino.

De obſidione Taurini.

ANno Domini 1233. & Mundi ..... cum antea anno Domini 1230. Bonifacius Marchio Montisferrati Taurinum occupaſſet, Thomas Sabaudiae Comes, qui eam Civitatem ſui juris eſſe aſſerebat, videns haec, & quod Mediolanenſes in Pedemontanum agrum graſſabantur, hoc anno Domini 1234. in Italiam veniens, cum Mediolanenſibus pugnavit, & Oſimum eorum Ducem occidit: deinde Taurinum obſedit, & Caſtris poſitis ad Padi ripam Turrim ibi extruxit; cumque Aſtenſes acceſſiſſent, ut Taurinenſibus opem ferrent, a Thoma repulſi ſunt, & in fugam poſiti.

Idem refert Piagoni. Gulielmus Cornalia.

De ſpectabili Domino Thoma Lajolo utriuſque Juris conſultiſſimo.

ANno Domini 1350. Spectabilis miles, & Juris utriuſque Doctor Dominus Thomas Lojolus Advocatus Communis Aſtenſis obtinuit omnes Scripturas Civitatis, volens ex ipſis hiſtoriam, ut quondam fecerat Secundus Parutia, componere; ſed variis diſtentus negotiis, opus nedum complere, ſed ne quidem aggredi potuit. Reliquit tamen plura Memorialia non tam a ſe, & ex variis auctoribus, & plurium monumentis collecta, verum & ex oculatis, & fide dignis teſtibus didicit, & quae ipſe vidit; quae Memorialia repoſita fuerunt in Archivio Civitatis, ubi ego ea vidi.

Secundinus Ventura.

Volumen quartum habens folia 38.

ANno ab Urbe Romana condita 444. & Mundi 4891. Tarentini Romanorum Oratores injuria affecerunt, & bellum coeperunt cum Romanis, convocantes in ſubſidium ſuum amicos, & praecipue Pirrhum Epirotarum Regem fratrem Olympiae Matris Alexandri Magni, & etiam a Graecis contra Romanos auxilium poſtulantes. Pirrhus igitur omni conatu e Theſſalia, & Macedonia in Italiam gentes advexit, ſcilicet pedites XXX. millia, equites VII. millia, & elephantes XX. qui primum in Italia tunc viſi ſunt. Cumque coeptum fuiſſet praelium, ter inter ipſum & Romanos acriter fuit dimicatum; prima quidem vice cum Romani contra eum Lavinium Conſulem miſiſſent, ipſeque exploratores in Pirrhi exercitu miſiſſet, iſtis exploratoribus captis, & ad Regem ductis, ab eis Rex didicit ordinem, numerum, perſonarum qualitatem, & alia multa arcana Romanorum ſcitu neceſſaria. Sequenti die cum in principio conflictus Pirrhus ſuperaretur, & jam jam exercitus ejus terga verteret, Pirrhus elephantum auxilio, qui antea a Romanis nunquam viſi fuerant, & ob id eorum equi elephantum odorem, & alitum, & formam horrebant, aciem & pugnam ſuſtinuit. Sequenti nocte Lavinius Conſul cum equitibus aufugit; unde evenit, ut de Romanis ultra VII. millia a Pirrho capta fuerint. Quo audito Silli, & Salernitani, & aliae nationes junxerunt ſe cum Pirrho, & Romam verſus euntes agros vaſtaverunt; deinde Praeneſtem obſederunt. Tunc Romani contra Pirrhum Fabricium Conſulem miſerunt cum alio exercitu valido; quo audito Pirrhus ſe in Campaniam reduxit; hicque fuit finis primae pugnae inter Pirrhum, & Romanos, qua in pugna obierunt de Aſtenſibus, qui pro Romanis militabant ſub Duce Generali Pomponio de Campo, & ſub Ducibus minoribus Aſtexano de Aſtexanis, Aſtexano Elvio, Fulvio, & Odino de Falco, & Cordelino de Troja, & miſſi fuerunt a Civitate juxta conventiones ſocietatis, circiter CCCCXXVII. & capti circiter DX. qui Salerni in carceribus ſteterunt per duos annos, & inde ſe redemerunt ex pecuniae magna quantitate. Ibi vero Duces omnes, & ex militibus, & peditibus circiter CCXXXVII. perierunt fame, faetore, & aliis malis ſecundum bellum.

De primo Bello Romanorum cum Carthaginenſibus.

ANno ab Urbe Romana condita 478. & mundi 4917. ſub conſulibus Appio Claudio, & ..... Romani propter Tarentinos

Digitized by Google

tinos incoeperunt bellum cum Carthaginenſibus; & poſt multas & varias pugnas eos vicerunt, & afflixerunt.

Ex antiquis ſcripturis. Valarandus de Troja.

Idem refert Thomas Auricula, qui etiam addit, fuiſſe in eo bello ex parte Romanorum multos exules Aſtenſes de diverſis familiis, & maxime de ſua. Idem ad verbum referunt omnes ſcribentes Memorialia; uno excepto Andreono Garreto, qui licet in ceteris concordet, tamen dictum Thomae Auriculae, quod ſcilicet illi bello interfuerint illi de ſua familia, negat. Sed hoc inimicitiae, quae eſt inter Garretos, & Auriculas, adſcribi poteſt.

Jacobus de Borcanino.

Titus Livius in praefatione Decadis quartae de Bello Macedonico tradit, bellum Carthaginenſium initium habuiſſe poſt annum 478. ab Urbe Condita Appio Claudio Conſule & duraſſe annos 63.

De reformatione Equeſtris Militiae facta a Claudio Imperatore.

CIrciter anno Domini 50. & mundi 5297. Claudius tunc Imperator dum procuraret reformare equeſtrem ordinem, ſeu militiam, & civiles motus per totum Imperium ſuum, miſit in Aſt Virginium Romanum ad id agendum, qui veniens in Aſt, plures de nobilioribus familiis (quae poſtea dictae ſunt de Hoſpitio) ob varia ſcelera quavis nobilitate, & honore privavit, & alios occidi fecit, alios banno ſubjecit, & in eorum locum plures populares ob virtutes & merita collocavit; plures etiam plebeos nobiles de Populo declaravit.

Ex antiquiſſimis traditionibus. Jacobus de Caze.

Thomas Auricula atteſtatur, ſe vidiſſe inter antiquiſſimas ſcripturas catalogum earum familiarum, quae depoſitae fuerunt, & earum, quae elatae, & has numerat.

Trulorum familia, quae inter Heroes erat, omnino depoſita fuit, & declarata pejus quam villica, & hoc propterea, quod plures Aſtenſes a Romanis rebellare fecerat.

Fabiorum, Teſtarum, Trojanorum, Stellarum, Bocchorum, Illorum de Glande, Taurorum, Gorzanorum, Lanzearum, Scaccorum, Gardinorum, Manfredorum, Avezzanorum, Bargeorum, Pollentiorum, Minardorum, & Reſtorum familias, olim nobiliſſimas eadem de cauſa ruſticas appellari juſſit: & Mutium, (quem alii Mutum dicunt) Manfredorum, Flavium Stellatam, & Stellam de Glande, Fabium de Fabiis, & alios de eiſdem familiis capite truncari fecit. Auratum Lanzeam; & Philippum Bocchium comburi fecit; & plures ex aliis familiis ſuſpendi fecit, & reliquos de ſupraſcriptis familiis per triginta annos exules eſſe mandavit. Illi vero de populo, qui facti fuerunt nobiliſſimi, fuerunt Fontanae, Montagni, Ricii, Aſtexani, Partitae, Novelli, Vetuli, Agnani, Illi de Curte, Illi de Collis, Cathenae, Cantones, Avenae, Falcones, Illi de Turre, Illi de Serra, Illi de Strata, Andones, Canes, Correrii, & aliae familiae. De plebeis vero factae ſunt nobiles familiae, Illa de Axellis, (a qua plures etiam aſſerunt veniſſe Aſinarios] Illa de Anſere, Illa de Comari, Illa de Deatis, Illa de Sicchis, Illa de Alliano, Illa de Sclavinis, Illa de Nante, & aliae plures.

Ex ſupradicto, & aliis ſcribentibus Memorialia. Franciſcus Turzanus.

Simile exemplum narrat Paganus Inciſia. Franciſcus Turzanus.

De Sancto Ambroſio.

ANno Domini 366. cum antea Ambroſius Romae eſſet, & ob egregias virtutes, & ſummam doctrinam in maxima exiſtimatione, hoc anno 366. miſſus fuit Mediolanum a Senatu Romano, & Senatoris titulo in Civitate Mediolani decoratus. Hic quatuor familias ſecum duxit, Graſſos, Villanos, Matregnanos, & Muzzanos, ex quibus ſe originem trahere perhibent familiae Aſtenſes aliquae, videlicet a Graſſis Graſſi; a Villanis illi de Valle; a Matregnanis illi de Antegnano; a Muzzanis Muzzani, quod ego in re tam antiqua neque affirmare; cum id ex approbatis ſcripturis mihi non conſtet, neque negare audeo, cum poſſit eſſe; ſicut de Guttuariis, dum ſe a Gudualdo Longobardo & Duce Aſtenſi deſcendere affirmant. Sed ad rem redeundo Ambroſius

Digitized by Google

ſius vitam tam integram, & laudabilem geſſit, & adeo omnibus carus & venerabilis fuit; ut tandem Valentinianus de Pannonia Imperator, (qui in Bilinzona ſepultus eſt], coacto Concilio multorum Epiſcoporum anno Domini 375. eum elegerit Mediolani Epiſcopum, qua in dignitate tanta cum religione, & devotione perſeveravit, & vixit, ut ejus exemplo & exhortationibus Juſtina Valentiniani uxor inter Moniales ſe devoverit. Poſtea cum Auguſtinus Ambroſii fama motus ad eum veniſſet, ab eo anno Domini 387. imperante Theodoſio Seniore baptiſmo ablutus eſt; inde ambo ſimul Hymnum Te Deum laudamus compoſuerunt. Cumque antea anno Domini 312. quidam Presbyter ex Alexandria Aegypti haereſim diſſeminaſſet, qua docebat filium eſſe ſeparatum a ſubſtantia Dei Patris, quae haereſis adeo ab ipſo ſophiſticis rationibus confirmabatur, ut in errorem inducti Imperatores illam edicto confirmaverint, ob quod fides Catholica ſatis maculata erat: hanc igitur haereſim impugnare coepit totis viribus Ambroſius, & quantum potuit, e Mediolano exterminavit. Deinde Ambroſius ad Eccleſiam Mediolanenſem ceteris circumſtantibus praeponendam animum applicuit. Quare viginti Epiſcopos ei ſubjecit; videlicet Vercellenſem, Novarienſem, Laudenſem, Derthonenſem, Aſtenſem, Taurinenſem, Auguſtenſem, Aquenſem, & Genevenſem; & iſti in Conciliis ad dexteram ejus ſedebant eo ordine, quo ſupra ſunt numerati. Ab alia parte ſedebant Brixianus, Bergomenſis, Cremonenſis, Lunenſis, Eporedienſis, Albenſis, Savonenſis, Albintemelienſis, & Albigaunenſis. Statuit hic Sanctus Epiſcopus, ut omni anno in Vigilia Nativitatis Domini ordinarentur Clerici, & alii Sacerdotes, quibus ſemel uxorem ducere, & eam virginem permiſit; qua mortua non erat amplius fas illis aliam ſuperinducere, ſed in viduitate vivere. Quam Ambroſii conceſſionem poſtea Alexander tertius abrogavit; vetuitque, ne deinceps Sacerdos quiſque, aut Clericus uxorem duceret, quod etiam a Concilio approbatum fuit, & ordinatum, ut perpetuo caſte viverent. Tandem Ambroſius vitae ſanctitate venerabilis, & miraculis clarus obdormivit in Domino, & inter Sanctos relatus eſt.

Ex plurium Memorialibus. Raymundus Turcus.

Ex plurium Hiſtoriis. Julius Falletus.

Quicumque de vita, & moribus, & de ordinamentis Beati Ambroſii vult videre plura, videat Corium in prima parte hiſtoriae Mediolanenſis fol. mihi 11. & ſeqq. Bernardus Paganus.

De Origine Marchionum Pedemontis.

ANno Domini 774. & Mundi .... cum Carolus Magnus Longobardis victis triumphans in Galliam redire vellet, dubitaretque ne poſt ejus receſſum Longobardi iterum ſublevarentur, Provincias, & Civitates eis ademptas curae, & adminiſtrationi quorumdam ex ſuis proceribus, in quibus maxime confidebat, tradere decrevit. Quare Abbonem praefecit Secuſiae; in Aſta vero poſuit Blajae, ſive Bravae Comitem de Barpa Rothlandi, qui vocabatur Rizzardus de Claromonte; & quoniam pro inſigni ferebat ſcutum in quatuor partes diviſum, fuit etiam dictus de Quarterio. Unde familia de Quarterio in Aſt deſcendit, quae etiam fuit dicta de Borgognonis, ſive de Borgogninis; eo quia de Burgundia, ſive de Borgogna veniſſe dicitur; & iſti ſic a Carolo Magno Provinciis, & Civitatibus praepoſiti Marchionum titulo decorati ſunt. Hinc Marchiones Secuſiae, Eporediae, & aliorum locorum.

Ex plurium vetuſtiſſimis Memorialibus. Raymundus Turcus.

De Aſinio, ſive Aſinario de Aſinariis Aſtenſe Novaleſiani Coenobii Abbate.

ANno Domini 774. & Mundi .... cum Carolus Magnus Pipini filius Galliarum Rex, & Imperator precibus Hadriani Pontificis evocatus adverſus Deſiderium Longobardorum Regem Eccleſiae hoſtem per Montem Jovis, & Cinitium in Italiam deſcendiſſet, ab Aſinio, ſive Aſinario de Aſinariis Novaleſiani Coenobii Abbate exceptus eſt; qui Imperator non ſolum iſti Coenobio, & Monacis multa privilegia, & dona contulit, verum etiam toti familiae de Aſinariis, quorum pleroſque militiae cingulo, & honore decoravit. Idem etiam fecit pluribus aliis Aſtenſibus Civibus & familiis,

Digitized by Google

miliis, quos curiales ſuos, equites, & conſobrinos appellavit, ut ex pluribus privilegiis vidi, quorum exempla apud me ſunt. Thomas Auricula.

Horum Privilegiorum multa vidi exempla data ſub anno 800. Raymundus Turcus.

De Adurnorum familia.

ADurni anno Domini 930. expulſi ex Janua venerunt in Aſt, & ibi domicilium ſuum conſtituerunt, & ibi fuerunt aliqui ex eis per centum & ultra annos, nec redire Januam quaeſiverunt. Cum autem opibus eſſent potentes, anno Domini 993. Michelletus procuravit fieri de Conſilio Civitatis. Cumque Cives illum inter nobiles de Populo infimi gradus ponere vellent, ipſe renuit petens ſe adſcribi inter nobiles de Hoſpitio ſummi gradus; cumque obtinere non poſſet, noluit ire in Conſilium, & paulatim vendidit omnia bona ſua, & receſſit. In Aſt autem remanſerunt quidam de illa familia, qui pauperes erant, & inter Plebejos adnumerati ſunt.

Ex his, quae vidi. Raymundus Turcus.

Haec familia nobiliſſima fuit, & aliquando Januae Dominium, quod Ducatum vocant, habuit. Huic ſemper adverſa fuit Fliſcorum familia.

Ex variis hiſtoriis, & ex his, quae vidi. Franciſcus Turzanus.

De factionibus Nigrorum, & Alborum.

ANno Domini 998. & Mundi . . . . cum antea Cives Aſtenſes civilibus diſcordiis inter ſe contendentes (nam in duas partes, ſive factiones diviſi fuerant, quarum una Blancorum, ſive Alborum, alia vero Nigrorum, quod talibus coloribus ut plurimum uterentur, appellabantur) multas ſibi invicem clades intuliſſent; haec audiens Otho tertius Imperator tantae Civitatis calamitate miſeratus, & imminentibus malis mederi pro poſſe cupiens, hoc anno Domini 998. Calendis Septembris Papiae exiſtens Anſelmino Turco, Jacobino Guttuario, Alberto de Cathena, & Manuele Pallido requirentibus, & humiliter ſupplicantibus conceſſit, ut Blancorum, & Nigrorum nomina omnino tollantur, nec quiſquam ſub horum nominum praetextu, colore, vel rumore conventiculam, ligam, confoederationem, amicitiam, Clientelam, vel aliam quamvis unionem facere poſſit; factae diſſolvantur, arma deponantur, Cives inobedientes etiam furore populi vel capiantur, vel expellantur; contumaces relegentur, alii in Sardiniam, alii in Corſicam, & alii in Candiam. Tunc publicato edicto expulſi ſunt Jacobus Volietus, Laurentins cum tota Duxiorum familia, qui in Galliam, unde alias venerant, redierunt, Illi de Pallidis, & de Paſqua, qui Genuam ſunt profecti, & alii plures.

Ex plurium Memorialibus, & maxime ex ipſo Reſcripto dato Papiae Kal. Septembris, anno 998. indictione duodecima, Regnorum Othonis anno decimo quarto, Imperii vero ejuſdem anno tertio, praeſentibus Anardo Marchione, & Heriberto Conſiliariis Imperatoris.

De reaedificatione Eccleſiae Sancti Franciſci in Civitate Aſtenſi.

ANno Domini . . . . & Mundi . . . cum antea anno Domini 1206. Beatus Franciſcus de Aſſiſio Ordinem Minorum inſtituiſſet; & anno Domini 1214. per Civitatem Aſtenſem tranſiens, ibi a Civibus parvam Eccleſiam, quae ſub Beatae Mariae nomine erat in loco paluſtri; item parvam aediculam Eccleſiae proximam obtinuiſſet, in eaque, quam deinceps Sanctam Mariam de Angelis vocari voluit, quatuor ſodales ſuos reliquiſſet, & exinde Eccleſia illa ob vetuſtatem labente, alia fuerit anno Domini . . . . aedificata ſub nomine Sancti Antonii de Palude: demum cum in dies magis creſceret Civium erga eum ordinem devotio, & eleemoſinae; quare multo plures fratres in illo Monaſterio degebant; hoc anno Domini . . . aedificata fuit Eccleſia nova, & novum Monaſterium majori ornatu, amplitudine, & illuſtriori forma, quam antea; cumque jam antea Pontifices Regulam illam ad obtinendum bona diſpenſaſſent, a Civibus devotis & proprietates, & mobilia, & pecuniae his fratribus abundanter fuerunt elargita.

Ex Archivio,

De

Digitized by Google

De prima fundatione Templi S. Franciſci in Civitate Aſtenſi.

ANno Domini 1214. & Mundi 6413. cum ante anno Domini 1206. Beatus Franciſcus de Aſſiſio Cordigerorum Ordinem, qui Minores appellantur, inſtituiſſet, hoc anno Domini 1214. cum ex Italia in Galliam proficiſceretur, Alexandriae primum, mox Aſtae Eccleſias, & Monaſteria fundavit; deinde Cherii, & demum Taurini idem fecit; nec ulla fuit Civitas, vel oppidum, per quae tranſierit ille Beatus vir, imo Angelus in humana carne, quae ſummopere non expetierit habere aliquos ex ſuis fratribus. In Civitate Aſtenſi ſiquidem vix viſus fuit, & mores, & converſatio ejus cognita, ut ſtatim ad eum confluerent Cives cujuſcumque ſexus, & aetatis, & illi quaecumque petiiſſet, ſe daturos pollicerentur. Sed cum vir Dei nihil peteret; imo ſibi oblata vel reſpueret, vel pauperibus largiretur; hoc tantum fuit contentus, ut ſibi liceret parvam aediculam, & juxta illam Eccleſiam habere, in qua tam ipſe, quam ſodales ſui Deo devote famulantes poſſent in omni paupertate & humilitate vitam trahere. Quod libentiſſime ſibi a Civibus conceſſum fuit. Quare ipſe parvam Eccleſiam, quae in paluſtri loco erat, elegit, eique proximam aediculam obtinuit, in qua quatuor ſocios ſuos reliquit. Haec Eccleſia primo ſub Sanctae Mariae nomine fuerat: hoc nomen ipſe illi reliquit, addito ſolum quod Sancta Maria Angelorum deinceps vocaretur.

Jacobus de Borcanino.

De Ordine Praedicatorum, & aedificatione eorum Monaſterii in Civitate Aſtenſi.

ANno Domini .... & Mundi ... cum antea anno Domini 1218. Beatus Dominicus Callaguritanus Ordinem Praedicatorum inſtituiſſet; hoc anno Domini ... idem Beatus Dominicus per Aſtenſem Civitatem tranſiens adeo virtutum & ſanctimoniae ſuae ſpecimen praebuit, ut illi Civitas locum, in quo Eccleſia, & Monaſterium aedificaretur, conceſſerit. Quoniam vero in loco ſibi aſſignato parva erat Eccleſia Beatae Mariae Magdalenae dicata; rogatus Beatus Dominicus illud nomen non eſſe mutandum, ſed continue retinendum ſancivit.

De pluribus ad Imperium aſpirantibus, & de malis, quae ob id advenerunt.

ANno Domini 1250. & Mundi 6449. defuncto Federico Secundo Imperatore, Henricus Turingiae Landehgravius, Guillelmus Hollandiae Princeps, Alphonſus decimus Hiſpaniae Rex, qui tabulas Aſtronomicas compoſuit, & Conradus, Federici Secundi Imperatoris filius, penultimus Sueviae Dux, & alii plures ad Imperium aſpirabant, ex quo varia diſſidia & bella orta fuerunt tam in Germania, quam in Italia; & Pontifici & Venetis, ac etiam Florentinis occaſionem, & commoditatem praebuerunt recuperandi Civitates, & loca deperdita; unde Conradus a Pontifice excommunicatus fuit; & Florentini ſe ſe in libertatem vindicaverunt, ac duodecim Ancianos adverſus Ghibellinos creaverunt. Tunc Aſtenſes etiam ſe ſe in libertatem poſuerunt de novo, & Conſules, ac alios Magiſtratus de more abſque alicujus conſenſu creaverunt, & Solarii partis Guelphae acerrimi defenſores impetu facto in Guttuarios, & alios Ghibellinam partem ſectantes, eos e Civitate expulerunt, & multa damna illis tam in perſonis, quam in bonis dederunt.

De fame, quae Venetias afflixit.

ANno Domini 1344. Hoc anno ea fuit annonae caritas, ut nondum ad hominum memoriam major pervenerit. Siquidem frumenti ſtarium ducatis decem Venetiis venditum fuit; ex quo evenit, ut multa hominum millia fame perierint; ad quod providere volentes Veneti, qui ſemper de populorum ſuorum ſalute valde ſoliciti fuerunt, Marcum Juſtinianum, qui Magnus dictus fuit, tunc Sancti Marci Procuratorem cum ſexaginta quatuor Onerariis navibus, & viginti quinque Galeris in Apuliam, Siciliam, & Aprutium pro comparando frumento miſerunt, qui rediens cum frumenti magna quantitate Civitatem fame levavit. Haec fames adeo Civitatem noſtram Aſtenſem preſſit, ut de Civibus ultra

Digitized by Google

tria mille perierint: famem peſtis inde ſecuta eſt, quae circiter octo millia, tum viros, tum faeminas extinxit.

Ex plurium Memorialibus, & ex Hiſtoriis. Paganus Inciſia.

Idem refert Secundus de Quarterio, qui tunc fuit pro Aſtenſibus in Sicilia pro comparando frumento. Antonius Aſtexanus.

De Pace inter Galleacium Comitem Virtutum Ducis Mediolani filium, & Joannem Marchionem Montisferrati.

ANno Domini 1369. & Mundi. . . . cum antea bellum eſſet inter Galleacium Comitem Virtutum Ducis Mediolani filium, & Othonem Brunſvicenſem Ducem, ſimul & Joannem Marchionem Montisferrati, ex quo bello hinc inde multa damna proceſſerant, nec ſolum ipſis, ſed etiam vicinis, & maxime Aſtenſibus; tandem hoc anno Domini 1369. cum adveniſſet Taurinum Amedeus Sabaudiae Comes, ejus tractatu & arbitrio acribus illis bellis, & malis datus eſt finis, qui Comes inde gloriam reportavit non parvam, & praecipue ab Aſtenſibus, a quibus etiam donis multis fuit cumulatus.

De Stephani Contareni mirabili Conſtantia.

ANno Domini 1410. Taceat Romana Hiſtoria Mutii Scaevolae in cremanda manu abſque ſigno doloris conſtantiam. Nam hoc anno Domini 1410. pugnante exercitu Venetorum adverſus exercitum Ducis Mediolani, cum Stephanus Contarenus pro Venetis viriliter pugnaret, tanta circa eum adverſariorum multitudo irruit, & tot ictibus pulſatus eſt in capite, ut ejus galea conquaſſata neceſſe fuerit eam forcipibus minutim ſecare, quod non niſi cum maximo Stephani dolore exequi potuit, ipſe vero nullum unquam doloris ſignum praebuit.

Ex plurium Memorialibus, & praecipue ex relatione Theodori Blandrati, ſive de Sancto Georgio, qui tunc Venetiis erat. Jacobus de Borcanino.

De gravi Peſte, quae Cherii accidit.

ANno Domini 1416. cum antea in autumno anni praecedentis 1415. a compluribus circa oppidum Cherii affirmaretur ſe Beatam Virginem Mariam vidiſſe, quae eos allocuta fuerat, admonens propter innumera populorum peccata, quorum non tanguntur poenitentia, juſtiſſimam Dei iram eſſe inceniſam, adeo ut populos eos graviſſima peſte mulctare ſtatuerit, idque ab aliquibus non crederetur, ſed pro figmento quorumdam haberetur, vel etiam vel ex delirii, vel ebrietatis cauſſa procedere exiſtimaretur; homines vero licet divinitus admoniti tanti beneficii immemores non ſolum non agerent poenitentiam de praeteritis, ſed pejora & graviora ſcelera perpetrarent; hanc tantam ingratitudinem, & ſcelerum frequentiam, & immanitatem pertaeſus Deus, hoc anno 1416. ineunte aeſtate lues peſtilentialis adeo ingens in oppido Cherii, & circumſtantibus locis ſupervenit, ut multa hominum, mulierum, parvulorum, & ſenum millia perierint, & pluſquam tertia pars incolarum extincta ſit.

Ex littera Antonii Barbiani Cherienſis ſcripta Federico Aſinario ejus avunculo ſub 13. Januarii 1417.

Georgius Allionus.

De Caroli Octavi Francorum Regis in Italiam adventu, & de ruina Ludovici Sfortiae.

MUlta certe cum ratione fortuna ab inclitiſſimo illo Poeta appellatur omnipotens, & ab hiſtorico ſcitiſſime dictum eſt, quod fortuna in re omni dominatur. Quod ſi ullo unquam tempore ante hoc cognitum eſt, fortunam rerum humanarum eſſe dominam, & ambiguis paſſibus volubilem, volaticamque, nunc maxime ſpectatum, nunc maxime compertum eſt, nihil eſſe tam magnum, quod non poſſit e veſtigio volente fortuna peſſundari, & ex ſummo in imum praecipitari. Erat quinto abhinc anno, ſcilicet anno Domini 1489. in Italia viris, opibusque florente, Ludovicus Sfortia Ducatus Mediolanenſis inclitus Moderator; tam pollens, tam opulentus, ut nutu hominis, vel renutu fierent

Digitized by Google

rent omnia, aut prohiberentur. Ejuſdem frater Aſcanius in Senatu Cardinalium authoritate, & potentia haud dubie Princeps Romanae Curiae habenas inſtar aurigae moderabatur. Denique hi duo fratres cunctis ferme mortalibus erant formidandi. Et in primis Ludovicus Sfortia inter ceteros Principes famigeratus more humani ingenii, quo plura habebat, eo ampliora concupiſcens, libidine dominandi animum titillante, maximum Galliarum Regem Carolum ejus nominis Octavum multis invitamentis in Italiam evocavit: qui anno Domini 1493. militaris gloriae avidiſſimus, & ob diſcordias Principum Italiae motas, cenſuit Neapolitanum Regnum, quod ad ſe pertinere aſſerebat, recuperare. Quare ingentibus equitum, peditumque copiis ſtipatus in Italiam venit, & per Subalpinos, Aſtenſes, Inſubres tranſiens juxta Macram Etruriae fluvium Florentinos debellavit, Serezanam cepit; inde Florentiam petens, a Florentinis, qui amiſſa Serezana cum eo ſe compoſuerant, honorifice exceptus fuit. Cumque Carolus pluries per Oratores ſuos a Pontifice petiiſſet, ut ſibi liceret ire Romam ſolvendi voti cauſa; Pontifexque cuncta egiſſet, ut eum non exciperet Romae; videns hoc Carolus, illac viam ſuam direxit; quod videns Pontifex, ſeque illi reſiſtere nullo modo poſſe, eum ingredi permiſit, cum prius Pontifex, & Cardinales in Caſtrum S. Angeli ſe recepiſſent. Ipſe die 1. Januarii anno Domini 1494. Romam cum exercitu ingreſſus eſt; cumque Pontificis abſentiam vidiſſet, ſeque audientia privatum, ira ſuccenſus eſt; attamen cujuſdam Legati opera pacificatus eſt: & cum contra pactum, quod Rex Romanis promiſerat, ſcilicet eos nullum damnum, aut jacturam paſſuros, ſi ſibi liberum iter, & commeatum praeberent, aliqui milites Galli Romanis moleſti fuiſſent, eos furca mulctavit; deinde facta cum Alexandro Papa confoederatione, & Caeſarem Borgiam Pontificis filium, Cardinalem Valentinum, ac etiam Zizimum Imperatoris Turcarum fratrem ſecum ducens, cujus Zizimi ope, expleto Neapolitano bello, adverſus Conſtantinopolim pugnare decreverat; & qui Zizimus poſtea alvi profluvio Capuae cum ſummo totius Chriſtianae Reipublicae detrimento mortuus eſt; cum his igitur ex Roma diſcedens in Regnum proficiſci decrevit, ac inde ad uſque Neapolim nullis obicibus, repagulisque tranſcurrit, & citra cruorem & ſudorem ſubacta veluti a tranſcurrente Campania eſt. Calabri, Apulique ultronee in deditionem venerunt; Alphonſus Rex Neapolitanus viris, equis, opibus praepolens Regno exturbatus, vaſa & alia pretioſora collegit, & in Siciliam feſtinanter aufugit, totusque ille tractus Italiae dicto citius in Gallorum poteſtatem afflatu fortunae obſecundantis redactus eſt. Recte Pictores & Poetae victoriam finxere pinnatam, quod hominum cum fortuna euntium non curſus eſt, ſed volatus. Verum eadem fortuna paulo poſt reflante Rex Gallorum domuitiones capeſcere coactus eſt; ſed non ſine ſanguine. Nam Alexander Pontifex, Maximilianus Imperator, Ferdinandus Catholicus Hiſpaniae Rex, Ludovicus Sfortia Mediolani Dux, & Venetorum Reſpublica his victoriis, & belli gloria permoti, & de rebus ſuis ſolliciti contra Gallos conſpirarunt, & exercitum validum coegerunt. Quo audito Carolus Rex aquiſito Neapolitano Regno Romam venit, ut cum Pontifice de foedere per eum rupto conquereretur. Sed cum Pontificem non inveniſſet, eo quod ipſe antea inde receſſiſſet ex induſtria; ubi ſe audientia privatum cognovit, ira ſuccenſus Romae quidem Urbi pepercit, ceteris vero Civitatibus multa dedit damna; ſiquidem in Tuſcanella ſeptingentos utriuſque ſexus mortales abſque omni culpa trucidati ſunt, ſacra, prophanaque omnia ibidem direpta, & non pauci, qui ad aedes ſacras confugerant, & Crucem amplexati fuerant, tanquam a feris trucidati ſunt. Quae alia mala alibi commiſſa ſunt, horrendum eſt dicere; deinde ſe in Galliam recipiens apud Fornovum juxta Tarum flumen, quod Agrum Parmenſem profluit, contra Collegatorum ſuperius memoratorum exercitum ancipiti cruentoque praelio pugnavit, in quo plures ex ſuis, & praecipue ex primariis perdidit, ſicuti & adverſarii multos ex ſuis ibi mortuos reliquerunt, & adeo aequa lance res confecta eſt, ut ignoretur, quae pars victrix extiterit. Carolus vero Rex videns ſe a Ludovico Sfortia deceptum, qui cum antea pro Galeatio nepote adminiſtrator, nunc Dux factus erat, & voti factus compos

Digitized by Google

foedus ſociale cum Rege Carolo diremerat, & cum Venetis novam, ut ſupradictum eſt, confoederationem iniverat, ſe in Galliam recipere feſtinavit, & reliquiis exercitus ſui collectis Aſtam venit, ubi aliquamdiu recreatus, domum ivit. Poſt vero quam Carolus domum rediit; ecce nova diffidia, novaeque aemulationes inter Principes, Populosque Italiae longe potentiſſimos gliſcere coeperunt. Dux Mediolanenſis Venetos ſuperiores, Veneti Ducem parem ferre non poterant. Hinc alterius mali labes, hinc fax Italiae, & flagellum. Dux Venetis illudere; & cum felicitatis pediſſequa ſit ſuperbia, neminem vereri, leges belli, ac pacis cunctis mortalibus dare, Maximilianum inducere in Etruriam, mox modo hos, modo illos fovere; & e veſtigio deſtituere, prout rebus ſuis conducibile arbitrabatur. Cum attonitis cunctis, & quorſum tenderent ejus conatus, expectantibus, Veneti odium jam diu occultum coquentes decreverunt Ludovicum XII. Gallorum Regem, qui Carolo Octavo defuncto ſucceſſerat anno Domini 1498. ſollicitare in Italiam; rati neminem ad Ducem Inſubrium ſubvertendum eſſe accomodatiorem; qui & ipſe privato odio infenſus Duci, & Dominatum eum veluti ad ſe jure haereditario pertinentem repoſcens, haud gravate ſuſcepit eam expeditionem, ad quam admotis Venetorum, Summique Pontificis calcaribus, atque hortamentis factus eſt etiam propenſior. Itaque probe callens Italiam non aliter, quam Italicis viribus ſubigi poſſe, anno Domini 1499. exercitum ſuum in Italiam miſit, cui praefecit Eberardum Obigninum, Ludovicum Ligninum Gallos, & Johannem Jacobum Trivultium Civem Mediolanenſem, natalium claritudine inſignem, & apud Populares ſuos favorabilem, & multa in exiſtimatione, cujus gratia & virtus paucis ante annis cum Ludovico Sfortia formidabilis eſſe coepiſſet, jam pridem exterus factus, & domo profugus ad Regem confugerat, eumque hortari, & impellere non deſinebat, ut bellum inferret Duci Mediolanenſi; oſtendens ſe ductore nullo negotio illum poſſe profligare. Igitur Rex Joanni Jacobo Trivultio Conſiliario impulſore, & uno ex Ducibus bellum abſens mira celeritate atque felicitate confecit. Vix Galli fines hoſtiles invaſerant, vix oppugnatorias machinas paraverant, cum ictu oculi Novium, & alia oppida juxta Tanari ripas obtinuerunt, mox inde Alexandriam, & Derthonam; quibus auditis exanimatus Ludovicus fortunae (ut opinor) impendentem procellam metuens, habenas rerum ſubito reliquit, & Aſcanium fratrem, ac proprios filios cum omni theſauro in Germaniam mittens, Mediolani caſtrum Bernardino de Curte, de cujus virtute plurimum fidebat, enixe commendavit, ipſeque paulo poſt per Lazium lacum in Germaniam pergens filios ſuos, ac fratrem ſecutus eſt. Igitur poſt Ludovici receſſum Galli nullis obſtantibus Mediolano, ac aliis Civitatibus, & oppidis ejus Ducatus potiti ſunt, nec multo poſt Bernardinus acceptis ducatis vigintiquinque millibus Mediolani caſtrum reddidit, cujus exemplo & Janua dominium ſui Gallis dedit. Unde in tanta celeritate victoriae, ſicuti Caeſar Dictator volens belli Pontici celeriter confecti victoriam ſignificare, gloriabundus ſcripſit, Veni, Vidi, Vici; multo glorioſius, & verius Rex Galliarum dicere poſſet: nec Veni, nec Vidi, & Vici; qui Rex paulo poſt accepto tam inſperatae, tamque incredibilis victoriae nuntio, confeſtim cum Baronibus, & Regio comitatu tranſgreſſus alpes tranſivit in Italiam, oculisque luſtravit partum recens imperium, Mediolanique conſedit. Verum cum natura comparatum ſit, ut quo ſe fortuna inclinat, eo favor hominum ſequatur, omnes fere Italiae Principes, & Reguli iverunt ſalutatum officioſe, & reverenter maximum Galliarum Regem, eique ſunt tantam victoriam gratulati, inter quos fuit Annibal Bentivolus, qui a Bononienſibus deſtinatus reverentiſſime officioſiſſimeque ſalutavit Chriſtianiſſimum Regem, a quo comiter, & obviis (ut ajunt) manibus exceptus, & praeconio Regio dilaudatus voti compos domum remeavit. Quis quaeſo unquam crediſſet, Ludovicum Sfortiam inter Duces omnes maximum, inter Reges famigeratum, inter mortales memoratiſſimum, inter homines terrenum Deum habitum, tam repente, tam inopinato jacturam tanti, tamque opulenti Ducatus eſſe facturum? Tam ſubito rebus deploratis Mediolanum, ipſamque Mediolani arcem deſerturum? qua nihil in Terrarum Orbe munitius, quam commeatibus copioſam, machi-

Digitized by Google

machinis repugnatoriis inſtructiſſimam, inexpugnabilem, & omnibus tormentis bellicis invincibilem eſſe ſciunt omnes, qui videre: nimirum id totum fortunae, & fato aſſignandum eſt. Fato dantur Imperia, & adimuntur: fortunae hi ludi ſunt: ſola utramque paginam facit; illi uni omnia accepta, omnia feruntur. Expanſa fortuna Ludovicum Sfortiam ex faſtigio excelſiſſimo devolutum deturbavit, quem prius non tantum ut alumnum molliter foverat, ſed ut filium jucundiſſimum peculiariter erexerat, illuſtraveratque: exempla fortunae venantis innumera ſunt apud priſcos. Quae Dionyſium gentium quondam terrorem Corinthi literario ludo praefecit. Quae Perſeum Macedonum Regem captivum fecit, ejusque filium legitimum artem ferrariam ob quaerendum docuit victum. Eadem Pompejum poſt triumphos ex toto terrarum Orbe partos, poſt quaeſitum ex rerum geſtarum amplitudine Magni cognomentum ſpadonum libidini in Ægypto trucidandum tradidit. Verum haec exempla recentiſſima nulli priſcorum poſtferenda abunde commune faciunt, ut fortunae blandienti in rebus ſecundis homo nimium nemo confidat. Namque Regnum Neapolitanum (ut caetera praeteream) adeo a fortuna circumactum eſt, ut ſpatio annorum quatuor quinque Reges habuerit; quo quid mutabilius dici poteſt? Florentini, quorum opes diu florentiſſime viguerunt, bello externo, & domeſtico vexati. Medices, quae familia Florentiae divitiis, exiſtimatione, claritudine multos annos primatum tenuit, in exilium miſſi: mutilatus Florentinorum Dominatus avulſione Piſarum, quae maritima Civitas plurimum rebus illorum conducebat. Nuperrime Dux Mediolani, quo nemo major, nemo opulentior, ex faſtigio ampliſſimo decuſſus (quae res vix apud poſteros vix ſit fidem habitura) cogitur ab aliis ſuppetias implorare. Denique poſt hoſce annos nulla fuit Civitas in Italia, quam non belli fulmen afflaret, & turbo percelleret. Sola Bononia fuit immunis, & exors bellicae vaſtitatis, bellis undique allatrantibus; idque factum prudentia, auctoritate, conſilio Illuſtriſſimi Principis Johannis Bentivoli, qui Bononienſem Rempublicam in maxima tranquillitate, nec minori dignitate florentem diutiſſime cuſtodivit, cui ob id ampliſſima ocii, & pacis, & opulentiae bona accepta referenda ſunt. Interea, aut paulo poſt, ſcilicet anno Domini 1500. & poſt quintum menſem a die, quo ipſe exulavit, a Mediolanenſibus taedio Gallorum revocatus, ſuccinctus militaribus Helvetiorum copiis Mediolanum rediit, ſuitque a cunctis ordinibus favorabiliter, plauſibiliterque receptus, in priſtinum faſtigium reſtitutus. Sed non poſt multos dies cum audiviſſet novum Gallorum exercitum ſub Tremolia Duce ſecum veteribus copiis Lignini, & Trivultii junxiſſe adverſus ſe venire; cumque etiam audiviſſet Ludovicum Valdricum Burgundum, qui ſtipendiis ſuis merebat, Duxque trecentum equitum erat, a Gallis ad rebellandum inflammari, Helvetiosque qui Gallis ſerviebant, alloqui affines ſuos, quos ipſe ſub ſtipendiis habebat, unde jacturam facere poterat, exanimatus metu Ludovicus ſe cum Lignino componere nixus eſt, annuum cenſum ſolvere promittens; ſed fortuna, quae jam antea calvam illi partem verterat, omnes ejus technas fefellit. Siquidem Helvetii cum ex Novaria exiiſſent, ipſeque Ludovicus veſtibus cujuſdam Helvetii indutus, ne cognoſceretur, cum eis mixtus exiiſſet, iſti pecunia corrupti eum Gallis proditorie tradiderunt; unde captivus factus in Galliam ad Ludovicum Regem ductus eſt. Nec mitiorem fortunam expertus eſt Aſcanius Cardinalis Ludovici frater, qui fugiens apud Conradum Landum Placentinum affinem ſuum ſe recepit, ſic ſperans inimicorum effugere manus, qui Conradus etiam proditorie illum captivum Venetis dedit; quare ductus Venetias, inde Regi Ludovico Gallorum illum petenti traditus eſt. Sicque iſti ambo fratres captivi, & absque tam grandi, & opulento dominio remanſerunt. Helvetii inde pecuniam ſibi a Gallis pro proditione Ludovici expoſcentes, cum ſe fruſtrari viderent, ſe Vercellas ſpoliaturos comminati ſunt, in qua Civitate tunc ipſi erant. Quod audientes Vercellenſes . . . . . de Ranzo Aſtaſio, cum imminens periculum ſpoliationis evitare vellent, eam pecuniam ſe Helvetiis ſoluturos promiſerunt; cumque extra Civitatem menſas apponere curarent, quaſi ibi numeraturi eſſent pecuniam, Helvetios ad exeundum invitaverunt; quo viſo Cives ſimulantes ſe ad pecuniam ferendam ire, in Civita-

Digitized by Google

vitatem ingredientes portas occluſerunt, & Helvetios deluſos dimiſerunt; qui ob id ira ſuccenſi vindictam ſumere tentaverunt. Sed cum Civitas munita ſatis eſſet, & populus ad defenſionem paratus, nec ipſi haberent machinas, quibuſcum muros quatere, & diruere, & ſic aditum ſibi patefacere poſſent, inde recedentes Clavaſium occupaverunt, quod oppidum ſatis aptum eſt ad res Gallorum inquietandas; ibique bis venerunt, ſed Gallis nihil nocere potuerunt.

Ex oculatis teſtibus. Franciſus Turzanus.

Hanc hiſtoriam narrat in quodam Memoriali ſuo Johannes Blaxius Duxius, qui his omnibus ſe interfuiſſe teſtatur.

Hanc hiſtoriam pro parte narrat Platina, & pro parte Nauclerus Generatione 50. Brutus Salamonius.

Hanc hiſtoriam vidi apud plures Hiſtoricos, & de ea vidi etiam Memorialia apud plures Cives Aſtenſes, & praecipue apud Dominum Gabrielem Buteum. Guliermus Cornalia.

Hanc hiſtoriam pro parte refert Simon Majolus in lib. de Imaginibus, Centuria xv. cap. 22. Guliermus Cornalia.

Quintum, & poſtremum Volumen, cui folia 24.

Franciſcus Turzanus de Caſtro Novo prope Inciſiam Legum Doctor, multumque Reverendi Domini Scipionis Rotarii Aſtenſis Epiſcopi Vicarius.

De Rebus memorabilibus Aſtenſium, & aliorum Populorum.

AStenſis Civitas, ſive ejus cives, quo tempore contenti fuerunt dominio ſuae Civitatis, & Caſtrorum, & Villarum, & aliorum Locorum circumſtantium, ſemper floruerunt virtutibus, opibus, potentia, & majeſtate, & apud omnes in ſumma exiſtimatione fuerunt. Sed poſtquam dominandi cupiditate impulſi vicinis ſuis bella intulerunt, facti ſunt omnibus inviſi, odioſi, & inimici, & eorum ſplendor, divitiae, potentia, Civium numerus, ac etiam nobilitas valde imminuta ſunt; ſed & in Principatus proprii diſcrimen inciderunt. Siquidem cum anno Domini 1267. die 6. Junii Aſtenſes Marchioni Inciſiae bellum intuliſſent ſub fictione auxiliandi quibuſdam de Montebarutio exulibus Dominis Carantini, nolentibus ſolvere ſodrum dicto Marchioni, eo quod eſſent immunes, & ſuper hoc lis orta eſſet inter partes ipſas, qua durante Marchio arreſtare, & detinere fecerat illos in capſina cujuſdam de Caſtello ſuper finibus Nitiae, & inter confines Nitiae, & Inciſiae, qua ex re moti Aſtenſes miſerant ad eum oratores ſuos, ut captivos redderet, renuente vero Marchione reſtituere, eo quod praetenderet captos fuiſſe ſuper ſuo territorio; Aſtenſes ſub hac fictione, ſed revera ut Marchionem iterum ſubjugarent ſibi, manu armata, & inſtructis copiis adverſus eum profecti ſunt, & infeliciter pugnarunt; nam victi, & in fugam verſi ſunt apud Bergamaſium, cujus victoriae virtute Marchio non modo a moleſtia ſibi illata liberatus eſt, ſed Aſtenſibus ademit Nitiam, Curticellas, Vinchium, Malamortem (quae hodie Belvederium appellatur) Montemberſarum, & alia loca, & per Marchionem Alledramum Civitas Aſta obſeſſa expugnata fuit; quam ruinam Aſtenſes ob nimiam dominandi cupiditatem habuerunt. Sed demum anno Domini 1271. die 24. Decembris inter eos facta fuit pax tractatu Papienſium, qui cum Aſtenſibus colligati erant amicitia, cujus pacis virtute Marchio reſtituit omnia loca occupata Aſtenſibus, Nitia excepta, & aliquibus aliis.

Non minus infeliciter illis accidit bellum illatum Alexandrinis, quod quia ab aliis notatum fuit, omittam; retuli tantummodo ſupradictum cum Marchione Inciſiae factum, quia non video ab aliquo tractatum fuiſſe; & ego quae ſcripſi, didici ex ſcripturis, quae ſunt in Archivio Marchionis Montiſferrati, cujus ego cuſtos aliquando fui, & fui Conſiliarius ipſius Marchionis, & praecipue Johannis Georgii.

Hoc tantum addam de rebus geſtis cum Alexandrinis, quod etiam ex eiſdem Scripturis didici; quod cum antea Aſtenſes Alexandrinis mutuo dediſſent pecuniarum quantitatem maximam, ad hoc ut ipſi Alexandrini poſſent ſe defendere a Mediolanenſibus, & a Marchione Montiſferrati; non volentes Alexandrini reſtituere, Aſtenſes petierunt ab eis caſtrum, & locum Valentiae, caſtrum & terram Gamonis (ſive Caſtellatii), caſtrum, & vil-

Digitized by Google

& villam Solerii, caſtrum & villam Sezzadii, caſtrum & villam Gamalerii, caſtrum & villam Burgi Rati, & alia loca; offerentes ſe illa reſtituturos, ſtatim atque ab Alexandrinis mutuatam ſibi pecuniam accepiſſent. Sed Alexandrini id facere noluerunt; quare inter ipſos, & Aſtenſes bellum fuit, in quo primo victi, & profligati fuerunt Alexandrini, & ex eis capti circa centum; ſed collecto per eos novo exercitu juxta Valentiam pugnantes victores extiterunt ope forenſium Aſtenſium, & capti fuerunt de Aſtenſibus pluſquam quatuor centum, pro quorum liberatione Aſtenſes abſolverunt Alexandrinos a pecuniae mutuatae ſolutione, & fuit pax inter ipſos, quae parum duravit. Haec facta autem ſunt anno Domini 1118. a menſe Martii uſque ad Sanctum Lucam, cujus feſtum eſt de menſe Octobris.

Aſtenſibus facile fuit dominari Marchionibus Cevae, quod fuit anno Domini 1179. die prima menſis Maji; eo quod dicti Marchiones multi eſſent, & valde inter ſe diſcordes. Sed cum idem facere praeſumerent Marchionibus Savonae, & Finarii, qui de Carretis ſunt, ipſi unanimes ſe defenderunt, & pluries Aſtenſium Principatum in maximis periculis poſuerunt, licet poſtea ſe ſe dederint Aſtenſibus ex cauſis, quae infra dicentur.

Marchiones Savonae, ſive Finarii, dicti de Carreto, aliquando fuerunt ſub Aſtenſium dominio ſponte, aliquando vero per vim. Nam ſponte ſe dederunt Aſtenſibus anno Domini 1205. die 16. Julii. Cum eos graviter afflixiſſent Genuenſes, eo quod jugum eorum tanquam duriſſimum ſubire nollent, ipſi maluerunt eſſe ſub dominio dulci Aſtenſium, quam ſub aſpero illorum Maurorum alborum. Sed cum poſtea quidam Poteſtates ab Aſtenſibus ad eos miſſi illos tyrannice tractarent, & conagii privilegium, quod Marchionum erat, ad ſe transferre vellent, ob id ipſi Marchiones a Civitate Aſtae infideliter defecerunt, quod fuit anno Domini 1210. quibus Aſtenſes bellum intulerunt, quod per annos decem duravit, & ſaepe fuit pugnatum varia fortuna; tandem per vim ſubjugati fuerunt anno Domini 1220. die decima quinta Auguſti in feſto Beatae Mariae; ſed denuo defecerunt ab Aſtenſibus, cujus rei poenas dederunt: & id, cum Genuenſes, qui antea cum Aſtenſibus colligati erant, propter hoc a confoederatione receſſiſſent, & non modo Aſtenſibus reſiſterent, ne ſubjugarent denuo dictos Marchiones, ſed ipſi procurarent eos ſubjugare; tandem compoſitis aliquibus conditionibus, Marchiones quaſdam eorum Villas Genuenſibus dederunt, videlicet Roſſilionum, Campum, & Saxellum; & ſic pacem inter ſe fecerunt, qua pace facta Genuenſes Marchioni Montisferrati multas pecunias, quibus affluebant Genuenſes, dederunt, ut bellum moveret Aſtenſibus, qui Marchio nomine Bonifacius fictis aliquibus occaſionibus Aſtenſes bello laceſſivit; quare hac de cauſa Aſtenſes bellum, quod adverſus Marchiones Savonae praeparaverant, alio transferre ſunt coacti, & ſic Marchiones in libertate permanſerunt. Haec autem facta ſunt a die ſeptima Februarii, uſque ad diem ultimam Novembris anno Domini 1221. quod didici ex Scripturis Archivii Civitatis Aſtae, cujus Judex, & Poteſtas fui, & ex Scripturis Marchionum de Carreto, quas in manibus habui, & ex libro Adurniorum.

Marchiones de Ponzono nunquam fuere in flore. Nam ſtatim atque ſeptem Marchionatuum facta fuit diviſio, paulo poſt illis a Marchione Inciſiae capta fuit Civitas Aquarum, quae illis obtigerat, & poſtea Marchioni Inciſiae fuit capta a Marchione Montisferrati. Iſti ergo pauperes Marchiones de Ponzono cum litteris magis, quam armis dediti eſſent, fuerunt a vicinis oppreſſi, & tandem ſub Othone uno eorum res eorum omnino exciderunt; ſed paulo poſt ope Genuenſium, & Marchionum de Carreto reaſſumpſerunt vires. Sed ad extremum victi jugum Marchionis Montisferrati ſubire coacti ſunt, cui deinceps ſemper fideles fuerunt; & haec didici ex Scripturis Marchionis Montisferrati, & praecipue ex inſtrumento Teſtamenti ipſius Othonis, qui inſtituerat ſibi haeredem Marchionem Inciſiae.

Marchiones Salutiarum ſemper fuerunt potentes, & pugnaverunt cum vicinis, quos volentes ſubjugare Aſtenſes, multa damna ab ipſis Marchionibus paſſi ſunt, quae quia ab aliis tractata fuerunt, non refero.

Marchiones Montisferrati potentiſſimi fuerunt omnium ex ſeptem Marchionibus, & ſaepe numero pugnaverunt cum Comitibus Sabau-

Digitized by Google

baudiae, cum Marchionibus aliis, cum Mediolanenſibus, cum Papienſibus, cum Alexandrinis, demum cum Aſtenſibus, quibus multa mala, & gravia damna intulerunt, quae non refero, cum ab aliis, & praecipue ab illis de Ventura, & ab Antonio de Aſtexanis, qui fecit Cronicam de rebus Aſtenſium, quam ſaepe vidi, tractata ſint.

Comites Sabaudiae fuerunt potentiſſimi, & multo magis, poſtquam Vallis Auguſtae, & Marchionatus Secuſiae dominium obtinuerunt.

Aſtenſes in diverſis temporibus fuerunt domini multarum Regionum, & Civitatum, & Locorum, & praeſertim de anno Domini 1197. poſſederunt Alexandriam, Aquam, Terdonam, Albam, Finaſium, Vintimiliam, Montemvicum, Cuneum, Foxanum, Draconerium, Summamripam de Boſco, Montemcalerium, ſive Ratanam, Cherium; & ultra Padum, Creſcentinum, Liburnum, Tridinum, & excluſo Caſali, & aliis perpaucis locis circumſtantibus fere totum Montemferratum, & omnia loca, quae ſunt a locis ſupra memoratis in circuitu verſus Aſtam, perpaucis exceptis. Sed tanta felicitas ex civilibus diſcordiis cecidit, vel ut melius dicam, permittente Deo in poenam delictorum Civium Aſtenſium; ex igne devotionis in Deum in ignem tormentorum propriae conſcientiae ob ſcelera, & in ignem afflictionum, quae illis a vicinis Principibus, & etiam a falſis Civibus datae ſunt, ceciderunt. Quod illis accidiſſe exiſtimo, non quod non eſſent optime de fide Catholica ſentientes, ſed quia parum erant ſolliciti in Sacramentis Confeſſionis & Communionis; inter ſe odiis inteſtinis contendebant, uſuras peſſimas tam in Civitate, quam alibi faciebant, & maxime in Francia, & Flandria, quo major pars familiarum, & praecipue Nobiliorum omni anno mittebant pueros de filiis ſuis pro hoc peſſimo exercitio; unde venerunt in Aſtam tantae opes. Hinc eſt quod in Flandria, ut audio, adhuc nunc tales foeneratores appellantur vel nomine Lombardorum, vel Aſtenſium. Audio etiam ubique dici hoc dictum, videlicet; qui vult bene diſcere foenerari, recurrat ad Aſtenſes, & ad Cherienſes; quod certe non parum dedecoris, & ignominiae adfert Italiae, & maxime Longobardiae, & potiſſimum Civitati Aſtae, & Nobilibus ejus, quae familiae ut plurimum confeſſae fuerunt hoc, dum conſtituentes Capellas, & reditus pro Miſſarum, & aliorum Sacrorum celebratione in ſalutem animarum ſuarum appoſuerunt in publicis Scripturis haec propria verba, (& hoc fecit in exonus conſcientiae ſuae, & ſuorum Majorum & Anteceſſorum pro uſuris, & foenore factis & in Francia, & in Flandria), quarum Scripturarum exempla ego vidi, & maxime de Rothariis, Aſinariis, Pelletis, Ritiis, Varixellis, Bergagnis, de Garleſio, ſive de Magiſtris, de Garretis, de Scarampis, & aliis, pluraque ex his exemplis ego habeo. Non eſt igitur mirum, ſi Dominus noſter declinaſſe permiſit Aſtenſes, & ex liberis, & potentibus ſubditos, & debiles fieri, nam eorum mala opera haec & pejora merentur. Jactent ergo ſe Aſtenſes de Civitatis antiquitate, de generis nobilitate, de dominiis habitis, & de opibus, quas poſſident; nam certe id poſſunt dicere ſine dedecore, antiquitatem Civitatis, & generis nobilitatem certe poſſunt allegare, & eum dicent . . . . . Sed ſplendorem tantae nobilitatis, & rerum antea laudabiliter geſtarum tantis ſceleribus maculaverunt, ut de illis poſſet dici, quod Cicero cuidam illum inſultanti propter generis ignobilitatem, videlicet, Poſteri mei poterunt ſine pudore dicere principium nobilitatis eorum ex me prodiiſſe, poſteris vero tuis dicetur nobilitati familiae tuae te finem impoſuiſſe. Jactent, inquam, ſe aliqui nobiles Aſtenſes de eorum nobilitate, & potentia, & opibus quamdiu volunt; quia ab his qui ſano ſunt judicio & integro, eorum moneta (ut ita dicam) expenditur prout valet. Nam ſi nobilitas, ut eſt omnium ſententia, ex virtute vel militari, vel literarum, vel ex opibus juſte aquiſitis procedit, quomodo poſſunt multi ex ipſis dici nobiles, cum nobilitas eorum, vel ut melius dicam, velum aut umbra nobilitatis ex adulteriis, ſtupris, inceſtis, lenociniis, rapinis, uſuris, falſitatibus, & aliis ſcelerum generibus vel traxerit originem, vel augmentum ſuſceperit. Loquor generaliter, nec volo deſcendere ad particularia, cum nemini injuriam facere velim, ſed vitia deteſtari. Poſſem quidem ad particularia deſcendere, cum viderim plures Scripturas, & ob id plura ſciam, ſed id non eſt meae intentionis, quae eſt cunctos

Digitized by Google

ctos venerari, ſed eos a vitiis deterrere ; aliquibus tamen ſe jactantibus dixi, ut deſinant jactare ſeſe. Nam ut dicebat ille Philoſophus, nulla familia tam vilis eſt, quae a Regibus non traxerit originem ; neque ulla familia tam nobilis eſt, quae a ligone, & villicis non ſortiatur initium. Quod de aliquibus Aſtenſibus certe verificatur. Taceant igitur, & de his ſufficiat, quae dicta ſunt, maxime, cum alii plura, & majora dixerint.

De Bello Tarentinorum, & Pyrrhi contra Romanos.

ANno ab Urbe condita 444. & Mundi 4891. alii dicunt fuiſſe anno ab Urbe coepta 460. & Mundi 4907. ortum eſt bellum inter Romanos, & Tarentinos. Cauſa fuit, quod cum quadam die Tarentini praetereuntem Romanorum claſſem vidiſſent, eam inſperato ſunt adorti, & omnes eorum naves ceperunt, exceptis quinque, quae ſalutem fuga ſibi comparaverunt, ac omnes viros ad bellum aptos occiderunt, reliquos vero vendiderunt; cumque hoc audito Romani Tarentum Oratores miſiſſent, quo de tam inſigni injuria conquererentur, Tarentini non modo Oratores ſpreverunt, ſed variis contumeliis affecerunt ; ita ut etiam primarium eorum urina ſpurcaverint. Sed cum uno & eodem tempore bellum gererent cum Samnitibus, cum Lucanis, & cum Meſſapiis, nec populi, & ſubditorum tantum numerum haberent, ut tantos poſſent exercitus comparare, coacti ſunt non modo eos, quos vel aetas, vel aliae cauſae ab onere militiae faciebant immunes, ad ſumenda arma compellere, verum etiam a vicinis non modo populis, ſed a longinquis auxilium petere. Quare Oratores ad multos Reges, Provincias, Nationes, & Civitates hac de cauſa miſerunt ; ſicque Decium Levinum in Aſt miſerunt, qui erat Publii Valerii Levini tunc Conſulis frater, qui ab Aſtenſibus obtinuit Equites C.m ſub Duce Pomponio de Campo, qui etiam erat Dux Generalis eorum, qui in auxilium miſſi ſunt, & ſub Ducibus Amerano de Elviis, Odino Aſtexano, Vallerio de Falco, Fabritio de Troja, & Eimino de Gallo, alii dicunt de Garrono, omnibus de primariis Civibus : pedites mille ; & qui miſſi fuerunt tam equites, tam pedites erant de validiore juventute, & de familiis inſignioribus Civitatis. Audientes autem Tarentini Romanorum ingentem belli apparatum, ad reſiſtendum ſe accinxerunt. Sed cum de propriis viribus diffiderent, Pyrrhum Epirotarum Regem, cujus tunc fama celebris erat, eum in eorum Ducem eligentes, ad veniendum in Italiam cum exercitu invitarunt propoſitis praemiis, & ei equites XX. millia, & peditum maximam innumerabilem quantitatem promiſere ſe daturos ; cumque Pyrrhus conditiones acceptaſſet ; ſeque ad in Italiam transferendum praepararet, ab Antiocho pecuniam petiit, & habuit magnam pecuniarum quantitatem. A Tolomeo milites petiit, & habuit Equitum, & Peditum plura millia, & Elephantes quinquaginta ; ab Antigono demum habuit naves ad transferendum exercitum, quibus omnibus paratis in Italiam venit, contra quem Romani Publium Valerium Levinum Conſulem miſerunt, qui cum exploratores Pyrrhi cepiſſet, non modo eos non occidit, ſed eis omnem exercitum & belli apparatum oſtendit : inde liberos ad Regem, & abſque ulla prorſus laeſione remiſit. Die poſtea ſequenti pugnatum eſt ; & primo quidem Romani Pyrrhum fugabant, quamvis ipſe acriter & ſtrenue pugnaret, & ferre ſolus aciem ſuſtineret. Sed Pyrrhus Elephantes in pugnam ingredi cum juſſiſſet, quos nondum antea Romani viderant, Romani in fugam verti coeperunt, cum & ipſi Elephantorum aſpectu terrerentur, & eorum equi Elephantorum halitum, & aſpectum horrentes progredi nollent ; ſed ſuperveniente nocte ceſſavit pugna, in qua de Romanis, & eorum auxiliaribus copiis capti fuerunt viri ultra ſeptem millia, & ultra XI. millia caeſi, inter quos omnes Aſtenſes, exceptis Fabritio de Troja cum XXIII. aliis, inter quos Eiminus Gallus, ſive ut alii dicunt, Garronus, Amerarus Elvius ex Ducibus, & Xandronus Auricula, Antheus Bucanigra, Robaudus Teſta, Livius Mantellus, & Amalius Maxilla milites, qui tamen Eiminus, Xandronus, Amulius, Antheus, Livius, & Robaudus, eo quod graviter vulnerati eſſent, non poſt multos dies obierunt. Hac clade accepta Levinus Conſul nocte fugit, quem ſequenti die Pyrrhus inſecutus eſt. Sed cum in illo bello ultra decem

Digitized by Google

millia militum amisisset, voluit expectare Siculos, & Salernitanos, qui in subsidium suis veniebant, qui sequenti die ad exercitum venerunt. Quare auctis copiis Pyrrhus iter Romam versus direxit, vastando segetes, & arbores, pecudes capiendo, & homines vel occidendo, vel capiendo; Praenestemque obsedit, & cepit. Et cum animo concepisset futurum, ut Romani ab eo pacem quaererent, & ab hac re alienos Romanorum animos comperiret, spe etiam potiendae Urbis destitutus, ipse a Romanis pacem petere statuit; sicque virum primarium natione Thessalum, Cineam nomine ingenio praestantem, qui etiam fuerat Demosthenis auditor, Romam misit, ut pacem a Romanis impetraret. Romani vero legatione audita, & re bene discussa ex verbo Appii Claudii viri maximae auctoritatis, qui propter senium coecus factus erat, responderunt, se nullam pacem cum Pyrrho acturos, nisi ipse prius ex Italia recessisset. Non post multos dies Romani de captivorum redemptione solliciti hanc ob causam Oratores ad Pyrrhum miserunt, inter quos erat Cajus Fabritius, de quo Cineas ad Regem retulerat eum quidem inter Urbis primarios esse, sed in summa egestate. Huic ergo Pyrrhus, ut sibi eum conciliaret, magnam auri quantitatem dare voluit, quam ipse respuit omnino. Admiratus Pyrrhus sequenti die Elephantem, quem in tentorio celabat, ostendit, cui respondit Fabritius, se neque a proposito vel auro moveri, vel beluae aspectu terreri; cumque Fabritii Oratores re infecta rediissent, Pyrrhusque se in Campaniam recepisset, contra eum Romani Fabritium cum exercitu miserunt; ac non multo post sequutum est secundum praelium in Apuliae finibus, ubi diu ancipiti Marte fuit pugnatum. Sed tandem Pyrrho, dum strenue pugnaret, gravi in dextro brachio vulnere affecto, & Elephantis omnibus caesis, & viginti millibus militum Pyrrhi trucidatis, & omnibus insignibus amissis, & Agathone Siracusiae Rege capto, Romani victores extiterunt, vixque Pyrrhus se Tarentum recepit. De Romanis vero in illo praelio perierunt quinque millia, & Fabritius vulneratus fuit. Sequenti anno, qui fuit ab Urbe condita 445. vel ut aliis placet 461. Pyrrhus coacto novo exercitu contra Romanos venit, contra quem Romani Cajum Fabritium praedictum miserunt. Cumque exercitus ambo non valde inter se distarent, nocte quadam Pyrrhi Medicus ad Fabritium venit, ac se veneno Pyrrhum interfecturum, si sibi magna quantitas pecuniae daretur, pollicitus est: quo audito Fabritius non modo Medico non annuit, sed rem Pyrrho patefecit; quo audito Pyrrhus a Medico tormentis veritatem eruit, indeque omnes Romanos, quos captivos habebat, qui ad septem millia erant, absque ulla redemptione liberos abire dimisit. Isti vero captivi cum Romam venissent, a Romanis pulsi fuerunt, & infamia notati, eo quod cum armati essent, se Pyrrho captivos dedissent, statutumque fuit, ut in pristinum gradum redire non possent, nisi de inimicis suis spolia reportarent. Dum haec fierent, Siculi, quorum Rex Agatho, ut supra diximus, in bello caesus a Romanis fuerat, Oratores suos ad Pyrrhum miserunt offerentes ei Siciliae totius dominium. Pyrrhus ergo in Siciliam pergens, Alexandrum alterum ex suis filiis in locum suum suffecit contra Romanos, qui Alexander audiens ab exploratoribus suis, quod Subalpini, Ligurenses, & alii eorum finitimi populi exercitum coegissent XII. millium inter equites, & pedites, eumque in Romanorum subsidium mitterent, statuit eos, dum incauti procederent, aggredi: quod fecit nocte in valle quadam, quae est inter Umbros; cumque eos fessos ex itinere, & nihil tale timentes & somno sopitos inveniisset, maximam eorum partem trucidavit, cumque inter eos essent circiter tria millia Astensium sub Cassandro de Rista Duce Generali, scilicet Equites DCCC. sub Ducibus Ascanio de Longamanu, Fulvio Erulo, Donicio Fontana, Arpino Rana, Fabritio de Porta, Astexano de Rocha, Fantino de Facio, & Mario Rastello: Pedites vero MMCC. sub Ducibus Minardo Auricula, Octavio Sacco, Plautio Barbanigra, Silvio Bonvicino, Laelio Buffa, sive de Buffellis, Curtio de Cathena, Ruffo, seu Ruffino de Campo, Verdamino Luna, Publio Calidonio, sive ut alii dicunt, de Cardona, Ænea Donato, Fantino de Fantinis, Riverio Cola, Palamede Elliano, Valerio Gardino, Hectore Falleto, Mutio de Glande, Tantalo de Entellis, Pallemone Rocha, Pamphilo de Lente, Horatio

Digitized by Google

tio Laurente, ſive de Laurente, & Terentio de Lora; & in hoc praelio perierunt de Aſtenſibus ſimul cum Caſſandro Riſta, ſive de Reſtis, quem ſupra diximus fuiſſe Ducem Generalem, de Ducibus equitum Arpinus, Marius, & Fabritius: de Ducibus vero peditum, Minardus, Plautius, Silvius, Publius, Fantinus, Palamedes, Tantalus, Pamphilus, Ruffus, Hector, Verdaminus, Curtius, & Æneas. De militibus vero perierunt equites CCCCLXVII. & pedites MDCCCXIV. qui vero ſuperfuere de Aſtenſibus, omnes vulnerati fuerunt uſque ad unum, & ab Alexandro capti, & juramento ad ſibi ſerviendum adſtricti. Cumque inde ſuperbia elatus Alexander, contra quem Romani Curium Conſulem miſerant, minus caute procederet, incidit quadam die in Romanorum inſidias ſibi in Lucania paratas: tunc Romani ex latibulis prodeuntes irruerunt ſuper eum, & majorem exercitus ſui partem trucidarunt; idque evenit auxilio Aſtenſium, qui eam occaſionem nacti ad Romanos confugere, & arcana exercitus Alexandri patefecerunt. Interea Pyrrhus praelia geſſit plura in Sicilia adverſus Carthaginenſes, in quibus ut plurimum victor extitit: ſed bello eo adhuc durante, cum audiſſet Pyrrhus clades, quas a Romanis Alexander acceperat, coactus e Sicilia diſceſſit, ut filio ſuppetias ferret, & ſtatim atque ipſe e Sicilia receſſit, Siculi ab eo defecerunt, & Hieronem in Regem elegerunt; cumque Pyrrhus tertio cum Romanis pugnaſſet, victus ac profligatus fuit, & cum pedites LXXX. millia, & equites ſeptem millia in exercitu haberet, ex eis triginta millia caeſa ſunt, & tredecim millia capta, & in Epirum ſe recipere fuga coactus eſt: quod fuit anno ab Urbe condita 462. Aſtenſes vero, qui remanſerunt, reverſi ſunt Aſt ſub Mutio de Glande, qui ſolus ex Ducibus ſuperfuit, & fuerunt numero LI. Ipſe autem Mutius hujus hiſtoriae reliquit memoriam, quae in Archivio Civitatis poſita fuit, & adhuc uſque in hodiernum diem. Sed Pyrrhus cum ex inſtinctu naturae ad bella inclinaret, anno quinto poſtquam venit in Italiam, qui fuit anno ab Urbe condita 465. cum Macedoniam fuiſſet adortus, per menſes ſeptem eo Regno potitus eſt expulſo Demetrio; ſed ipſe poſtea a Liſimaco expulſus fuit: deinde Pyrrhus Lacedaemones eſt adortus, ſed ab eis victus & fugatus fuit; ibique Tolomeus filium ſuum amiſit. Deinde Argum obſedit, & cepit; cumque in caede civium debaccharetur, ſaxo a vili mulierecula per feneſtram ſuper caput ejus praecipitato, occiſus eſt. Tunc Tarentini mortem Pyrrhi audientes, & ſeſe ob vicinitatem Romanorum timentes, cauſam belli, quod fuit inter Romanos, & Carthaginenſes, dederunt; nam cum eis foedus contra Romanos inierunt, & ab eis ſubſidium obtinuerunt, unde plura bella originem habuerunt. Carthago Civitas fuit digna, & primae Africae caput, quae ante Romam condita fuit a Didone. Haec Romanis ſemper inviſa fuit, & ne Sicilia, & aliae Inſulae Romanorum dominium ſubirent, earum defenſam cepit, quod tanto libentius fecit, conſiderans maximum Romani roboris augmentum. Nam anno ab Urbe condita 477. recenſiti cives Romani inventi fuerunt CCLXXVII. millia CCCXXXIV. Tunc Romani Claudium Conſulem in Siciliam miſerunt, qui Hieronem Tirannum ſimul cum Carthaginenſibus, & Tarentinis vicit, & fugavit. Annibalem ſeniorem eorum Ducem in Agrigento obſedit, qui cum fugiſſet cum paucis, Romani Civitatem aggreſſi ſunt. Hiero autem ſibi conſulens cum Romanis foedus iniit, captivos, quos de Romanis habebat, liberavit, & talenta argenti ducenta ſolvit. Tunc Romani Meſſanenſibus, qui in eo bello egregiam navarant operam, multa, & magna contulerunt privilegia.

Ex relatione ſupradictorum edita per Mutium de Glande, quae eſt in Archivio Civitatis uſque in hodiernum diem. Julius Falletus.

Cum hac hiſtoria concordant omnes hiſtorici, qui Pyrrhi in Italiam adventum, & geſta ſcripſere, excepto quod nullam de Aſtenſibus fecerunt mentionem. Franciſcus Turzanus.

Supraſcriptam hiſtoriam, ſicut ſupra eſt, ad verbum narrat Andreonus Garretus, qui addit Subalpinos, Ligures, & alias Nationes, quae cum Aſtenſibus erant, poſt cladem Inſubriae acceptam domum rediiſſe, idque ipſe addit ex alio Memoriali de hac re acto a Deciano de Naſiis, qui in eadem expeditione cum Mutio fuerat. Franciſcus Turzanus.

Eandem hiſtoriam narrat Philippus Ritius, qui addit ea omnia, quae ab Andreono Gar-

Digitized by Google

reto addita ſunt, idque affirmat ex alio Memoriali de hac re edito per Vallarandum de Troja, qui etiam fuerat cum Mutio praedicto, quod Memoriale affirmat eſſe in Archivio Civitatis. Idem Turzanus.

De Othone Lucio Imperatore.

ANno Domini 71. & mundi 5270. cum Lucius fuiſſet Imperator electus, & contra Gallos (cum quibus Aſtenſes ob odium, quod ceperant contra Sergium Galbam ob iniquam declarationem factam inter Aſtenſes, & aliis de cauſis, ſe junxerant) ac etiam contra alios Populos Aſtenſibus vicinos pugnaret; adeo iſti Populi adverſus eum invaluerunt, ut eum vicerint, afflixerint, & fugaverint. Quod factum fuit apud Cremonam. Cumque Otho videns ſui exercitus ruinam fugeret, videretque ſe proſequi, & capitis periculum ſibi imminere, ne vivus veniret in manibus inimicorum, & maxime Aſtenſium, quos inter alios ſibi maxime infenſos cognoſcebat, ſemet ipſum gladio interemit.

Ex plurimum Memorialibus. Thomas Auricula.

Vidi ego memoriale de hac re factum per Marcum Carbonem Aſtenſem, qui teſtatur ſe in illo praelio interfuiſſe. Raymundus Turcus.

Ex plurium Memorialibus. Paganus Inciſia.

De Federici Barbarubeæ geſtis, & de damnis datis Civitati Aſtenſi.

ANno Domini 1164. & Mundi 6363. cum antea Federicus Imperator ab Alexandro tertio Pontifice in concilio Claromontano fuiſſet excommunicatus, Federicus furiis propriae conſcientiae agitatus loco ſtare nequibat; quare in Longobardiam veniens tyrannice cuncta vaſtabat, & hoc anno Domini 1164. Terdonam obſedit, expugnatamque expoliavit. Similiter etiam Mediolano fecit, quod etiam diruit, Cremonenſibus multa damna intulit, ac etiam Aſtenſibus, eo quod Aſtenſes Terdonenſibus opem tuliſſent; poſtea exercitum miſit contra Civitatem Aſtenſem, & eam obſedit per viginti octo dies, & cum Civitas Aſtenſis summopere victus inopia laboraret, ſecrete per Thomam Solarium de Govono, & Fabricium Guttuarium de Fellicciano, qui tunc captivi apud Sangarium exercitus Federici Ducem erant, cum Sangario tractaverunt, & pacti ſunt pecuniam ſe daturos, modo Civitatem obſidione liberaret. Tunc Sangarius voce ſparſa, quod omnes Longobardi in unum coactis omnium exercitibus in Aſtenſium ſubſidium venirent, ab obſidione receſſit, ſeque Papiam contulit. Tunc Patavini, Veronenſes, Vicentini, & Veneti ex communi periculo moti decreverunt non modo non amplius auxilium praeſtare Federico, immo illi pro poſſe reſiſtere, ne amplius Longobardiam vaſtaret. Quo audito Federicus ira ſuccenſus ad obſidendam Veronam perrexit; audiens vero illuc proficiſci auxilia ab aliis Civitatibus miſſa, inde receſſit, & Papiam rediit; deinde & per literas, & per Oratores Philippum Galliae Regem rogavit, ut ad Concilium veniret, & Alexandrum ſecum duceret, ad quod ipſe cum Victore proficiſceretur: ac Italiae rebus pro temporis qualitate compoſitis Divonem, qui locus eſt, ubi Sava flumen Gallos a Germanis ſeparat, Federicus cum Regibus Scotiae, & Bohemiae, & maximo exercitu perrexit. Sed Alexander eo quod ipſe illud Concilium cogi non mandaſſet, ſed aliud ipſe Turoni incoeperat, illuc ire noluit. Quare Federicus magis ira excandeſcens in Germaniam rediens, Victorem in Italiam miſit, volens paulo poſt eum ſequi.

De nova expeditione ad bellum adverſus Saracenos a Chriſtianis facta.

CIrciter anno Domini 1214. & Mundi 6413. Innocentius tertius Pontifex novam expeditionem adverſus Saracenos indixit, in qua Crucem ſuſceperunt Federicus, ſeu Fridericus ſecundus Imperator, Nearcus Dux Brabantiae, Marchio Badenſis, Dux Limburgi, Comes Laenſis, Dux Moraviae, Palatinus, Comes Tubigenſis, Comes Spembremenſis, Comes Moratenſis, Dux Ameri, Comes Tuliacenſis, Comes . . . . . Comes Spirenſis, Comes Feldenſis, Comes . . . . . & Comes de Naſſau, cum innumerabili equitum, & peditum multitudine, qui omnes a praedicationibus

Digitized by Google

nibus a Magiſtro Scholaſtico Xantenſis Eccleſiae de Innocentii Tertii Pontificis mandato factis permoti, Cruce ſignati ſunt. Nec hi tamtummodo ſe ad tantam rem accinxerunt; ſed multi etiam Epiſcopi, & alli Eccleſiarum rectores; videlicet Epiſcopus Bambergenſis, Epiſcopus Leodienſis, Epiſcopus Pictavienſis, Epiſcopus Herbipolitanus, Archiepiſcopus Moguntinenſis, Sifridus nomine, Epiſcopus Eicſtatenſis, Epiſcopus Argentinenſis, ac permulti alii Epiſcopi, Abbates, Monaci, & cujusvis generis Religionis, qui omnes Pontificis permiſſione pro Chriſti fide, & Terrae Sanctae recuperatione arma ſumpſerunt. Sed quod plus eſt non adulti modo ad hanc expeditionem iverunt, verum & pueri in Regno Franciae, & in Germania, quaſi eorum opera Deus Hieroſolymam ab infidelium manibus recuperari juſſiſſet, & Cruce ſignati ſunt ad numerum viginti millium, & ſe ad Dei militiam voto obſtrinxerunt. Hos ergo omnes Cruce ſignatos cum unicus portus capere non poſſet, ipſi ſe in tres partes diviſere; alii Marſiliam petierunt; alii in Italiam venientes Brunduſium; alii demum Genuam appulerunt, quorum exemplum ſecuti permulti Praelati Eccleſiarum, Principes, & alii Italiae Proceres, crucem ceperunt, & ad bellum adverſus Saracenos profecti ſunt. De Aſtenſibus in hoc bello fuerunt equites tercentum, pedites mille, & pueri ducentum ſub Generali Duce Federico de Blandrate, ſive de Sancto Georgio; & ejus locum tenens fuit Georgius de Ceva. Equitum duces fuerunt Philippus Novellus, Alphonſus de Coxano, Albertus de Solario de Govono, Federicus Aſinarius de Loreto, Manuel Alferius, & Paulus Aemilius de Turchis de Vinchio. Peditum Duces fuerunt Jacobus de Anciſia, Ludovicus de Iſnardis, Leonardus Bulla, Audreas Ritius, Odoninus Rotarius. Pueri etiam Duces ſuos habuerunt, qui fuerunt Hercules Coſta, & Jacobus de Palſaveno, qui Jacobus poſtea factus adultus fuit per aliquot annos praefectus tertiae partis exercitus in Syria. Milites vero omnes, qui ad hoc bellum iverunt tam eques, quam pedes fuere omnes nobiles vel de Hoſpitio, vel de Populo. Solus Lazarus Barleta ex plebejis ivit cum ſex filiis ſuis impuberibus. Hoc non eſt omittendum, quod Benentinus de Cortizanis ſuae familiae maculam inuſſit; nam cum a Saracenis captus fuiſſet, timore mortis fidem negavit; quare a Civibus familia illius, quae antea de Hoſpitio erat, Plebeja facta eſt, & licet ipſe ad fidem redierit, tamen non potuit priorem nobilitatis gradum recuperare.

Ex Archivio.

Idem refert Nauclerus, licet non loquatur de Aſtenſibus. Brutus Salamonius.

Idem refert Reverendiſſimus Simon Majolus, licet non faciat de Aſtenſibus mentionem, lib. de Imaginib. Centur. 13. cap. 3. Marcus Antonius Majolus.

De nova expeditione a Chriſtianis adverſus Infideles facta.

Anno Domini 1222. & Mundi 6421. licet antea Chriſtiani ex Hieruſalem pulſi fuiſſent, attamen multas, & valde munitas Civitates adhuc in Syria poſſidebant. Sed cum in dies magis robur, & potentia Turcarum creſceret, Chriſtianorum vero e contrario minueretur: hoc anno Domini 1222. Joannes Rex Hieruſalem Romam venit ab Honorio auxilium petens, a quo obtinuit, ut Federicus ab excommunicationis ſententia abſolveretur, modo in Syriam adverſus Turcas pugnaturus proficiſceretur. Federicus igitur ducta in uxorem Jole filia Regis Hieruſalem cum conſenſu Principum Germaniae in Italiam veniens, exercitum maximum comparavit, & a pluribus Germaniae Principibus ſecutus, inter quos erat Langravius Sanctae Eliſabetae maritus, Brunduſium profectus eſt, & inde in Syriam. Ad hoc bellum iverunt de Aſtenſibus circiter ſeptingenti viri ex omni genere Civium ſub Duce Generali Marco de Solario de Vignali. Duces vero minores fuerunt Euſebius de Raſtellis, Marci Ducis Generalis ex ſorore nepos, Luitprandus de Regibus, Emanuel Serra, Thadaeus de Burgomari, Andreas Novellus, & Mandellus de Mandellis, dictus Taberna, cum quibus fuerunt ex nobilibus de Hoſpitio multi de Turcis, de Cameyrano, de Burgomari, de Caſtino, de Barbenna, de Baſtita, de Barca, de Romagnanis, de Pelletis, de Coſta, de Capellis, de Montagnis, ſive de Montagnano, de Cortizanis, de Aſinariis, de Rotariis, de Campo, de Cathena, de Rota,

de

Digitized by Google

de Gardinis, de Malabayla, de Guttuariis, de Cazonis, & de pluribus aliis. De familiis de Populo fuerunt plures de Vineis, de Boetis, de Cacheranis, de Comitibus de Boſiis, de Rubeis, de Barberiis, de Aſtexanis, de Rotariis, de Botonatis, de Rabejanis, de Vettulis, de Platea, de Urſetis, de Raſpis, de Verchiellis, de Oſſis, de Maſſariis, de Genta, de Rocha, de Buſca, de Boſchetis, de Sancta Maria, de Ambroſiis, de Cillionibus, & de pluribus aliis. Stantibus ergo Imperatore, & ejus militibus Brunduſii, Federicus fingens ſe eſſe aegrotum, profectus eſt in Siciliam, ibique in otio morabatur, ſed cum mortem Landgravii Haſſiae, qui in Brunduſio mortuus fuerat, audiviſſet, feſtinanter Brunduſium profectus eſt, omnemque Landgravii ſubſtantiam diripuit; poſtea navigationem verſus Conſtantinopolim direxit, ſed non multo poſt rediit fingens ſe vi tempeſtatis dejectum; quare reverſus eſt Brunduſium. Tunc Gregorius nonus Pontifex, qui Honorio ſucceſſerat, cognita Federici fraude, excommunicationis ſententiam ab Honorio prolatam confirmavit. Tunc Federicus minis Pontificis aretatus, & precibus amicorum fatigatus navigavit in Cyprum. Interea tamen Reginaldus cum exercitu, quem Federicus reliquerat in Sicilia, adverſus Pontificem pergens, multa Caſtra in Italia circa Placentiam occupavit, & eodem tempore Alvis Dux exercitus Federici dictus Fulgineum occupavit, a qua Civitate paulo poſt fuit expulſus.

Idem refert Reverendiſſimus Simon Majolus, licet de Aſtenſibus nullam faciat mentionem, lib. imag. cent. 13. cap. 9. Marcus Antonius Majolus.

CODEX MXLV. *l.* I. 56.

Codex chartaceus, conſtans foliis 250. initio ſæculi XVI. ſcriptus, ubi primum ſermo, qui dicitur S. Ambroſii *ad Populum Mediolanenſem*, *ex Proverbiis Davidis prophetizantis* conflatus. Incipit: *Populo meus nolli emulari in malignantibus &c.*

Fol. 2. *pag.* 2. Eſt quoddam vaticinium, cujus *copia extracta ex codice antiquo* dicitur. Pone ſequitur alterum, quod *Viterbi* repertum *in antiquo libro*.

Fol. 3. Hiſtoria cujuſdam *viſionis*; quam anno MCCCLXX. habuit quidam *Eremita*, Johannes nomine. Fabulis ſcatet. In fine autem hæc addita leguntur.

Ego Frater Albertus de Ripalta Ordinis Sancti Benedicti (fortaſſe ſcriba totius Codicis) *qui hanc Epiſtolam ſeu viſionem tradidi ipſam habui a Fratre familiari antelati Fratris Johannis in anno Domini MCCCLXXXIII. in feſto exaltationis Sancte Crucis.*

Poſtea multa adjiciuntur ejuſdem omnino generis vaticinia, ad univerſam Italiam ſpectantia.

Fol. 13. Incipiunt Chronica in octo libros diſtributa, non memorato autoris nomine. Cuilibet libro præmittitur præfatio, ſi primum excipias, qui mutilus eſt initio. In fine autem cujuslibet fere libri ſubjicitur capitum elenchus. Cur autem ſub finem, non vero ab initio capitum elenchus appoſitus fuerit, hanc reddit rationem autor *Anonymus* in calce libri primi.

Explicit liber primus. Si hic prope inferius ſunt omnia capitula ipſius primi libri. & non mireris quis quis es lector ſi capitula ſunt cum debeant eſſe in principio quia ſic oportet fieri pro prima ſcriptura. Capitula ipſius primi libri ſunt CX.

Incipit igitur liber primus a Noemi nativitate, & definit anno primo conditæ Romanæ Urbis, continetque capita centum, & decem.

Fol. 25. Liber ſecundus res complectitur ubique terrarum geſtas ab Urbe condita uſque ad annum MCCXXXIII. & centum & triginta tribus capitibus conſtat. Mediolanenſis urbis in primis deſcribitur origo, & extollitur amplitudo, ejuſque primus conditor ſtatuitur Rex Beloveſus: exinde ceterarum Inſubriæ, ac totius Italiæ Urbium conditores enumerantur.

Fol. 48. *pag.* 2. Liber tertius incipit ab ortu *Chriſti Servatoris* uſque ad Philippi Auguſti Imperium, & centum viginti duobus capitibus abſolvitur.

Fol. 83. Liber quartus ducto initio a Re-

Digitized by Google

a Regno Philippi Auguſti, proſequitur per quadraginta duo capita uſque ad mortem Valentiniani I. Imperatoris.

Fol. 139. Liber quintus res geſtas narrat a Regno Gratiani uſque ad Theodoſium, conſtans capitibus centum & duodecim; quorum tamen numerus in paginarum margine notatur; unde fit, ut eorum elenchus in fine deſideretur.

Fol. 148. Liber ſextus a Regno Arcadii Imperatoris incipit, & deſinit imperio Anaſtaſii, ducentis compoſitus capitibus. Clauditur autem hiſtoria Genealogica *Vicècomitum Mediolani*, quam autor ſe reperiſſe ſcribit *in nonnullis autenticis libris, & Cronicis antiquiſſimis ſe in hoc concordantibus*. Multæ ſunt fabulæ, & anilia commenta. Nititur enim primigeniam nobiliſſimæ illius familiæ originem ab Anchiſe derivare, quem Trojanorum regem facit.

Fol. 179. Liber ſeptimus a Regno Anaſtaſii pergit uſque ad Juſtinum Imperatorem. Complectitur autem antiquorum Italiæ Regum originem, ac geſta. Capita numero centum, & ſexaginta ſeptem notantur duntaxat in margine: quare & hìc deeſt diſtinctus eorum elenchus.

Fol. 199. *pag.* 2. Denique octavus ducentis, & triginta ſeptem conflatus capitibus Longobardorum Principum hiſtoriam, & Mediolanenſis urbis, eique adjacentium Civitatum fata perſequitur ab imperio Juſtini uſque ad annum Chriſti DCXXV.

Fol. 226. Alterum ſequitur perbreve Chronicon, res Inſubriæ præſertim complectens, ducto initio ab anno Chriſti LXIV. uſque ad annum ejuſdem Chriſti MCCXVIII. Vt exſtat in Codice, ineditum enim opinamur, illud ſubjicere nobis viſum eſt.

„ In nomine Domini amen. Anno
„ Domini ſexageſimo quarto obiit Bea-
„ tus Jacobus Alfeus Apoſtolus.
„ Anno Domini LXXVIIII. Beati
„ Petrus & Paulus fuerunt decolati.
„ Anno Domini LXXI. fuit Veſ-
„ paſianus Imperator.
„ Anno Domini CCXXXVII. obiit
„ B. Urſula cum Sociabus ſuis.
„ Anno Domini CCXLVII. fuit
„ Beatus Cornelius.
„ Anno Domini CCLXXXIX. obiit
„ Beatus Mauricius cum Sociis ſuis.
„ Anno Domini CCCIIII. inventa
„ eſt Beata Crux a Beata Elena.
„ Anno Domini CCCLV. obiit B.
„ Dionyſius Archiepiſcopus Mediolani.
„ Anno Domini CCCLXXXII.
„ obiit B. Ambroſius Archiepiſcopus
„ Mediolani.
„ Anno Domini CCCCXII. obiit
„ B. Baſſianus Epiſcopus Laudenſis.
„ Anno Domini DXXX. Lamber-
„ tus Rex deſtruxit Mediolanum.
„ Anno Domini DLXV. Anglicus
„ Rex Longobardorum deſtruxit Me-
„ diolanum.
„ Anno Domini DCLXXXV. fuit
„ Beatus Beda Doctor.
„ Anno Domini DCCL. Nicolaus
„ Archiepiſcopus Mediolani fecit fieri
„ Eccleſiam Sancti Georgii in Palatio.
„ Anno Domini DCCLXXII. fuit
„ Beatus Eugenius ad S. Euſtorgium.
„ Anno Domini DCCLXXX. De-
„ ſiderius Rex fecit Monaſterium San-
„ cti Vincentii & Sancti Petri de
„ Clivate.
„ Anno Domini DCCC. Petrus Ar-
„ chiepiſcopus Mediolani conſtruxit
„ Monaſterium Sancti Ambroſii.
„ Anno Domini DCCCXXXVI.
„ hedificata fuit Eccleſia Sancti Ma-
„ jori Mediolani.
„ Anno Domini DCCCXL. Angil-
„ bertus Archiepiſcopus fecit dotare
„ Altare majus S. Ambroſii.
„ Anno Domini DCCCCLXXXI.
„ Landulfus de Carchano Archiepiſ-
„ copus Mediolani fecit fieri Eccle-
„ ſiam & Monaſterium Sancti Celſi.
„ Anno Domini M. Arnulphus de
„ Arzago Archiepiſcopus Mediolani
„ conſtruxit Monaſterium Sancti Vi-
„ ctoris.
„ Anno Domini MXXIII. Hem-
„ bertus Archiepiſcopus Mediolani con-
„ ſtru-

Digitized by Google

„ ſtruxit Monaſterium S. Dyoniſii.
„ Anno Domini MLXI. fuit bellum
„ in Campo Mortuo prope Sederanum
„ inter Mediolanum & Papienſes.
„ Anno Domini MLXX. fuit ignis
„ magnus in Caſtiliono & deſtruxit
„ Caſtrum de Abirago.
„ Anno Domini MCIII. die ſepti-
„ ma ante Kal. Aprilis fuit indictum
„ ignis Presbitori Aliprandi Sancti Pauli
„ in Compedo & expulſus Graxulanus
„ de Archiepiſcopatu.
„ Anno Domini MCXI. fuit de-
„ ſtructa Civitas Laudenſis a Medio-
„ lanenſibus.
„ Anno Domini MCXVII. fuit
„ terremotus per totam Italiam tercio
„ Januarii.
„ Anno Domini MCXXIIII. die
„ IIII. Auguſti ab igne Porte Jovis
„ arſit Eccleſia S. Laurentii.
„ Anno Domini MCXXVII. fuit
„ deſtructa Cumana a Mediolanenſi-
„ bus die... ante Kal. Septembris.
„ Anno Domini MCXXXII. fuit
„ bellum de Martinengo ubi capti
„ fuerunt Papienſes.
„ Anno Domini MCXXXV. he-
„ dificatum fuit Monaſterium Clare-
„ valis.
„ Anno Domini MCXXXIX. fuit
„ bellum de Rivoltella.
„ Anno Domini MCXLV. Guid-
„ fredus de Buſeto fecit fieri Hoſpi-
„ tale de Brolio.
„ Anno Domini MCXLVII. Con-
„ rardus Rex & Reges Francie &
„ Gulphus Dux & Amadeus Comes
„ & multa milia hominum ultra mare
„ profecti ſunt.
„ Anno Domini MCLII. Scalona
„ capta eſt a Chriſtianis.
„ Anno Domini MCLIIII. obiit
„ Beatus Bernardus.
„ Anno Domini MCLIIII. Federi-
„ cus Romanorum Rex cum Henrico
„ Duce primo intravit Lombardiam
„ undecima Kal. Novembris & venit
„ Papiam & deſtruxit Roxate & Pon-
„ tes ſupra Ticinum & Caſtra de Gal-
„ biate & de Terchate & de ... &
„ de Aſt.
„ Anno Domini MCLV. de menſe
„ Februarii Federicus Rex cepit obſi-
„ dere Terdonam ex omni radice.
„ die vigeſimo Aprilis & Arnulfus
„ combuſtus eſt. & eodem anno de
„ menſe Maii abiit Romam & factus
„ eſt Imperator coronatus ab Adriano
„ Papa & eodem anno in feſtivitate
„ Sanctorum Gervaſii & Protaxii capti
„ fuerunt Papienſes in maxima quan-
„ titate apud Sedezanam Maragalia de
„ Albiate Conſule exiſtente. Retifica-
„ ta fuit Civitas Terdone a Mediola-
„ nenſibus. in eodem anno elevatus
„ fuit ſuper Ticinum Debernate.
„ Anno Domini MCLVI. Porta Ro-
„ mana & Porta Ticinenſis obſederunt
„ & vicerunt Scabium cum Porta
„ Orientali & die 8. Junii Mediola-
„ nenſes congregato exercitu cum CC.
„ militibus Brixienſibus qui erant in
„ ſolitis expenſis Comunis Mediolani
„ obſederunt Cerradanum & illud de-
„ ſtruxerunt. hoc videntibus Papien-
„ ſibus & Novarienſibus qui ibi prope
„ erant cum tota ſua sforcia. & Me-
„ diolanenſes ceperunt Papienſes &
„ Suburbia Papie. & eodem anno de
„ menſe Julii ..... Porta Vercelina
„ Porta Cumana Porta Nova intra-
„ verunt valem de Lugano & ibi ce-
„ perunt circha XX. Caſtra. & alie
„ tres Porte fecerunt mirabile plus
„ contra Papienſes in Campis de Vi-
„ digulfis & de menſe Novembri ſe-
„ quenti alie tres Porte ceperunt hedi-
„ ficare ſupra Pontem Ticinum inter
„ Abiate & Caſolio. & alie tres Porte
„ per totum hyemem & Quadrageſimam
„ pulcherrimum portum compleverunt.
„ Anno Domini MCLVII. de menſe
„ Junii Mediolanenſes cum CC. mil-
„ litibus Brixienſibus ſupraſcriptis ive-
„ runt ultra Ticinum & tunc Papien-
„ ſes per Comune millites & peditos
„ & Marchio Montisferrati & Obixo
„ Malaſpina & alii ſeptem inter Co-
„ mites & Marchiones intraverunt Vi-

gleva-

Digitized by Google

„ glevanum & tunc captum fuit & „ deſtructum Gambolatum & rehedificatum fuit Caſtrum de Lomello „ per Mediolanenſes & captum fuit „ Viglevanum & fere omnes Papienſes in Viglevano.

„ Anno Domini MCLVIII. Imperator Federicus cum Rege Boemie „ ut leo pugnans ſecundo totam Italiam devaſtavit cum innumerabili „ exercitu & venit in Branchuntidem „ & invento guado ſubtus Cornalianum tranſivit Abduam & cepit Tricium & venit Melegnanum. & inceptum fuit prelium maximum cum „ Mediolanenſibus & fugando eos duravit prelium uſque ad Portam Romanam. & poſtea de menſe Auguſti dictus Imperator congregavit „ magnum exercitum de Parma de „ Cremona de Papia de Novaria. de „ Vercellis de Aſt. de Cumis de Bergamo de Blandrate de Bergolio Gamandi de Marengo de Vicentia de „ Treviſio de Padua de Verona Ferraria de Ravena de Bononia de Regio & de Mutina de Brixia & de „ multis aliis Civitatibus Tuſſie & Pagomonibus & Comitibus & Marchionibus tocius Lombardie & poſuit naſſilia ſua & Caſtra in Brolio Mediolani & vicerunt Archum Romanum & nona die menſis Septembris rediderunt ſe & Civitatem Domino Imperatori & fecit pactum cum „ eis & in Monteferrato & poſtea Bononiam. & in MCLVIIII. apud Bononiam ſupraſcriptam predictus Imperator bannivit Mediolanum & tunc „ Mediolanenſes ceperunt Ticinum & „ Imperator inde doluit & venit Laude. de menſe Julii cepit obſidere „ Cremam.

„ Anno Domini MCLX. die III. „ Januarii capta fuit Crema a Domino Imperatore & deſtructa. & de „ medio menſe Maii proxime ſequente fecit Imperator mirabile guaſtum „ de arboribus & blavis circha Civitatem Mediolani per Martexanam & „ Seprium. & de menſe Auguſti proximе ſequenti Mediolanenſes cum „ parvis millitibus Brixienſibus miſerunt in fugam dictum Imperatorem „ uſque ad Carchanum & multi fuerunt capti ex Tehotonicis & Lumbardis a Mediolanenſibus. & tunc „ ortus fuit ingens ignis in Porta Romana & fere media Civitas comburſit & victualia & eodem anno „ menſe Auguſti inceptum eſt ad ratificandum Laude.

„ Anno Domini MCLXXVIIII. „ Alexander Papa celebravit maximum „ Conſilium de univerſo Mundo. & „ eodem anno de menſe Auguſti Mediolanenſes ceperunt navigium de „ Gazano.

„ Anno Domini MCLXXXIII. de „ menſe Junii facta fuit pax inter „ Imperatorem Federicum & Lumbardos apud Conſtanciam. Ibique omnes Lumbardi exceptis Mediolanenſibus Regalia refutaverunt. & die „ XII. ante Kal. Octobris Federicus „ Imperator intravit Mediolanum.

„ Anno Domini MCLXXXVI. de „ menſe Januarii facte fuerunt nuptie „ Domini Henrici Regis filii Domini „ Imperatoris Federici in Civitate Mediolani ad Sanctum Ambroſium tempore Domini Uberti de Vicecomitibus de Placentia Poteſtatis Mediolani & fuit primus Poteſtas Mediolani. & de menſe Maii proxime „ ſequenti fuit deſtructum Caſtrum „ Manfredi cum Domino Federico Imperatore a paucis Mediolanenſibus.

„ Anno Domini MCLXXXVII. „ fuit prima Conſularia Mediolani. „ MCLXXXXII. fuit quinta Conſularia. & de menſe Julii fuerunt conflicti Cremonenſes & Pergamenſes „ & necati in flumine Oloy ad Cividale per Mediolanenſes & Brixienſes „ tempore Domini Rodulfi de conſenſu Domini Poteſtatis Mediolani.

„ Anno Domini MCLXXXXIII. „ fuit factus exercitus Foſſati de Laude tempore Domini Bonepacis Fale „ de

Digitized by Google

„ de Brixia Poteſtatis Mediolani. & „ tunc Mediolanenſes Cremonenſes „ Laudenſes & Papienſes capti fue- „ runt. & eodem anno factus fuit „ exercitus de Inſula Brembana. & „ tunc exiſtentes Mediolanenſes in illo „ exercitu Papienſes & Laudenſes ex- „ pugnaverunt Caſtrum de Cogozo „ & ibi damnum magnum ſuſtinue- „ runt. & eodem anno factus fuit „ exercitus de Civitate per Portam „ Romanam & Portam Ticinenſem & „ tunc factus fuit Stercius de Arebie.

„ Anno Domini MCLXXXXIIII. „ fuit ſexta Conſularia Mediolani. & „ ipſo anno Henricus Imperator fuit „ in Apuliam & illo anno habuit fi- „ lium unum nomine Federicum. & „ ipſo anno iverunt pedites Porte Ver- „ celine in ſervicio Ravenenſium de „ Palazolla.

„ Anno Domini MCLXXXXV. „ fuit ſeptima Conſularia & ipſo an- „ no factus fuit Scrutinenſis de Al- „ bara cum Cremonenſibus.

„ Anno Domini MCLXXXXVI. „ octava Conſularia. & ipſo anno fa- „ cta fuit pax B. C. per Tatecinum „ Maynerium & Johannem Ruſcham „ & Conradum Judicem & milites Do- „ minorum Mediolanenſium iverunt „ in ſerviciis Vercellenſium contra Ca- „ ſale Sancti Evaſii.

Anno Domini MCCIII. Sachus de Sa- „ chis de Laude fuit Poteſtas Mediolani „ & dimiſit Mediolanum ſine regimine „ & illi de Credentia fecerunt Poteſta- „ tem tantum de Mediolano Domini- „ cum de Burſis Dyoniſium Cribellum „ Elderandum de Canenſiis & Manfre- „ dum de Oxiis. & eodem anno fuit „ inceptum Palacium novum de Biole- „ to veteri. & tunc incepit diſcordia „ inter Credentiam & Galliardos.

„ Anno Domini MCCIIII. Guillielm- „ mus de Puſterla fuit Poteſtas Me- „ diolani & Olderadus Canenſius & „ Galliardi exiverunt de Civitate Me- „ diolani pro ſupraſcripta diſcordia.

„ Anno Domini MCCV. fuit XII. „ Conſularia Mediolani. & Galliardi „ fecerunt in prelio Mediolani.

„ Anno Domini MCCVI. Ubertus „ Vicecomes de Placentia fuit Pote- „ ſtas Mediolani. & illo anno incep- „ tus fuit Ordo Fratrum Minorum.

„ Anno Domini MCCVIII. Domi- „ nus Lambertinus de Bonardis de „ Bononia fuit Poteſtas Mediolani. & „ anno MCCVIIII. fuit Poteſtas Me- „ diolani Albertus Henricus de Fontaria „ de Placentia. & tunc proxime ſequenti „ Ubertus nunc de Placentia fuit Pote- „ ſtas Mediolani. & tunc Otto Imperator „ tor venit Mediolanum. & anno pro- „ xime ſequenti Gullielmus de Lando „ de Placentia fuit Poteſtas Mediolani.

„ Anno Domini MCCXII. fuerunt „ Poteſtates Mediolani duodecim mil- „ lites Juſticie. & de menſe Julii ad „ Montem Marum multi Papienſes „ capti fuerunt. & Rugerius Federi- „ cus in Lambro blaneavit ſerabulum.

„ Anno Domini MCCXIII. Domi- „ nus Manfredus de Buſnate & Otto „ de Mandello & Ardegotus Marceli- „ nus & Buſnardus Inchoardus fuerunt „ Poteſtates Mediolani. die ſecundo „ Junii fuit bellum de Caſtroleone.

„ Anno Domini MCCXV. Domi- „ nus Bruſius de Novaria fuit Pote- „ ſtas Mediolani. & ipſo anno Me- „ diolanenſes tranſierunt Ticinum in „ Lomelinam & deſtruxerunt Garlaſ- „ cum. & illo anno captum fuit Ca- „ ſale Sancti Evaſii.

„ Anno Domini MCCXVI. Jacobus „ Malvaria de Placentia fuit Poteſtas „ Mediolani. In illo anno Mediola- „ nenſes tranſierunt Padum & deſtru- „ xerunt terram de la Guarda & Mon- „ tem Calvum.

„ Anno Domini MCCXVII. An- „ deloc de Bononia fuit Poteſtas Me- „ diolani & fuit bellum de Zenovol- „ ta. & eodem anno confirmatus fuit „ Ordo Fratrum Predicatorum ab Ho- „ norio Papa quarto.

„ Anno Domini MCCXVIII. Amos „ Sachus de Laude fuit Poteſtas Me- „ dio-

Digitized by Google

„ diolani. & factum fuit bellum in „ Gibellis. Otto Imperator & Federi- „ cus Rogerius fuerunt coronati.

Fol. 230. Multa ſpeciatim adduntur de origine, & dignitate *Comitum Angleriæ*, nec non de eorundem ruina, quam Imperante Federico Ænobarbo in Urbis Mediolanenſis excidio paſſi ſunt.

Fol. 231. recenſentur viri Mediolanenſes, qui partes Federici ſequuti ſunt, & in patriæ excidium, & ſuorum civium cladem conſpiraverant.

Fol. eodem *pag.* 2. numerantur *Curie Regales, & Plebes* agri Mediolanenſis.

Fol. 232. Subjicitur fragmentum Chronici ab anno MCLXII. uſque ad annum MCCII. quo res pariter ad Inſubriam pertinentes continentur: & hujuſmodi eſt.

„ Anno Domini MCLXII. die pri- „ ma Marcii Mediolanenſes rediderunt „ ſe ad Civitatem Domino Imperatori „ in Laude, & poſuit Mediolanenſes „ in Burgis, & deſtruxit Civitatem „ Mediolani anno Domini MCLXIII. „ de menſe Octobri. Item Federicus „ Imperator intravit Lumbardiam' an- „ no Domini MCLXIIII. de menſe „ Januarii incepit Imperator edificare „ Civitatem unam apud Sanctum Co- „ lumbanum. Eodem hyeme Cremo- „ nenſes, Veneciani, & Marchexani ju- „ raverunt ſimul & facti ſunt inimici „ Imperatoris. De menſe Junii proxime „ ſequenti Imperator cum exercitu ſuo „ perexit ad partes illas Marchie, & „ Verone, & inde cum obprobrio re- „ diit; & ipſo anno Archiepiſcopus „ Colonienſis portare fecit Coloniam „ corpora trium Magorum, qui Magi „ erant in Eccleſia Sancti Euſtorgii. „ & de menſe Novembri proxime ſe- „ quenti Dominus Imperator fuit ultra „ Montes.

„ Anno Domini MCLXVII. de „ menſe Novembris Imperator Federi- „ cus quando intravit Lumbardiam & „ venit Brixiam devaſtavit blada, & „ arbores Brixie, & Pergami uſque ad „ Montes; & deinde abiit Romam „ cum exercitu, & comburſit porti- „ cum & alam Sancti Petri, & obſe- „ dit Romam multorum ab utraque „ parte nec accepta, tamen acceptis „ idem obſidibus ſeceſſit, & iterum „ Lumbardi ſe invicem juramento ſi- „ mul pacti ſunt, & Imperator Pa- „ piam regreſſit, & conatus eſt ſol- „ vere juramenta, & pacta Lumbar- „ dorum; & cum hoc facere nequi- „ verit in Almaniam receptus eſt.

„ Anno Domini MCLXVII. venit „ Imperator Bononiam, & fecit guaſtum „ circha uſque ad Civitatem, & tunc „ cecidit magna nix in Lumbardia, „ que fuit alta brachia duo. & eo- „ dem anno die V. Kal. Maii Medio- „ lanenſes intraverunt ſuam Civitatem „ cum auxilio Brixienſium, Pergamen- „ ſium, & Cremonenſium, & de men- „ ſe Septembri proxime venit Impe- „ rator Federicus a Roma Papiam, „ & comburſit Roxate, & alia multa „ loca uſque ad Cornaledum.

„ Anno Domini MCLXVIII. de „ menſe Marcii Imperator Federicus „ fecit ſuſpendere filium de Bando „ obſidem Brixie apud Sanſam, dolo- „ re quia Mediolanenſes, Brixienſes, „ Laudenſes, Novarienſes, & Vercel- „ lenſes obſidebant Blandrate; & inde „ abiit in Almaniam. eodem menſe per „ Placentinos, & Parmenſes & Obizo „ Malaſpina introduxerunt Tertonen- „ ſes in ſuam Civitatem, & Soprienſes „ juraverunt ſtare mandatis Domini „ Galdini, & Conſulum Mediolani.

„ Anno Domini MCLXXIV. de „ menſe Octobris Federicus Imperator „ quintum intravit Lumbardiam, & „ comburſit Sanſam, poſtea venit ad „ Civitatem Albenſem, & ſe eidem „ rediderunt: & de eodem menſe ce- „ pit obſidere Alexandriam, & ſtetit „ circha eam uſque ad Marcium, & „ tunc Mediolanenſes cum Trivixio, „ Padua, Verona, Vicentia, Brixia, „ Mantua, Pergamo, Parma, Regio, „ Mutina, Placentia, Ferraria, No-

Digitized by Google

„ varia, & Vercellis moverunt ſe ad „ ſuccurrendum Alexandriam. & facta „ fuit pax cum Imperatore in anno „ MCLXXV.

„ Anno Domini MCLXXVI. de „ menſe Aprilis obiit Beatus Galdinus „ Archiepiſcopus Mediolani. Eodem „ anno facta fuit Eccleſia de Vico- „ boldono, & eodem anno & menſe „ Junii diſconfatus fuit Imperator Fe- „ dericus ad Lignanum a Mediola- „ nenſibus.

„ Anno Domini MCLXXVIII. fuit „ maximum diluvium, & Henricus „ filius Imperatoris Federici factus eſt „ Rex, & facta fuit pax inter Pa- „ piam, Alexandriam, & Imperato- „ rem Federicum apud Venecias, & „ treugam fecit cum Lumbardis, & „ illo anno fuit maxima penuria pa- „ nis.

„ Anno Domini MCLXXXXVIII. „ fuit decima Conſularia, & facta fuit „ Credentia Sancti Ambroſii, & rupta „ de Vercellis, & de Salugia, & fa- „ cta fuit pax de Laude; & de menſe „ Septembris proxime fuit tractatus fo- „ ris Carrocenus ad eundum ad Bur- „ gum, & ſtetit in Arengo uſque de „ menſe Maii proxime ſequenti, & „ tunc factus fuit exercitus de Burgo: „ & ipſo anno iverunt quatuor Pote- „ ſtates cum Comitatu de Inſula Brem- „ bana, & deſtruxerunt Gyſalbam „ tempore Joannis Ruſche Poteſtatis „ Mediolani. & Porta Romana, & „ Porta Cumana iverunt ad Brigam: „ & eodem anno Romana Porta, Ti- „ cinenſis, & Porta Orientalis iverunt „ ad Caſtrum novum de Bucha de „ Abdua cum magno exercitu cum „ Placentinis, & capti fuerunt Perga- „ menſes ad Zilinum Oriſii.

„ Anno Domini MCC. factus fuit „ exercitus de Beſate, & capta terra, „ ſive Turris. Mediolanenſes, & Bri- „ xienſes obſederunt Cremonenſes in „ Sonzino. Tempore Gozii de Gam- „ bara de Brixia Poteſtatis Mediolani „ Porta Ticina, Porta Vercellina, „ Porta Cumana, & Porta Nova, & „ alie tres Porte fecerunt ſcrutineum „ Roxate cum Papienſibus, & cepe- „ runt multos de Mediolano, & tunc „ capti fuerunt multi de Placentinis „ ad Sanctum Andream.

„ Anno Domini MCCI. obſeſſum, „ & victum fuit Viglevanum ſimul „ & Caſtrum, & inceptus fuit pons „ de Viglevano & tunc facta fuit ſo- „ cietas de Galiardis tempore domi- „ norum Alberti de Mandello, & „ Drudonis Marcellini, & Raimundi „ Cotte Poteſtatis Mediolani: & tunc „ capti fuerunt Papienſes .... & ipſo „ anno facta fuit pax inter Mediola- „ nenſes, & Papienſes; & in ipſo an- „ no juraverunt Porta Romana, & „ Porta Ticinenſis in ſervicio Nova- „ rienſium.

„ Anno Domini MCCII. fuit un- „ decima Conſularia Mediolani, & „ Mediolanenſes juraverunt ſimul cum „ ſuis Carrocenis ſupra Pergamum.

Fol. 234. Ritus traduntur, quibus olim Imperatores Mediolani *Corona ferrea* inaugurabantur.

Fol. 236. Iterum hiſtoria everſionis Urbis Mediolani, imperante Federico Ænobarbo, præfixo titulo, *de deſtructione Mediolani*, ubi acerba Mediolanenſium fortuna accuratiſſime deſcribitur.

Fol. eodem. *pag.* 2. Sunt aliquot Imperatoris Federici Ænobarbi editæ Mediolani ſanctiones, *de Cathaneis*, *de Vanaſſoribus*, *de Pedagiis*, *de Clericis*, *de Poena facta pro vulneratis*: & ratio traditur, qua milites deligi, & ſcribi deberent; poſt quæ varia cruciatuum, & probrorum genera narrantur, quæ Mediolanenſes perferre ſub Imperio dicti Imperatoris coacti fuerant, hoc titulo, *de onta Comunis Mediolani per Teotonicos*.

Fol. 241. Exemplar literarum ad Carolum V. de pugna Gallos inter, & Hiſpanos, atque Anglos, & de parta ab iſtis victoria. Scriptæ dicuntur die XXV. Septembris, anno 1513.

Fol.

Digitized by Google

Fol. 243. Series Genealogica Comitum Angleriæ, de quibus ſupra *fol.* 230.

Fol. 248. Eſt quoddam vaticinium, quod anno 1440. *a quadam vetuſtiſſima Scriptura extractum* dicitur.

Fol. denique eodem *pag.* 2. Ratio inveniendi Paſchatis.

CODEX MXLVI. *l.* I. 60.

Membranaceus, ſæculi XV. conſtat foliis 15. Habentur in eo *Anonymi* autoris *Vaticinia* de *Summis Pontificibus*, cum eorundem iconibus ſatis affabre pictis. Incipiunt autem a NICOLAO III. & deſinunt in PAULLO II.

CODEX MXLVII. *l.* I. 67.

Membranaceus, conſtans foliis 98. ſæculi XV. in quo JOHANNIS BOCCACII DE CERTALDO *ad Dominam Alteville Comitiſſam de Claris mulieribus liber.*

CODEX MXLVIII. *l.* I. 68.

Membranaceus, cui folia 19. ſæculi XV. ob pictas auro ſplendentiſſimo effigies elegantiſſimus, & Regio præterea *Galliarum* Stemmate condecoratus, inſcribitur, *de laudibus Francie, & de ipſius Regum regimine.* Codex ipſius autoris manu, cujus nomen nullibi apparet, ſcriptus fuiſſe dicitur anno 1454.

Initio hæc leguntur.

Hoc opus de laudibus Regum Franciae eſt mei Franciſci de Sabaudia.

CODEX MXLIX. *l.* I. 76.

Membranaceus, habens folia 91. ſæculi XVI. in quo primum ANDREÆ FIOCHI *Florentini de Poteſtatibus Romanis libri duo.*

Fol. 52. RUFFI SEXTI *viri Conſularis Rerum geſtarum liber.*

Fol. 64. CAII PLINII *de viris illuſtribus.*

CODEX ML. *l.* I. 89.

Membranaceus, conſtans foliis 146. ſæculi XV. in quo GALEOTI MARTII *Narnienſis Tractatus de Incognitis vulgo, ad Matthiam Hungariae Regem* ſcriptus, & tribus libris comprehenſus. Multæ in eo Theologicæ quæſtiones diſputantur.

In margine *folii* primi ſive librarius, ſive quiſpiam alius ſuggillat autorem tamquam praviſſimum hæreticum. Vide, quae de eo narrat Voſſius in libro de *Hiſtor. Lat.* pag. 659. Albertus autem Fabricius in *Biblioth. Med. & Inf. Lat.* Tom. III. pag. 14. narrat, hos *Galeoti* libros Oporino, qui typis edere voluerat, ſurreptos fuiſſe, & in *Bibliothecam Regis Galliæ* translatos.

CODEX MLI. *l.* I. 93.

Chartaceus, conſtans foliis 244. ſæculi XV. varia primum habentur ſine autoris nomine vaticinia, potiſſimum de PONTIFICIBUS, fabuloſis adaucta commentis, & inconcinnis, foedisque imaginibus.

Deinde *fol.* 215. Epiſtola R. SAMUELIS ad R. Iſaacum Arabice ſcripta, & ab ALPHONSO BONOHOMINE in Latinum ſermonem converſa, de qua praeter Eccardum conſulendus eſt Colomeſius in Hiſpania Orientali pag. 209. tum Bartoloccius, & Wolfius in Bibliothecis *Rabbinica*, & *Hebræa*.

CODEX MLII. *l.* I. 94.

Chartaceus, conſtans foliis 41. ſæculi XVII. mutilus fine, & rudiori ſcriptus calamo, opuſculum continet DOMINICI CYLLENII *de Divino Cultu*, multiplici comprehenſum dialogo THEOPHILUM inter, & CYLLENIUM.

CODEX MLIII. *l.* II. 4.

Membranaceus, conſtans foliis 99. ſæculi XV. Sunt SUETONII XII. *Cæſa-*

rum

Digitized by Google

rum Vitæ, adiectis in margine adnotationibus, rubro colore delineatis.

CODEX MLIV. *l.* II. 6.

Membranaceus, conſtans foliis 56. ſæculi XV. in quo SALLUSTII *Bellum Catilinarium*.

CODEX MLV. *l.* II. 8.

Chartaceus, habens folia 105. ſæculi XV. in quo ejuſdem SALLUSTII *Bellum Catilinarium & Jugurtinum*.

In fine.

Explicit 1446.

CODEX MLVI. *l.* II. 9.

Membranaceus, conſtans foliis 211. ſæculi XV. JUSTINI complectitur hiſtorias.

CODEX MLVII. *l.* II. 11.

Membranaceus, conſtans foliis 74. ſæculi XV. Eſt LUCII FLORI *Epitome*, addito in fine hoc Elogio.

Nemo verius
Nemo brevius
Nemo ornatius ſcripſit.

CODEX MLVIII. *l.* II. 12.

Membranaceus, habens folia 151. ſæculi XV. in quo QUINTI CURTII de *vita, & geſtis* ALEXANDRI MAGNI.

CODEX MLIX. *l.* II. 13.

Membranaceus, conſtans foliis 94. ſæculi XIV. EUTROPII hiſtoriam complectitur. Literæ initiales auro, varioque colore delineatæ ſunt, & frequentiſſimæ in margine adnotationes.

In fine autem appendicis loco explicantur notæ compendiariæ, quæ in Romana hiſtoria paſſim occurrunt.

Deinde *& ſic eſt finis in die Sancte Lucie MCCCLVI.*

CODEX MLX. *l.* II. 14.

Membranaceus, conſtans foliis 97. ſæculi XV. in quo DICTIS CRETENSIS de *Bello Trojano* hiſtoria translata per SEPTIMIUM.

CODEX MLXI. *l.* III. 6.

Membranaceus, ſæculi XIII. habet folia 27. Sunt perbreves Tabulæ Chronologicæ ab ignoto autore compoſitae, a temporibus HONORII, & THEODOSII Imperatorum uſque ad PHILIPPUM Galliarum Regem, ſive ad annum MCCLXXV.

Fol. 22. Tabula chronologica *Pontificum, Patriarcharum, Imperatorum, ac Principum.*

Fol. 25. *Hiſtoria Machabeorum, & Herodis primi Regis Judæorum.*

Fol. 26. *pag.* 2. Tabula Chronologica ſex priorum Conciliorum, quæ *Oecumenica* vocantur.

Fol. eodem. Genealogia Regum Franciæ uſque ad PHILIPPUM, ſive uſque ad annum MCCLXXV.

Fol. 27. Series Chronologica *Regum Longobardorum.*

CODEX MLXII. *l.* III. 32.

Chartaceus, conſtans foliis 151. ſæculi XV. in quo RABI MOYSIS *Kabbala*.

CODEX MLXIII. *l.* III. 48.

Membranaceus, habens folia 62. ſæculi XV. in quo SEVERINI BOETII *de Muſica*.

CODEX MLXIV. *l.* IV. 15.

Chartaceus, conſtans foliis 136. ſæculi XV. in quo LAMPI BIRAGI *Strategicon adverſus Turcos ad Nicolaum V. Pontificem Maximum*. MS. adſervari Venetiis inter libros *Cardinalis Beſſarionis*, ſcribit Albertus Fabricius *Bibl. Med.*

Digitized by Google

Med. & Inf. Lat. Tom. IV. pag. 720. & quidem exſtat in *Bibliotheca MSS. Codd. D. Marci* nuper edita *pag.* 174.

CODEX MLXV. *l.* IV. 25.

Membranaceus, conſtans foliis 350. ſæculi XIV. Eſt opus RAYMUNDI LULLI inſcriptum *de Voluntate*.

In fine.

Finivit Raymundus librum voluntatis in Monte Peſulano menſe Januarii anno MCCIII.

Fol. 17. Tractatus Moralis *de Arte amativa* lingua antiqua Provinciali ſcriptus, cujus initium: *Deus molt glorios font e naxença de tota vera amor en ta virtut gracia e benedictio comence eſta art amativa de ben amar &c.* Deeſt nomen autoris, & in fine: *Anno Domini MCCXC.*

Fol. 200. Latina vocabula alphabeti ordine digeſta, & vernacula lingua Provinciali definita, atque explicata, ut ab his intelligi poſſint, qui Latine neſciunt.

Fol. 205. RAYMUNDI LULLI *liber de memoria*, ſcriptus anno MCCCIII. uti notatur *fol.* 226.

Fol. 227. Idem *de memoria* liber in Linguam Provincialem antiquam converſus, & fuſo commentario explanatus a BERNARDO GAVI *diſcipulo Magiſtri Raymundi Lulli*, ut dicitur in margine ejuſdem *folii* 227.

In fine locus, & annus pariter notatur, quo opus abſolutum fuit, ſcilicet *Valentiæ in Delphinatu anno* MCCCXXXVIII. *menſe Aprili*.

Fol. 261. Tractatus alter *de Arte memorativa ſecundum Tulium*.

Fol. 266. Ejuſdem tractatus *de Arte memorativa expoſitio* lingua veteri Provinciali FRATRIS ANTONII CANALS *Ordinis Prædicatorum*.

Quamplurima narrat de hoc *Scriptore Jacobita* Eccardus Tom. I. pag. 707. Omiſit tamen ejus expoſitionem *Artis memorativæ Raymundi Lulli*.

Fol. 276. Tractatus *de Anima Rationali*, cujus initium: *Quoniam anima rationalis eſt ſubſtantia inviſibilis &c.* ad cujus calcem hæc leguntur.

Finitus fuit liber iſte Roma Civitate anno 1294.

Fol. 339. RAYMUNDI LULLI vita, & *de ejus converſione ad poenitentiam*, quæ dicitur edita *ipſius Raymundi conſenſu ad inſtanciam amicorum*. Incipit: *Raymundus Seneſcalcus Regis Majoricarum dum juvenis adhuc in vanis cantillenis ſeu carminibus componendis &c.*

CODEX MLXVI. *l.* IV. 26.

Membranaceus, conſtans foliis 102. ſæculi XIV. Eſt primum *Chronologia* ab incerto Scriptore concinnata rerum memorabilium a SATURNO & JANO *Latinis Regibus* uſque ad annum MCCXLIII.

Fol. 10. Nonnulla habentur de *variorum Populorum* & *Sectarum* indole, & ratione.

Fol. 11. *Liber de factis Tartarorum a quodam* FRATRE MINORE *compoſitus qui longo tempore fuit inter eos*. Incipit: *volentes facta deſcribere Tartarorum &c.*

Non eſt confundendus MINORITA hic Scriptor cum JOANNE DE PLANO CARPINI, apud Wadingum *pag.* 221. qui *Tartarorum* hiſtoriam pariter ſcripſit, addita epiſtola, quæ incipit: *Cum ex mandato Sedis Apoſtolicae &c.*

Fol. 16. De *Saracenis*, eorumque moribus.

Fol. 19. XLIII. Miracula narrantur B. M. VIRGINIS.

Fol. 35. Iterum miracula narrantur B. M. VIRGINIS, ex dialogis excerpta *S. Gregorii Papæ*.

Fol. 46. Commentarius in *Evangelium S.* MATTHÆI, tacito autoris nomine, cujus initium: *Mattheus ut diximus Nativitatem Domini ſecundum carnem enarravit &c.*

CODEX MLXVII. *l.* IV. 27.

Chartaceus, ſæculi XV. conſtans foliis 233. Habetur primum BOETHII *Opus*

Digitized by Google

Opus de Conſolatione Philoſophiae, cum prolixo incerti autoris commentario.

Fol. 111. *Libri Moralium* ARISTOTELIS ex Arabico ſermone in Latinum translati a quodam PHILIPPO, & GUIDONI DE VALENTIA *Civitatis Metrapoleos Pontifici* dicati, ut ex præmiſſa epiſtola colligitur.

Fol. 173. CATONIS *Sententiae, & diſticha*, cum adnotationibus.

Folio autem primo codicis hæc leguntur.

Iſte liber eſt Petri de Vercelleſia de Clavaſio filii quondam magiſtri Honofrii Scholarum profeſſoris & nepotis Johannis dela Valle quem conceſſit dono Nicolao Clavaſienſi fratri ſuo Canonico Regulari Congregationis Lateranenſis in Sancto Andrea de Vercellis commoranti anno MCCCCLXXXIII.

CODEX MLXVIII. *l.* IV. 35.

Membranaceus, habens folia 54. ſæculi XIV. in quo tractatus *de Sanitate conſervanda ſecundum Philoſophorum ac medicorum ſententiam*, a quodam JACOBO compilatus, & JACOBO DE SABAUDIA ACHAJÆ Principi inſcriptus.

Autor *Pedemontanus* eſt, & quidem Medicus, ut colligitur ex præfatione; quem propterea miramur, prætermiſſum fuiſſe a Roſſotto in *ſyllabo Scriptorum Pedemontanorum*. Prima initialis litera exprimit perbelle ipſum *Jacobum* ſcribentem.

CODEX MLXIX. *l.* IV. 36.

Membranaceus, conſtans foliis 47. ſæculi XIII. Sunt primo loco HIPPOCRATIS *Aphoriſmi*.

Fol. 15. ejuſdem *Prognoſtica*.

Fol. 29. Tractatus *de Urinis*, autore THEOPHILO.

Fol. 36. PHILARETI *liber de Pulſibus*.

Fol. 38. HIPPOCRATIS *de Regimine acutorum*.

Sunt paſſim adnotationes textui interjectæ.

CODEX MLXX. *l.* IV. 37.

Membranaceus, conſtans foliis 37. ſæculi XV. continet tabulas quaſdam *Grammaticæ, Rhetoricæ, Arithmeticæ, Logicæ, & Medicinæ*, vocibus Græcis, & Hebræis aliquando interpolatas, tacito tamen autoris nomine.

CODEX MLXXI. *l.* V. 2.

Membranaceus, cui folia 259. ſæculi XV. Habentur in eo M. TULII *Orationes*.

Ex epigraphe, quæ legitur ab initio, & ex picto ſtemmate pertinebat Codex ad *Cardinalem S. Clementis a Ruvere*.

CODEX MLXXII. *l.* V. 3.

Membranaceus, conſtans foliis 352. ſæculi XV. characteris elegantia, & aureis literis initialibus præſtantiſſimus, *Orationes* complectitur M. TULLII CICERONIS *Philippicas*, & *Verrinas*.

CODEX MLXXIII. *l.* V. 6.

Chartaceus, conſtans foliis 138. ſæculi XVI. in quo M. TULLII CICERONIS *de Officiis libri*, cum quibuſdam adnotationibus *interlinearibus*, fortaſſe in ſcribentis uſum.

CODEX MLXXIV. *l.* VI. 20.

Membranaceus, cui folia 268. ſæculi XV. miræ elegantiæ, *libros* continet CAJI JULII CÆSARIS *Commentariorum de Bello Civili*.

In fine.

Magiſter Petrus de Pingone de Chamberiaco ſcribi faciebat Taurini ſtudens anno Domini MCCCXCVII.

In-

Digitized by Google

In-Octavo.

CODEX MLXXV. *d.* I. 1.

Membranaceus, conſtans foliis 634. ſæculi XIV. Continet omnes *Scripturæ* libros.

In fine addita eſt interpretatio Hebræorum nominum.

CODEX MLXXVI. *d.* I. 2.

Membranaceus, conſtans foliis 268. ſæculi XIV. eſt PSALTERIUM DAVIDIS.

CODEX MLXXVII. *d.* I. 8.

Membranaceus, habens folia 121. ſæculi XII. mutilus initio, & fine, eſt *Anonymi* interpretis expoſitio multorum *Veteris, & Novi Teſtamenti* librorum, qui hoc ordine diſpoſiti ſunt; *Pentateuchus, libri Joſuæ, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Pſalmorum, Cantici Canticorum, Sapientiae, Eccleſiaſtici, Eſdrae, Macchabaeorum, Iſaiae, Ezechielis, Danielis, &* XII. *Prophetarum minorum*. Sequuntur *Quatuor Evangelia, Actus Apoſtolorum, Epiſtolae S. Paulli ad Romanos, & Galatas*.

Cum deficiant prima codicis folia, expoſitionis ſpecimen ſumimus ab initio LEVITICI: *Vajecra Hebraice. Leviticì Grece. Miniſteriali Latine. quia miniſteria Sacerdotum in eo deſcripta ſunt &c.*

CODEX MLXXVIII. *d.* I. 10.

Membranaceus, conſtans foliis 77. ſæculi XIII. ubi *Evangelium* S. MARCI cum *Gloſſa*, ex *S. Hieronymo*, & *Beda* ut plurimum conflata.

CODEX MLXXIX. *d.* I. 14.

Membranaceus, ſæculi XIV. conſtat foliis 135. Habentur in eo *Diſtinctiones in Pſalmos* ſine autoris nomine, quarum initium: *Facies mihi tentorium in introitu Tabernaculi &c.*

CODEX MLXXX. *d.* I. 15.

Membranaceus, ſæculi XV. cui folia 28. ubi expoſitio *Pſalmorum cum eorum virtutibus*, BONÆ MARIÆ, & JOHANNI GALEATIO *ejus filio* dicata: *Illuſtriſſimis Excellentiſſimiſque Principibus Bone Marie & Johanni Galeatio Marie Sforzie Vicecomiti filio Ducibus Mediolani in Chriſto Jeſu ſalutem dicit ſervorum unus Jeſu Chriſti Ordinis Predicatorum liberalium artium & Sacrarum litterarum Profeſſor Mediolanenſis*.

Hic Interpres *Anonymus* ex Ordine Prædicatorum, *liberalium artium, & ſacrarum literarum profeſſor*, idem fortaſſis eſt, qui apud Eccardum floruit ſub finem ſæculi XV. vel ſub initium ſæculi XVI. quique brevem in *Pſalmos* edidit commentarium: alioquin Eccardus Scriptorem ſui Ordinis omiſit.

Hæc *Pſalmorum* expoſitio publici juris primum facta eſt Taurini *per Magiſtrum Nicolaum de Benedictis anno Domini MDXVII. die XIII. menſis Septembris*: aſt ibi deſideratur præfatio, quæ in MS. Codice præit expoſitioni, & incipit: *Dum die quodam in corona honeſtorum virorum adeſſem dulcemque ac gravem de Pſalmis David divi cantoris Spiritus Sancti ſermonem incidiſſem rogaverunt me clariſſimi Cives &c.*

CODEX MLXXXI. *d.* I. 16.

Partim membranaceus, partim chartaceus, conſtans foliis 144. ſæculi XV. mutilus principio, in quo PETRI ALPHONSI *de Adventu Meſſiae* dialogorum libri XII. cum Moyſe Judæo, quo nomine autor ipſe ante Baptiſmum vocabatur.

Fol. 61. Epiſtola RABBINI SAMUELIS *ad Rabbinum Iſaacum de vana Meſſiae apud Judaeos expectatione*. De hac epiſtola alibi fuit ſermo tum in Hebræis, tum in Græcis, tum in Latinis codicibus.

Digitized by Google

Fol. 134. Sequitur opuſculum, cui titulus: *Queſtio contra Judeos facta tempore Beati Silveſtri & Conſtantini Imperatoris*. Hujus quæſtionis exemplar MS. exſtare etiam in Bibliothecis Cantabrigienſi & Pariſienſi, teſtatur Albertus Fabricius *Biblioth. Med. & Inf. Lat.* Tom. VI. pag. 519. eamdemque pluries editam fuiſſe, præſertim apud Surium die XXXI. *Decembris*, addita præfatione Georgii Wicelii.

CODEX MLXXXII. *d.* I. 19.

Membranaceus, conſtans foliis 402. ſæculi XIV. in quo Sermones *pro diebus feſtis*, ſine autoris nomine.

Præmittitur eorum index. Initium autem *Sermonis* primi ſic habe: *Erat recumbens unus ex diſcipulis ejus in ſinu Jheſu quem diligebat Johannes. Jo. XIII. In verbo propoſito comendat B. Johannes Evangeliſta &c.*

CODEX MLXXXIII. *d.* I. 20.

Membranaceus, conſtans foliis 209. ſæculi XIV. ubi primum habentur *Sermones pro diebus feſtis Dominicis*, omiſſo autoris nomine. Initium fit *a Dominica prima Adventus*, his verbis: *Salvator noſter dilectiſſimi fratres preparatos nos invenire deſiderans: pronunciat mala & pericula &c.*

Fol. deinde 206. *Epiſtola* S. Hieronymi *de Vita Clericorum ad Oceanum*. Inter ſpurias recenſetur Tom. V. *Operum* pag. 411.

Fol. autem 209. *pag.* 2. Explicatio *Orationis Dominicae*, ſine autoris nomine. Incipit: *Sciendum eſt quod hec oratio &c.*

CODEX MLXXXIV. *d.* I. 21.

Membranaceus, conſtans foliis 167. ſæculi XIV. Sunt *Homiliae* CXXII. in *Evangelia*, tacito autoris nomine. Præfigitur initio earum index; & quæ primas ducit, incipit his verbis: *Sancti Evangelii lectio quedam proponere videtur que veſtro congruunt propoſito &c.*

CODEX MLXXXV. *d.* I. 22.

Membranaceus, habens folia 41. ſæculi XIV. ubi *quedam dicta ſuper aliqua Evangelia*; ſive res præcipuæ, quæ in Evangeliis occurrunt.

Deſideratur autoris nomen. Initium autem opuſculi eſt: *Beati pauperes Spiritu qui non neceſſitate ſed devota volumtate &c.*

CODEX MLXXXVI. *d.* I. 23.

Chartaceus, ſæculi XVII. conſtat foliis 30. ubi Marci Antonii Passeri Genua *Patavini in Evangelium de mandatis ſecundum Mattheum interpretatio*. Incipit: *Evangelium de mandatis quod ſecundum Mattheum ſcriptum eſt &c.*

Meminit *M. Antonii Paſſeri*, ejuſque operum Thomaſinus in *Elogiis* pag. 100. Sed omiſit ejus *interpretationem in Evangelium de mandatis*.

CODEX MLXXXVII. *d.* I. 37.

Membranaceus, foliis conſtans 230. ſæculi XIII. Eſt *liber de Poenitentia*; qui perperam a librario adſcribitur S. Augustino. Incipit: *Quum ſit utilis & neceſſaria Penitentiae medicina &c.*

Fol. 24. S. Augustini *liber de Agone*. Exſtat in Tomo VI. *Operum* pag. 246.

Fol. 54. Ejuſdem *Sermo de Diſciplina Chriſtianorum*. Ibidem *pag.* 584.

Fol. 67. Pascasii Diaconi *Urbis Rome libri II. de Spiritu Sancto*. Præmittitur utrique index capitum. Num vero Paschasius Diaconus, an Faustus Regiensis Episcopus eorum autor ſit, legere eſt Guilielmum Cave, & Oudinum, qui multa hac ſuper re ſcripſerunt.

Fol. 118. *Liber* Pascasii Radberti *de Euchariſtia*, quibus verbis ſubjicitur hæc adnotatio; *Alter Paſcaſius*, præmiſſo prologo.

De

Digitized by Google

De *Paſchaſio Radberto* natione *Gallo* plura habet Oudinus Tomo II. pag. 107. Edidit integrum ejus opus Martene Tom. IX. pag. 367. ſub hoc titulo : *de Corpore & Sanguine Domini*. Conferentes autem editionem *Martene* cum Regio Codice quamplurimas deprehendimus variantes lectiones, quarum unum, aut alterum exhibere juvat ſpecimen.

In edit. ex prologo.

Incipit prologus Paſchaſii Radberti ad Placidium diſcipulum ſuum de opere ſubſequenti.

Paſchaſius Radbertus Levita Monachorum omnium peripſema, dilectiſſimo filio & vice Chriſti præſidenti Magiſtro Monaſticæ diſciplinæ alternis ſucceſſibus veritatis condiſcipulo &c.

In Cod.

Liber Paſcaſii Radberti de Euchariſtia. Alter Paſcaſius. Dilectiſſimo filio Placidio & vice Chriſti Preſidenti Magiſtro alternis monaſtice diſcipline ſucceſſibus Paſcaſius Radbertus condiſcipulo &c.

In edit. ex cap. I.

Incipit liber Paſchaſii Radberti de Corpore & Sanguine Domini, Criſti Communionem verum Corpus ejus, & Sanguinem eſſe non dubitandum ... Nam natura omnium creaturarum non ex ſe eſt, neque ex ſe ſe creat, rurſum omnia, quae vel ſunt naturalia rerum naſcentia, ſed voluntate Dei omnium rerum &c.

In Cod.

Incipit textus libri. Chriſti Communionem verum Corpus ejus & Sanguinem eſſe non dubitandum ... Nam natura omnium creaturarum non ex ſe eſt. neque ex ſe ſe creat rurſum omnia que naſcuntur. naturalia rerum naſcentia. Sed voluntate Dei omnium rerum &c.

Notatu & lectu dignum eſt anathema, quod ſubjicitur *fol.* 91. *pag.* 2. adverſus eos omnes, qui codicem aut furati fuerint, aut alienare voluerint.

Auctoritate Dei Patris omnipotentis & Filii ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti. nec non & Beate Marie ſemper Virginis & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli. omniumque Sanctorum Dei excomunicamus & anathematizamus & a limitibus Sancte Eccleſie ſequeſtramus illum vel illos qui hunc libellum furatus fuerit. vel qui conſilium dederit. Ut non habeant partem cum Domino nec cum Sanctis Angelis ejus. & niſi reſipuerit. & ad emendationem ſatisfactionis venerit. Sic extinguatur lucerna iſta. Sic extinguantur anime eorum in Inferno inferiori.

Fol. 192. S. AUGUSTINI *liber de mendacio.*

CODEX MLXXXVIII. *d.* I. 49.

Membranaceus, conſtans foliis 580. ſæculi XIV. ubi S. AUGUSTINI *Sermones.*

In fine.

Iſte liber eſt Fratris Franciſci. quem ſcripſit in Conventu Cumano anno Domini 1317. incipit a Dominica poſt octavam Paſche. uſque ad ſecundam poſt Trinitatem.

CODEX MLXXXIX. *e.* I. 2.

Membranaceus, habens folia 64. ſæculi XII. optimæ notæ, atque characteris. *Liber teſtimoniorum veteris teſtamenti excerptus ex opuſculis Sancti Gregorii Pape.* Sunt nimirum ſub hoc titulo expoſitiones librorum *veteris teſtamenti* collectæ ex operibus *S. Gregorii* a PATERIO *Romanæ Eccleſiæ Notario & Secundicerio*, ſuadente ipſomet Gregorio.

Multa de hac collectione videſis tomo IV. operum *Gregorii*, ubi integra habetur. Nam in Regio Codice ſunt duntaxat libri *Geneſeos*, *Exodi*, & *Levitici*. Nonnihil eſt etiam diſcriminis ab editione, ſed parvi admodum momenti.

Lectorem hìc monitum volumus, quoniam nobis contigit autorem detegere *libri teſtimoniorum veteris Teſtamenti excerpti ex operibus S. Gregorii Papæ*, nempe *Paterium*, eſſe eidem tribuendum

Digitized by Google

opuſculum, quod ſub litera *e.* II. 12. contentum *Anonymi* ſcriptoris fœtum eſſe diximus.

CODEX MXC. *e.* I. 3.

Membranaceus, conſtans foliis 85. ſæculi XIII. vario charactere deſcriptus. Sunt in eo

Fol. 1. *Liber Beati* BERNARDI *Clarevalenſis Abbatis de conſideratione ad Eugenium.*

Fol. 33. *Liber ſententiarum*, cujus initium: *De fide & ſpe quae in nobis eſt, omni poſcenti rationem reddere &c.*

Autorem habet HUGONEM VICTORINUM, ut alibi monuimus, exſtatque in edit. ejus operum tom. III. pag. 417.

Fol. 78. *Expoſitio lectionis, Mulierem fortem quis inveniet &c.* antiquiori charactere deſcripta, atque ignoti autoris. Incipit: *Mulier fortis Eccleſia catholica vocatur quam Johannes in Apocalipſi amictam ſole ideſt Chriſto perhibet &c.*

In membrana autem, quæ compactioni codicis inſervit, tranſverſum ſcriptum legitur fragmentum veteris *Kalendarii Abbatiæ Sanctæ Mariæ de Staffarda*, cujus hæc ſunt verba:

III. Idus Januarii commemoratio omnium Fratrum & familiarium defunctorum Ordinis noſtri. item commemoratio Domini Willhelmi primi Abbatis Staffardæ Domini Petri ſecundi Domini Ebonis tercii Domini Mainardi quarti nec non omnium Epiſcoporum atque Abbatum defunctorum Ordinis noſtri & piiſſimi Regis Francorum Ludovici & Comitis Theobaldi.

CODEX MXCI. *e.* I. 4.

Membranaceus, cui folia 91. ſæculi XIV. optimæ lectionis, in quo

Fol. 1. *Soliloquium Magiſtri* HUGONIS *de arra animæ Fratribus ſuis Hamerieſiæ* (in edit. tom. II. pag. 223. *Hamerisleve*) *degentibus.*

Fol. 16. Liber *de arte fidei catholice*, ſine autoris nomine, cujus initium. *Hec editio ars fidei catholice merito appellatur. In modum enim artis compoſita diffinitiones diviſiones continet & propoſitiones artificioſo proceſſu propoſitum comprobantes &c.*

Fol. 26. Sermones in diebus feſtis per annum occurrentibus, omiſſo pariter autoris nomine.

Fol. 58. Explanatio vocum Hebraicarum, quæ in Scripturis reperiuntur, ſecundum ordinem Alphabeti.

Addita ſunt in fine quædam Concionum themata cum arboribus artificioſis de *menſura*, de *Adæ teſtamento*, de *principatu Babylonico*, aliiſque nullius fere momenti.

CODEX MXCII. *e.* I. 7.

Membranaceus, conſtans foliis 100. ſæculi XIII. quo contineri crediderim *Ciſtercienſis Ordinis* acta ſub Guilielmo Ciſtercienſi Abbate, *Ordinis* curam gerente, ab anno circiter 1227. uſque ad annum 1236. Ambo enim hi numeri initio, & fine extremæ oræ pagellarum quintæ, & nonageſimæ primæ ſcripti leguntur.

Multæ ſunt in eo epiſtolæ ad Summum Pontificem Gregorium IX. Reges etiam, Epiſcopos, pluresque Abbates, Angliæ præſertim, & Galliarum ſcriptæ, in quibus agitur fere ſemper de Monaſtica diſciplina, turpiter labefactata reſtauranda, de Monaſteriorum bonis tutandis, ac vindicandis, de Abbatum electione, vel depoſitione, de Monachorum delictis, aliiſque ſimilibus. Adduntur præterea *viſitationum decreta, Capituli Generalis indictiones, indulgentiarum promulgationes, & res judicatæ*; omnia ſane non parvi momenti, & ad illuſtrandam Eccleſiaſticam hiſtoriam ſæculi XIII. aptiſſima, & quidem, ut arbitramur, hactenus inedita. Speciminis igitur loco, ut Regii Codicis præſtantia magis illuceſcat, nonnulla ſubjicimus, ex quibus ceterorum pretium Lector facile dignoſcere poterit. Sit itaque.

Fol.

Digitized by Google

Fol. 1. *Epiſtola totius Capituli nomine ſcripta ad Gregorium IX. Pontificem.*

„ Sanctiſſimo Patri ac Domino „ Gregorio Dei gratia Sacroſancte „ Romane Eccleſie ſummo Pontifici „ Frater Guilelmus dictus Abbas Ci- „ ſtercienſis totiuſque Conventus Ab- „ batum Capitulum Generale ad pedes „ oſcula & in omnibus proſperari. „ Aſcendentibus undique clamoribus „ tam cleri quam populi a multis re- „ troactis temporibus ſuper multiplici- „ cibus exordinationibus. & delictis „ enormibus Hibernienſis Ordinis no- „ ſtri ad audientiam noſtram non mo- „ dicum contriſtati. & gravi merore „ ſauciati. Viſitatores viros idoneos „ annuatim ad partes Hibernie deſti- „ navimus. Qui Dominum habentes „ pre oculis ſuper auditis exceſſibus „ diligenter inquirerent. & eorum cor- „ rectioni ſecundum formam Ordinis „ manum apponerent. Ipſi vero offi- „ cium viſitationis propter dictorum „ inobedientiam & rebellionem exequi „ non valentes ad plenum. majora „ hiis que ad nos prius delata fuerant „ retulerunt. Unde ne in proceſſu no- „ ſtro poſſet aliquid odio vel gratie. „ ſeu precipitationi. aut imprudentie „ imputari. Viſitatores diverſarum lin- „ guarum. videlicet de ipſa Hiber- „ nia. Wallia. Anglia. Flandria. „ Francia. & Lumbardia. & plures „ de Claravalle temporibus diverſis in „ poteſtate majori duximus deſtinan- „ dos. Qui ſucceſſive invenientes in „ eis Ordinis diſſipationem. dilapida- „ tionem temporalium. conſpirationes. „ rebelliones. & mortis machinatio- „ nes frequentes. Inſuper exceſſus gra- „ viſſimos & enormes in aliis litteris „ annoctatos. quoſdam de ipſis Ab- „ batibus ſecundum formam Ordinis „ depoſuerunt. de Monachis vero alios „ emiſerunt a ſuis domibus ad domos „ alias ordinatas. alios ſecundum for- „ mam Ordinis modis aliis punierunt „ pro poſſe nitentes ſed incaſſum Or- „ dinem reformare. Unde Viſitatores „ ultimi miſſi in plenaria ordinis po- „ teſtate de conſilio omnium fere „ Abbatum Hibernie & aliarum vi- „ cinarum regionum. qui in virtute „ obedientie adjurati alium exitum „ nequaquam reperire valuerunt. quo „ vel horrendis conſpirationibus vel „ inveteratis exordinationibus ſeu de- „ pauperationibus finis imponeretur. „ & reſpiraret religio. niſi Abbatiae „ quedam domorum minus ordinata- „ rum ſubjectioni ſubtracte. aliarum „ regionum Abbaciis ejuſdem deriva- „ tionis que ruinas Ordinis tam in ſpi- „ ritualibus quam temporalibus & vel- „ lent & valerent maturius reparare „ tamquam matribus jure perpetuo „ ſupponerentur. Inſuper Abbatie „ pauperrime & parve omnino que ſibi „ inſufficientes aliis Abbatiis pro forma „ Ordinis & honeſtatis reſpectu uni- „ rentur id ipſum de duabus dumtaxat „ pauperrimis fecerunt. antique conſti- „ tutioni Ordinis & conſuetudini in- „ herentes. qua utiliter proviſum eſt „ ne aliqua domus maneat Abbatia. „ que XII. Monachis & Abbati cum „ honeſtate non poſſit ſufficere. Unde „ cum benignitate Sedis Apoſtolice a „ fundatione Ordinis optinuerimus „ quod Eccleſia Romana ſemper ratum „ habuit quicquid inter Abbatias & „ perſonas Ordinis fuit diffinitum per „ nos aut ſtatutum. nec umquam „ commiſit cauſas Ordinis perſonis ali- „ quibus extra Ordinem niſi modo ad „ inſtantiam gentis. inculte. & fugi- „ tivorum Ordinis per litteras impetra- „ tas per tacitas veritates. & falſita- „ tes expreſſas. quas plenius in aliis „ litteris denotavimus. Sanctitati ve- „ ſtre flexis genibus omni devotione „ qua poſſumus ſupplicamus. quate- „ nus inquiſitionem quam Archiepiſco- „ po Armachano & Drometenſi & „ Cloenenſi Epiſcopis faciendam in „ noſtro Ordine commiſiſtis in Hiber- „ nia. benignitate ſolita Sedis Apoſto- „ lice revocetis. Si quid feciſſent „ antequam veſtre littere ad eos per- „ veniant

Digitized by Google

„ veniant in irritum revocantes. Nos
„ pro reverentia veſtra & ſtatu Ordi-
„ nis. non pro litteris falſo ut dixi-
„ mus impetratis parati fuimus tem-
„ pore Capituli Generalis moderari
„ proceſſum Viſitatorum noſtrorum in
„ Hibernia. ſi in veritate fuiſſet in
„ aliquo moderandum. Sed nullus de
„ hiis, qui dictas litteras impetrarunt.
„ vel eorum legitimus procurator com-
„ paruit coram nobis. & Viſitatores
„ manifeſte coram nobis oſtenderunt
„ ſe legitime & ſecundum ordinem
„ proceſſiſſe. Inſuper ad omnem fugiti-
„ vorum malitiam ſuperandam. viſita-
„ tionem. & moderationem ſi ſecun-
„ dum ordinem facienda fuerit. com-
„ miſimus quibuſdam Coabbatibus no-
„ ſtris viris providis & diſcretis. quos
„ pro reverentia veſtra ad partes lu-
„ bentiſſime duximus deſtinandos.

Fol. 24. *Archiepiſcopo Caſſelenſi ſalutem.*

„ In ore preſentium latoris Fratris
„ Lotharii Monachi quedam verba
„ poſuimus Paternitati veſtre humiliter
„ intimanda. quibus fidem habere in-
„ dubitatam & aures propicias beni-
„ gne velitis inclinare, ut diligen-
„ tiam & devotionem quam erga
„ cauſas Ordinis promovendas huc
„ uſque noſtri gratia ferventer habui-
„ ſtis. fine meliori concludentes coram
„ Deo & hominibus merito inde re-
„ portetis gloriam. laudem. & hono-
„ rem.

Fol. 29. *pag.* 2. *Anno Gratie* 1228. *Eidem* (nimirum Clarevallenſi Abbati) *commiſſa fuit viſitatio in Hibernia facienda in plenaria Ordinis & Capituli Generalis poteſtate. qui vices ſuas Dominis Abbatibus de Dublino & de Sancto Salvatore commiſit ſub hac forma &c.*

Fol. 31. *pag.* 2. *Articuli generaliter per Hyberniam obſervandi.*

„ Nullus admittatur in Monachum
„ cujuſcumque videlicet fuerit nacio-
„ nis niſi qui culpam ſuam ſciverit
„ confiteri Gallice vel Latine. ut cum
„ venerint Viſitatores. & Ordinis Cor-
„ rectores & intelligant & intelligantur
„ ab ipſis.

„ Item carte & inſtrumenta Domo-
„ rum in tuta cuſtodia ſub bonis ſe-
„ ruris ita caute collocentur ut via
„ furti vel fraudis in hac parte mali-
„ tioſis in poſterum precludatur.

„ Item Regula de cetero non niſi
„ Gallice exponatur. nec Capitulum
„ Monachorum teneatur niſi Gallice
„ vel Latine. ut ſic de cetero qui
„ recipi volunt loco tali fideliter inſi-
„ ſtant. ubi mores manſuetiores addi-
„ ſcant.

„ Item in penam conſpirationum
„ per domos Hibernienſes generaliter
„ exortarum firmiter prohibetur. ne
„ aliquis de lingua illa infra triennium
„ preficiatur in Abbatem. ut plene
„ probetur eorum obedientia erga Or-
„ dinem. & primo addiſcant eſſe di-
„ ſcipuli. ut ſine periculo animarum
„ & Ordinis pro loco & tempore com-
„ petentius fiant magiſtri.

„ Item prohibetur ſub interminatio-
„ ne anathematis ne terre vel tene-
„ menta alienentur niſi prehabito con-
„ ſenſu & confirmatione patris Abba-
„ tis. hoc & precipitur ſub pena de-
„ poſitionis officialium. & ejectionis
„ conſiliariorum.

„ Item non dentur ad firmam ultra
„ terminum VII. annorum. ut ſic
„ recens exſtet facti memoria. quod
„ & prohibetur ne fiat niſi congruis
„ cautionibus maturo conſilio & cir-
„ cumſpecta deliberatione publice cum
„ debita ſolempnitate confectis.

„ Item ne de cetero ſubſtantia do-
„ morum inutiliter conſumatur. aut
„ ſimonie crimen improvide commit-
„ tatur firmiter precipitur. ſub pena
„ memorata ne Monachi de cetero
„ tertas emant, vel . . . patronatum
„ recipiant niſi per inquiſitionem di-
„ ligentius premiſſam certum fuerit
„ quod purum ingreſſum tutamque
„ poſſint habere poſſeſſionem.

„ Item omnibus Officialibus tam in
„ Abbatia quam Grangiis per quorum
„ manus

Digitized by Google

„ manus Abbatiarum bona tranſigun-
„ tur . diſtricte precipitur quod mani-
„ feſte & fideliter computent coram
„ Abbate & conſilio Domus . vel co-
„ ram illis quos ſpiritualiter Abbas ad
„ hoc deputavit . quicquid vero cela-
„ verint . reputetur eis pro furto vel
„ proprietate & penas inde ſuſtineant
„ in uſibus diffinitas.

„ Item ſub eadem pena precipitur
„ ne converſi aliquid vendant ſine con-
„ ſenſu vel licentia Abbatis vel Cel-
„ larii.

„ Item non revocentur Monachi nec
„ converſi emiſſi ſine licentia ſpirituali
„ Domini Clarevallenſis non impetran-
„ da per falſi ſuggeſtionem . aut veri-
„ tatis ſuppreſſionem . nam diſpenſa-
„ tio vel gratia taliter optenta de jure
„ cenſetur invalida.

„ Item ſub interminatione anathe-
„ matis & pena depoſitionis Officia-
„ lium & ejectionis conſiliariorum di-
„ ſtricte inhibetur ne umquam de ce-
„ tero aliqua recipiatur in Monialem
„ per dictas domos Hibernienſes prop-
„ ter ignominioſas exordinationes &
„ ſcandala de talibus exorta.

„ Ceterum auctoritate Ordinis &
„ Capituli Generalis de Sancta Maria
„ videlicet Dublini & de Valle Sancti
„ Salvatoris Abbatibus in virtute obe-
„ dientie diſtricte precipitur . ut om-
„ nes articulos ſupra memoratos verbo
„ ad verbum variis cedulis annotatos
„ ſigillis ſuis appenſis per omnes domos
„ Hibernie circumquaque deſtinare pro-
„ curent.

„ Item quod proprium reſcriptum
„ penes ſe habeat domus unaqueque .
„ quod per annum integrum ſemel in
„ menſe quolibet ſub certa & gravi
„ ſententia legi precipiant dicti Abba-
„ tes & cautius cuſtodiri.

Fol. 38. *Acta apud Rothon. anno gratie* 1231. contra Johannem Abbatem Rothonenſem, cujus nefanda crimina diſtincte, & ſingillatim narrantur, qua de re ſcriptæ ſequuntur plures epiſtolæ: præ ceteris autem notanda, quæ ad Galliarum Reginam ſcripta dicitur *fol.* 41.

„ Sereniſſime Domine ſue Blanche
„ Dei gratia Illuſtri Francorum Regi-
„ ne fratres . . . de Savigniaco & Ro-
„ bertus de Oratorio dicti Abbates Ci-
„ ſtercienſis ordinis . Salutem in eo
„ qui Regibus dat ſalutem . Licet
„ cum omni devotione devotos ſemper
„ habemus animos parendi Regie juſ-
„ ſioni . tamen quum nobis ſit crimi-
„ noſum & horrendum poſſe argui de
„ inobedientia maxime Apoſtolica . ſi-
„ cut vos noviſtis . ſecundum quam
„ obedientiam Apoſtolicam exequi ſu-
„ per reformatione monaſterii Rotho-
„ nenſis Abbatis cujus infamia longe
„ lateque diffuſa clamitat in plateis .
„ nullo modo auſi fuimus obmittere .
„ ne favere non perſonis ſed crimini-
„ bus videremur . Verum ut & veſtra
„ noſcat Serenitas quot & quanta con-
„ tra Johannem iſtum Rothonenſem
„ fide dilucida ſint probata . preſenti
„ Cedula duximus annotare, &c.

Subiiciuntur videlicet delicta omnia, quorum ille reus agebatur.

Neque prætereundæ ſunt *Litere Domini Regis*.

„ Ludovici Dei gratia Francorum
„ Rex dilecto in Chriſto Abbati de
„ Sarign. ſalutem & dilectionem. Quum
„ vos de proprio dilecti noſtri Abba-
„ tis Rothon. monaſterio & ipſius. &
„ aliis membris ejuſdem Eccleſie cum
„ Abbate de Oratorio intendatis ſicut
„ intelleximus inquiſitionem facere .
„ vobis mandamus. & vos attente re-
„ quirimus & rogamus. quatenus ei-
„ dem inquiſitioni ſuperſedeatis. cum
„ nos in illa facienda non poſſitis pre-
„ cedere abſque prejudicio noſtro. &
„ regni noſtri leſione prout nobis eſt
„ intimatum.

CODEX MXCIII. *e.* I. 17.

Membranaceus, cui folia 436. multiplici ſcriptus charactere, ſæculi XIV, varia etiam opera complectitur.

Fol.

Digitized by Google

A fol. 1. uſque ad folium 286. Sermones exhibet, & quidem duplici columna, *in ſingulis Dominicis per annum*, tacito tamen concionatoris nomine. Prioris initium, qui eſt *Dominica prima de Adventu*, fit his verbis:

Dicite filie Sion. Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Hec verba leguntur in hodierno Evangelio Matth. XXI. Sumpſit ea de prophetia Zachariae &c.

Fol. autem 286. Eſt *ſumma de penitentiis compoſita a Domino Joanne de Deo Yſpano Doctore Decretorum*. In ſeptem libros dividitur, quibus præit capitum elenchus. Incipit: *Ea eſt enim regula veritatis a Patribus approbata quod nihil facias cauſa commendandi tui quo alius minor fiat &c.*

Scripſit JOHANNES DE DEO patria Ulyſſiponenſis, Eccleſiæ Bononienſis Canonicus, hanc ſummam ad ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopum, & Capitulum. Caveus autem tom. II. pag. 300. & Oudinus tom. III. pag. 178. tradunt eandem MS. reperiri etiam in Bibliothecis *Patavina*, *& Cantabrigienſi*, nihilque dubitant affirmare, ineditam adhuc eſſe.

Fol. deinde 346. *Tractatus aſceticus de virtutis amore, mundi contemptu, vitiorum fuga, oratione*, aliiſque; ſed mutilus initio, & ſine autoris nomine.

Fol. denique 381. Opuſculum morale *Anonymi* pariter autoris de *miſero hominum ſtatu poſt Adami lapſum, de poenitentia &c.*

CODEX MXCIV. *e.* I. 18.

Membranaceus, conſtans foliis 264. ſæculi XIV. ubi ſermones ſacri ab *Adventu* uſque ad *Quadrageſimam*, omiſſo autoris nomine. Initium autem eſt hujuſmodi:

Dominica prima de Adventu
Expoſitio Epiſtole.

Scientes quia hora eſt &c. Rom. XIV. *Ad evidentiam hujus ſacroſancti temporis quod appellatur Adventus Domini & ipſius renovationis in quo Sancta Mater Eccleſia ſua incipit officia ſunt aliqua prenotanda &c.*

CODEX MXCV. *e.* I. 19.

Membranaceus, habens folia 197. ſæculi XIV. ubi ſermones pariter ſacri autoris *Anonymi*, quorum primus de *Sancto Matthæo* incipit his verbis: *Ipſe erat lucerna ardens & lucens. Secundum duas partes Eccleſie duplex lucerna diſtinguitur una glorioſa & delectabilis propoſita beatis in Celo ad exultandum &c.*

CODEX MXCVI. *e.* I. 21.

Membranaceus, habens folia 107. ſæculi XIV. Sunt in eo Sermones ab *Adventu* uſque ad *Quadrageſimam*, Anonymi pariter autoris, rudi omnino charactere deſcripti.

CODEX MXCVII. *e.* I. 24.

Membranaceus, duplici columna exaratus, conſtans foliis 182. ſæculi XIV. optimæ lectionis, varias tractationes complectitur de *virtutibus*, & *vitiis* ad uſum concionatorum, ut patet ex tabula poſita *fol.* 182. quæ hoc initium præfert. *Incipiunt adaptaciones omnium Sermonum in hoc libro contentorum prout competunt Sabbatis Dominicis & feriis totius anni:*

CODEX MXCVIII. *e.* I. 27.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 305. ſæculi XV. ubi

Fol. 1. Sermones duo, unus de *reſurrectione*, ſine autoris nomine, cujus initium: *Surrexit non eſt hic Matt. ultimo. Pro declaratione verbi propoſiti reperio clare in Sacra Scriptura &c.*

Alter FRANCISCI DE MAYRONIS *de Aſcenſione Domini*, cujus initium: *Aſſumptus eſt in Coelum & ſedet ad dexteram Dei. Matt. ultimo. In quo verbo primo declaratur Chriſti aſcenſio &c.*

Sequun-

Digitized by Google

Sequuntur deinde Sermones *Dominicales* per totum annum, diverſo exarati charactere, omiſſo autoris nomine.

CODEX MXCIX. *e.* I. 28.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, foliis conſtans 281. ſæculi XIV. Habentur ibi Sermones in feſtis Sanctorum, & pluribus diebus Dominicis, ſine autoris nomine. Primus eſt de *Angelis*, cujus initium: *Stelle manentes in ordine ſuo & curſu ſuo adverſus Syſaram pugnaverunt. Jud. V. verba hec exponi poſſunt ut conſona ei quod dicitur Apoc. XII. cum dracone &c.*

CODEX MC. *e.* I. 29.

Membranaceus, duplici exaratus columna, folia habens 190. ſæculi XIV. grandioris, & nitidi characteris, ſermones iterum continet ignoti autoris in diebus feſtis Sanctorum, & Dominicis. Incipit *fol.* 1. hoc pacto: *Humiliavit ſemetipſum uſque ad mortem mortem autem crucis. In his verbis ponuntur nobis tria in exemplum de Chriſto. Primum eſt ipſius humiliatio cum dicitur humiliavit ſemetipſum. Secundum eſt obedientie ſue perfectio cum dicitur factus obediens. Tertium eſt ſua acerbiſſima & ignominioſa paſſio cum dicitur mortem autem crucis &c.*

CODEX MCI. *e.* I. 30.

Membranaceus, duplici exaratus columna, foliis conſtans 173. ſæculi XIV. ubi ſermones *Anonymi* in *Quadrageſima*, nec non *Dominicales*. Primus incipit. *Filia populi mei induere cilicio & aſpergere cinere. Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum. Jer. VI. Quamvis ſollemnitas Quadrageſimalis in ſequenti Dominica incipiatur Eccleſia tamen hos IV. dies precedentes addidit &c.*

CODEX MCII. *e.* I. 31.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, habens folia 73. ſæculi XIV. Habentur ibi ſermones pariter *Anonymi* in *feſtis*, & *Dominicis*. Primus *Dominica in ramis Palmarum* ita incipit: *Pueri Hebreorum tollentes ramos exierunt obviam clamantes & dicentes. Hoſanna in excelſis. Hodie Fratres proceſſionem illam quam Hebreorum pueri Domino ad paſſionem venienti fecerunt, cum ipſa paſſione recolimus &c.*

CODEX MCIII. *e.* I. 32.

Membranaceus, duplici exaratus columna, cui folia 108. ſæculi XIV. ſatis bonæ notæ. Sunt in eo ſermones in feſtis, & de tempore, tacito autoris nomine. Primus eſt in *Aſſumptione Virginis*, cujus initium: *Signum magnum apparuit in Celo mulier amicta ſole Apoc. XII. Scribuntur verba iſta que convenientiſſime intelligi poſſunt de Virgine glorioſa &c.*

CODEX MCIV. *e.* I. 33.

Membranaceus, foliis conſtans 108. ſæculi XIV. ubi *Sermones in Dominicis per annum*, abſque autoris nomine. Primus eſt *Dominica prima in Adventu Domini*; & incipit: *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere Ro. XII. quia Rex noſter venit cui occurrere neceſſarium eſt ſicut cantat hodie Ro. Apoſtolus volens nos ire debito modo &c.*

CODEX MCV. *e.* I. 34.

Membranaceus, conſtans foliis 194. ſæculi XIV. Eſt

Fol. 1. *Tractatus de vitiis, eorumque remediis*, idem, qui in Codice *e.* III. 22.

Fol. deinde 51. *Homelie magiſtri* JOHANNIS DE ALBERTIS *de Villa Rabnerii Epiſcopi in ſollempnitatibus Sanctorum*. Prima eſt de Circumciſione, cujus initium: *Apparuit benignitas & humanitas*

Digitized by Google

Salvatoris noſtri Dei non ex operibus juſticie que fecimus &c. Evangelio hodierno adjungitur hec epiſtola pro eo quod in Evangelio agitur de Circumciſione & in epiſtola agitur de baptiſmo &c.

Fol. vero 144. *Tractatus de fide*, abſque autoris nomine, cujus initium: *Funiculus triplex difficile rumpitur, funiculus iſte quo trahimur ad Dominum eſt fides ſpes charitas &c.*

In fine:

Explicit liber Scala fidei.

CODEX MCVI. *e.* I. 35.

Membranaceus, habens folia 96. ſæculi XIV. *Sermones* continet *per annum*, ad quorum calcem hæc adnotata leguntur:

Expliciunt ſermones de Dominicis & de Sanctis & legende eorum per totum annum ſcripti & compilati per Fratrem Guidonem Aquenſem Ordinis Predicatorum in Conventu Albenſi ejuſdem Ordinis anno Domini 1328. *in octava Beati Martini Epiſcopi & Confeſſoris. Extracti ſunt autem ſermones predicti de diverſis ſermonibus per eumdem Fratrem Guidonem & major pars extracta eſt de ſermonibus Fratris Jacobi de Voragine Ordinis Predicatorum.*

CODEX MCVII. *e.* I. 39.

Chartaceus, cui folia 99. ſæculi XV. Eſt *Directorium Antonini ad excipiendas confeſſiones.*

CODEX MCVIII. *e.* I. 42.

Membranaceus, folia complectens 111. ſæculi XIV. ubi *tractatus de preceptis Dei, & expoſitio Orationis Dominicae Magiſtri* UGONIS DE PRATO *Ordinis Predicatorum, egregii concionatoris*, qui anno 1322. obiiſſe dicitur.

Notat Oudinus Tom. III. pag. 736. Sermones *Magiſtri Hugonis de Prato in Orationem Dominicam* ſervari MSS. in *Bibliotheca S. Germani de Pratis*, ſed perperam adſcribi *Serloni Abbati Ordinis Ciſtercienſis*. Verum collato *Sermonum* initio, toto Cælo diſtare deprehendimus ſermones, quos affert Oudinus ex Codice MS. *Bibliothecæ S. Germani de Pratis*, a ſermonibus, qui in Regio Taurinenſi leguntur. Nam Codex *S. Germani de Pratis* incipit his verbis: *Cariſſimi vos ſcire debetis quod inter omnia opera quæ poſſunt fieri in hac vita &c.*

Codex autem Taurinenſis: *Sicut dictum eſt in expoſitione ſymboli tria ſunt neceſſaria ad ſalutem ſcilicet ut ſciat que credere debet, ut illuminetur intellectu ut ſciat quod deſiderare debet ut letificetur in effectu &c.*

Quocirca non adeo perperam fortaſſis *Serloni* adtributi fuerint ſermones illi, qui ſunt in Codice *Bibliothecæ S. Germani*, quamquam id certo definire non audemus.

Iidem ſermones *Magiſtri Hugonis de Prato in Orationem Dominicam* una cum ejuſdem ſermonibus *ſuper Symbolum Apoſtolorum* habentur MSS. etiam *Regii in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum*, ut ſcribit citato loco Oudinus.

CODEX MCIX. *e.* I. 44.

Membranaceus, conſtans foliis 189. ſæculi XIV. Eſt *Compendium Theologicae veritatis* in ſeptem libros diſtinctum, idem omnino, quod in multis aliis codicibus.

CODEX MCX. *e.* I. 45.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, cui folia 202. ſæculi XIV. multaſque præferens variis delineatas coloribus initiales literas, quatuor libros complectitur *Sententiarum*, adjectis in margine interdum adnotationibus, præſertim in duos priores libros.

CODEX MCXI. *e.* II. 6.

Membranaceus, duplici exaratus columna, conſtans foliis 201. nitidi characteris, ſæculi XV. multa, diverſique

Digitized by Google

que generis continet opuſcula.

Fol. 1. *Incipit commentariolum ſive aureola ex ſuaviſſimis ſalutiferiſque Divi ac glorioſi Doctoris Hieronymi floſculis adfabre contexta*. Habentur nimirum ſub hoc titulo regulæ Monachorum Ordinis Divi Hieronymi, quas *Lupus de Oliveto* ejuſdem Ordinis *Præpoſitus Generalis* ex ſcriptis *Hieronymi* collegit.

Eſt ab initio *Martini* V. approbatio, & in margine breves leguntur adnotationes, in quibus indicantur *Hieronymi* opera, unde ſingula ſumta fuerunt loca. Videſis Tom. V. pag. 343. edit. Pariſienſis *operum Hieron.*

Fol. 44. *Teſtamentum Beati Hieronymi presbyteri*, XXIII. capitulis conſtans, cujus initium: *Reverendiſſimo Patri Damaſo Portuenſi Epiſcopo ac Chriſtianiſſimo Theodoro Senatori urbis Romane clariſſimo Euſebius olim Hieronymi diſcipulus pium fletum. & gaudium*. Exſtat citato Tom. V. pag. 450.

Fol. 57. *Malchi Monachi Vita*, cujus initium: *Qui navali prelio dimicaturi ſunt, ante in portu &c.* Tom. IV. part. 2. pag. 90.

Fol. 60. *Vita Sancti Pannutii*, quæ neſcio quo titulo eidem S. Hieronymo tribuitur. Incipit: *Vidimus & Monaſterium Sancti Pannutii hominis Dei qui nominatiſſimus illis locis anachorites &c.*

Fol. 62. *Vita Pauli primi Eremitæ*, cujus initium: *Inter multos ſepe dubitatum eſt a quo potiſſimum &c.* Tom. V. *Operum S. Hieron.* part. 2. pag. 69.

Fol. 68. *Epiſtola Beati Auguſtini Doctoris eximii ad Beatum Cirillum ſecundum Jeroſolimitanum Epiſcopum de magnificentia eximii Doctoris Beati Hieronymi Presbyteri*. Hanc excipit alia *Sancti Cirilli ad Beatum Auguſtinum de miraculis Beati Hieronymi*. Utraque ſuppoſititia, ut recte notant *PP. Benedictini* in appendice *Epiſtolarum Sancti Auguſtini*. Leguntur autem in edit. *operum S. Hieron.* Tom. V. pag. 477.

Fol. 83. *Sanctiſſimi & devotiſſimi Hieronimi ad Euſtochium quam Bethleem cum pluribus Deo dicatis Virginibus in monaſterio ſub iſtis ordinis obſervationis regulis concluſit libellus elegantiſſimus de ordine & modo vivendi Deo feliciter incipit*. Opus Hieronymo indignum, quod Tom. V. pag. 241. edit. ejus operum refertur ſub titulo *Regulae Monacharum*.

Fol. 100. *Septem libri exceptionum de diverſis opuſculis Beati Bernardi*. Initium fit his verbis: *Studeamus ut ammonet Apoſtolus comprehendere cum omnibus Sanctis que ſit longitudo latitudo ſublimitas & profundum &c.*

Fol. 168. BERNARDI *Abbatis Clarevallenſis epiſtola ad Eugenium Papam. congaudet ei de Promotione ſua*. Incipit: *Auditum eſt in terra noſtra &c.* In edit. num. CCLXXXVIII.

Fol. 169. Ejuſdem *ad Cardinales ſuper electione Eugenii*. Incipit: *Parcat vobis Deus &c.* In edit. num. CCXXXVII.

Fol. 170. Ejuſdem *ad Archiepiſcopum Brunonem de acceptatione electionis*. Incipit: *Quaeris a me vir illuſtris conſilium &c.* In edit. num. VIII.

Fol. 171. Ejuſdem *ad Innocentium Papam*, cujus initium: *Iterum clamo iterum pulſo &c.* In edit. num. CLXVI.

Fol. eodem. Ejuſdem *ad Papam & Cardinales pro eo quod non exauditur*. Incipit: *Vos ſcitis &c.* In edit. num. CLXVIII.

Ibidem *pag.* 2. Ejuſdem *ad Nepotem ſuum Robertum*, cujus initium: *Satis & pluſquam ſatis &c.* In edit. num. I.

Fol. 172. *Excerpta ex primo libro Joannis Chryſoſtomi de compunctione cordis*.

Fol. 177. *Liber de Prelatis & ſubjectis extractus e libris Sancti Gregorii Pape*.

CODEX MCXII. *e.* II. 13.

Membranaceus, conſtans foliis 269. vario ſcriptus charactere, ſæculi XIV. in quo

Fol. 1. *Divi* BERNARDI *liber de diligendo Deo ad Haimericum Cardinalem*.

Fol. 46. *Liber* BERNARDI *Abbatis de praecepto & diſpenſatione*.

Fol. 101. *De laudibus ſacre Virginis matris*, ſub quo titulo poſt præfatiun-

Digitized by Google

culam continentur *quatuor homiliae* ejuſdem BERNARDI *ſuper verba Evangelii* : miſſus eſt Angelus Gabriel &c. ut in edit. Tom. I. pag. 732.

Fol. 162. Sunt excerpta nonnulla ex meditationibus, & orationibus *Divi Anſelmi*, nec non ex *Bernardo ſuper Cantica Canticorum*.

Fol. 174. *Liber Beati* BERNARDI *de gradibus humilitatis ad Godefridum*, præmiſſa retractatione, ut in edit. Tom. I. pag. 557.

Fol. 230. *Incipit liber de interiori homine Beati* BERNARDI *Abbatis*, ſeu, uti legimus in edit. Tom. II. pag. 319. *Meditationes piiſſimæ de cognitione humanæ conditionis*, quas exſtare itidem apud *Hugonem Victorinum* ſub titulo *libri quarti de anima* obſervat ibidem Mabillonius, qui tamen exiſtimat neutrum habendum eſſe earum autorem ob varia rationum momenta, quæ apud eundem legi poſſunt.

CODEX MCXIII. *e.* II. 32.

Membranaceus, habens folia 121. multiplici exaratus charactere, ſæculi circiter XIII. ubi

Fol. 1. *Tractatus de quatuor virtutibus Cardinalibus*, ſeu *caput IV. ſecundi libri Sententiarum Sancti* BRUNONIS *Aſtenſis*, ut ex collatione deprehendimus.

Fol. 4. *pag.* 2. *Sermo de Eccleſia*, hoc eſt *caput VI. primi libri Sententiarum* ejuſdem BRUNONIS.

Fol. 7. *Sermo in aſcenſione Domini*, tacito autoris nomine, cujus initium. *Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra &c. Angelice quondam poteſtates Celo reſidentes non pleniter intelligentes miſterium dominice nativitatis &c.*

Fol. 10. *Sermo in dedicatione*, prætermiſſo pariter autoris nomine. Incipit: *Ad dedicationem Eccleſie dilectiſſimi pie devotionis nos fervor attraxit &c.*

Fol. 12. *pag.* 2. Opuſculum laudati BRUNONIS *Epiſcopi Signienſis de Sacramentis Eccleſiae, miſteriis, atque Eccleſiaſticis ritibus*, præmiſſa epiſtola ad Gualterium Magalenſem Epiſcopum. Nullum tamen præfert in Codice titulum, ſed abſolute incipit ab epiſtola. Ad calcem Opuſculi eſt *caput VII. primi libri Sententiarum* ejuſdem *Brunonis*.

Fol. 19. *Expoſitiones ſuper Danielem*, non memorato interpretis nomine. Incipiunt: *Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum &c. Daniel vir deſideriorum ſciens beatos eſſe lugentes quoniam ipſi conſolabuntur lugebat. Intelligens autem beatos eſſe qui pro Domino eſuriunt & ſciciunt quoniam ipſi ſaturabuntur abſtinebat a pane deſiderabili a carne & a vino &c.*

Fol. 24. Sermones incerti autoris. Primus incipit: *Beniamin amantiſſimus Domini habitabit in eo confidenter, & inter humeros illius tota die quaſi in thalamo requieſcet. Adventum Domini dilectiſſimi hodie celebrare incipimus cujus ut memoria ſic vigeat &c.*

Fol. 42. Eſt moralium ſententiarum, atque tractationum congeſtio, interpoſitis ſermonibus, & expoſitionibus variorum locorum ſacræ Scripturæ ad uſum privati alicujus hominis.

CODEX MCXIV. *e.* II. 42.

Membranaceus, cui folia 114. ſæculi XIII. finem verſus. Leguntur in fronte libri rudia & inconcinna aliquot carmina, fragmentum nimirum poematis cujuſpiam.

Fol. 3. Exſtat expoſitio *orationis Dominicae*, initio deficiens, quam pone ſubſequitur expoſitio *Symboli Nicæni*, cum paucis in fine verſiculis ſacri argumenti.

Fol. 13. *Quadripertita Magiſtri* ALANI *editio contra hereticos Valdenſes Judeos Paganos*, cum prologo ad Montis Peſſulani Principem. Hujus libri duo priores editi fuerunt a Johanne Maſſono *Pariſiis* 1612. & cum tertii initio a Carolo de Viſchio inter *Alani* opera; duo autem poſteriores ab eodem Viſchio ad calcem *Bibliothecae Ciſtercienſis*. Ceterum de *Alani* ætate legere eſt diſſertationem Oudini Tom. II. pag. 1389. ubi etiam multa ſubdit de hac *quadripertita editione contra hereticos &c.*

In

Digitized by Google

In extrema vero poſtremi folii ora hæc obſervare contigit recentiori manu ſcripta. MCCCXXIX. *hec eſt memoria mortis magiſtri Jacobi de Sanctiis qui obiit die Sabbati* XXVIII. *menſis Julii & ſepultus fuit in Eccleſia Sancti Ambroſii majoris juxta altare Sancti Bartolomei.*

CODEX MCXV. *e.* II. 45.

Membranaceus, duplici ſcriptus columna, cui folia 38. ſæculi XIV. opuſculum continet LOTHARII DIACONI, (poſtea *Innocentii Papæ III.*) *de miſeria conditionis humanae.*

CODEX MCXVI. *e.* II. 46.

Membranaceus, duplici exaratus columna, foliis conſtans 142. ſæculi XIV. in quo

Fol. 1. *Breviloquium Fratris* BONAVENTURÆ, quo expleto moralia quædam ſine ullo ordine ſubjiciuntur.

Fol. 88. *Canticum Canticorum* cum adnotationibus, atque explanationibus incerti autoris.

In fine autem ſunt pauca quædam *de virtutum Jerarchia & humanae mentis ad eas gradibus.*

CODEX MCXVII. *f.* I. 1.

Membranaceus, ſæculi XIV. conſtat foliis 110. Continentur in eo ſine autoris nomine *Regule Theologie*, titulo a recenti ſcriba appoſito. Eſt ſcilicet *Collectio Sententiarum Theologicarum* ordine alphabeti diſpoſita.

Fol. 69. *Sermo in Annuntiatione* B. MARIE, cujus initium: *Ave gratia plena. Verba propoſita ſcripta ſunt &c.*

Fol. 71. Adduntur nonnulla de *Septem Peccatis Capitalibus.*

CODEX MCXVIII. *f.* I. 2.

Membranaceus, conſtans foliis 221. ſæculi XV. in quo *Summa contra Hereticos* Theologi cujuſdam ex *Ordine Minorum*, ut liquet ex præfixo Prooemio, quod incipit: *Tempus faciendi diſſipaverunt legem ſuam. Verba iſta ſunt Spiritus Sancti loquentis de Hereticis qui legem Altiſſimi diſſipant &c.* Totum opus in quinque libros tributum eſt, quibus index rerum, atque capitum ſubjicitur.

Fol. 155. Quædam de *Secta Albigenſium.*

Fol. 155. *pag.* 2. *Anonymi* tractatus de *virtutibus & vitiis.*

CODEX MCXIX. *f.* I. 3.

Chartaceus, ſæculi XV. habens folia 252. *Inſtitutiones morales* continet ÆGIDII SENENSIS. Præmittitur Præfatio, quæ incipit: *iſtud opuſculum ritmicum in vulgari compoſitum & materno idiomate declaratum ſuper Catonis moralia documenta ab Egidio de Senis licet immerito Padue Grammatice profeſſore &c.*

In fine hæc leguntur.

Deo gratias anno 1432. *completum in die Converſionis S. Pauli.*

CODEX MCXX. *f.* I. 5.

Chartaceus, ſæculi XV. conſtat foliis 48. Eſt ELUCIDARIUM *Theologicum*, in cujus fine hæc habentur.

Finito libro ſit laus & gloria Chriſto
Nomen meum non pono quia laudem non quero.
Sed ſi vis ſcire Johannis Galeani fuit ille.

Italo Sermone editum fuiſſe anno 1482. teſtatur Fontaninius *Biblioth. Italicæ* pag. 227.

CODEX MCXXI. *f.* I. 6.

Membranaceus, cui folia 84. ſæculi XV. *Tractatus Salutationis* VIRGINIS MARIE; editus inter Opera *S. Bonaventuræ* Tomo VII. pag. 429.

CO-

Digitized by Google

CODEX MCXXII. *f.* I. 7.

Chartaceus, conſtans foliis 112. ſæculi XV. in quo *Epiſtola* FRATRIS HUMBERTI QUINTI *Magiſtri Ordinis Fratrum Predicatorum quam ſcripſit de tribus votis ſpiritualibus*, de qua Dupinius Tom. X. pag. 78.

Epiſtolæ præit Italum carmen in laudem *S. Catherinæ Senenſis*, cujus initium:

Venga ciaſcun devoto & humil cuore
Ad laudar con fervore
La nova Sancta di Dio Katerina.
De prendi queſta Vergin per tua Stella
Anima mia ſe vuoi ſalute e pace.
Coſtei del Xriſto Dïo Spoſa novella
Ripiena fu di ſciencia verace
De tute le vertudi ornata & bella
D' ardente caritade elle fornace
S' en queſta vita a ciaſcun peccatore
Portava tant amore
Quanto piu in Cel dove l amor s affina.

Fol. 83. Recenſentur Apoſtolica privilegia, quæ Nicolaus V. P. M. Ordini Prædicatorum anno 1447. largitus fuerat.

Fol. 84. *Novi predicatoris Pedagogus*, ſine autoris nomine, cujus initium: *quaſi vas auri ſolidum &c.*

Fol. 106. *pag.* 2. *Compendium de Doctrina Chriſtiana.*

CODEX MCXXIII. *f.* I. 8.

Membranaceus, conſtans foliis 72. ſæculi XIV. in quo *Apologia Fratrum Minorum*; ſive *Apologia Pauperum adverſus Calumpniatorem*. Inter opera S. BONAVENTURÆ Tomo VIII. pag. 381.

CODEX MCXXIV. *f.* I. 9.

Membranaceus, conſtans foliis 93. ſæculi XV. ubi tractatus de *Monetis*, tum de *damno*, quod ex iiſdem falſis in hominum ſocietatem derivatur, ſine autoris nomine. Prima codicis folia adeo aqua diluta ſunt, ut nullo modo legi poſſint.

CODEX MCXXV. *f.* I. 10.

Membranaceus, cui folia 94. ſæculi XV. Eſt S. ANTONINI DE FLORENTIA *Confeſſionale*, cum prologo, & capitum indice.

CODEX MCXXVI. *f.* I. 22.

Chartaceus, conſtans foliis 183. ſæculi XIV. multos continet *Anonymi* Scriptoris *Theologicos tractatus*: nimirum de *forma Poenitentiæ*, de *Uſura*, de *Contractibus &c.* Incipit: *forma dandi Penitenciam tam ſanis quam egrotis &c.*

CODEX MCXXVII. *f.* I. 23.

Membranaceus, habens folia 179. ſæculi XV. inſcribitur DONATUS SPIRITUALIS. Suſpicabamur eſſe opuſculum, quod ſub GERSONIS nomine circumfertur, & editum legitur inter ejus opera Tomo IV. pag. 835. ſed conferentes toto Cœlo diverſum eſſe cognovimus. Incipit autem: *Evangelica clamat hiſtoria: Sine intermiſſione orate &c.*

Eſt ſcilicet tractatus de *Oratione*, in octo libros, & in triginta tria capita diſtributus, ut clare ex Procœmio conſtat, ignoti prorſus autoris.

In fine.

Explicit Donatus Spiritualis ad modum Donati Gramaticalis.

CODEX MCXXVIII. *f.* I. 25.

Membranaceus, habens folia 32. ſæculi XIV. ubi tractatus Theologicus de *Veritate & Sanctitate* in tres libros tributus, *de Deo* ſcilicet, *ejuſque Eccleſia*, de *Eccleſiaſticis Ritibus*, & de *futura vita*, inducto inter magiſtrum, & diſcipulum dialogo. Abeſt autoris nomen, & opus *liber ſine titulo* inſcribitur. Poſt Procœmium incipit Dialogus his verbis: *Glorioſe Magiſter rogo ut ad inquiſita mihi ne pigeat reſpondere ad honorem Dei & utilitatem Eccleſie &c.*

CO-

Digitized by Google

CODEX MCXXIX. *f.* I. 26.

Chartaceus, conſtans foliis 81. ſæculi XV. cui titulus: *Compendium ſalutis*, non appoſito autoris nomine. Præfatio incipit: *Dudum Cariſſime frater mi Petre venerabilis Presbyter &c.*

CODEX MCXXX. *f.* I. 39.

Membranaceus, conſtans foliis 344. ſæculi XIV. univerſos complectitur *Scripturæ* libros, additis S. HIERONYMI prologis, & in fine Hebræorum nominum interpretatione.

CODEX MCXXXI. *f.* I. 40.

Membranaceus, habens folia 16. ſæculi XIV. mutilus initio, & fine, eſt BREVIARIUM ROMANUM.

CODEX MCXXXII. *f.* I. 41.

Membranaceus, conſtans foliis 481. ſæculi XIV. Eſt itidem BREVIARIUM ROMANUM, cui præmittitur *Kalendarium Eccleſiaſticum*.

CODEX MCXXXIII. *f.* I. 42.

Membranaceus, conſtans foliis 157. ſæculi XIV. ad initium. Eſt pariter BREVIARIUM, cui præter *Kalendarium* præfixus eſt elenchus *Anniverſariorum*, quæ in Monaſterio, cujus erat uſui, ſtato tempore celebrari ſolebant: atque hujuſmodi eſt.

„ Incipiunt Anniverſaria totius anni.
„ Anniverſarium Epiſcoporum & „ Abatum Ordinis noſtri. Officium „ fiat ſtando. & Abbas in Conventu „ celebret cum duobus miniſtris & omnes privatas miſſas ipſo die pro ipſis „ celebrent.
„ Anniverſarium Comitis Bononie „ XV. Kal. Februarii.
„ Anniverſarium Honorii Pape XV. „ Kal. Aprilis. Officium ſedendo fiat „ & Miſſa in Conventu ſolempniter „ celebretur.
„ Anniverſarium Regis Ricardi. feria tertia poſt Octavam Paſche. Officium ſedendo fiat. & Miſſam in Conventu ſolempniter celebrent. & omnes pro eo celebrent.
„ Anniverſarium Ferrandi Regis Caſtelle. III. Kal. Junii. Miſſa ſolempniter in Conventu.
„ Anniverſarium Simonis Comitis Montis Fortis: & filiorum ejus. & uxorum ejus. V. Kal. Julii.
„ Anniverſarium Jacobi Predeſtini Epiſcopi. I. Kal. Julii. Pro eo una Miſſa celebretur. I. Kal. Julii.
„ Anniverſarium Comitiſſe Bleſſenſis. IIII. Idus Julii. Miſſa in Conventu ſolempniter celebretur.
„ Anniverſarium Philippi Regis Francorum: II. Idus Julii: Miſſa in Conventu ſolempniter celebretur. & omnes pro eo celebrent.
„ Anniverſarium Theobaldi Regis Navarre. II. Idus Auguſti.
„ Anniverſarium Fratrum & Familiarium noſtrorum XIV. Kal. Octobris. Fiat ſtando & Abbas in Conventu celebret & ceteri pro eiſdem cantent.
„ Anniverſarium Regis Caſtelle II. nonas Octobris. Miſſa in Conventu.
„ Anniverſarium omnium Fidelium Defunctorum & officium fiat ſtando cum tribus Lampadibus. & Abbas in Conventu Miſſam celebret & omnes celebrent pro eiſdem.
„ Anniverſarium Ludovici Regis Franchorum. VI. Idus Novembris. Miſſa in Conventu: & omnes celebrent pro eo.
„ Anniverſarium Parentum noſtrorum. VII. Kal. Decembris. Officium ſtando. & Abbas in Conventu celebret. & ceteri pro eiſdem celebrent.
„ Anniverſarium Ferrandi Comitis & Willelmi Comitis Flandrie. & Joanne Comitiſſe. IX. Decembris.
„ Anniverſarium Innocentiii PP. IV. VI. Idus Decembris. & Stephani Cardinalis. Miſſa in Conventu.
„ An-

Digitized by Google

„ Anniverſarium Blanche Regine „ Francie. & Roberti Comitis. IIII. „ Kal. Decembris. Miſſam ſolempni- „ ter in Conventu.

„ Anniverſarium Regine Bengarie. „ & Blanche Comitiſſe Campanie. „ Ducisque Auſtrie. X. Kal. Januarii. „ Privatim univerſi Sacerdotes pro eiſ- „ dem celebrent.

CODEX MCXXXIV. *f.* I. 43.

Membranaceus, cui folia 262. ſæculi XIV. Eſt BREVIARIUM ROMANUM, præfixo *Kalendario Eccleſiaſtico*.

CODEX MCXXXV. *f.* I. 45.

Membranaceus, habens folia 198. ſæculi XIV. mutilus in fine. Eſt pariter BBEVIARIUM ROMANUM.

CODEX MCXXXVI. *f.* I. 45.

Membranaceus, conſtans foliis 123. ſæculi XIII. Agitur in eo de *Eccleſiae ritibus, eorumque myſtica intelligentia*. Suſpicabamur ab initio eſſe DURANTI *Rationale Divinorum Officiorum*, ſed collatis exemplaribus, maximopere inter ſe diſcrepare cognovimus; quamquam idem fere ordo ab utroque ſervetur.

Dolendum ſane, Codicem initio, & fine carere. Specimen nihilominus juvat aliquod exhibere, & quidem ex capite *Sexageſimæ*. *Quare Sexageſima celebratur. Ideo quia per hunc numerum dierum viduitas quę in magna tribulatione eſt deſignatur. Sexaginta dies viduitatem noſtram nobis ad memoriam reducunt. Quaſi ut ſeparati a vero Sponſo pro peccatis peregrinamur a Domino. Quę percurrit infra Septuageſimam ad quartam feriam Paſchalis Ebdomadis &c.*

Fol. 101. Sequitur expoſitio *Miſſæ*, quæ incipit: *Kyrie eleyſon. ideſt Domine miſerere Chriſte eleyſon. ideſt Chriſte miſerere. Eccleſia ideſt congregatio vel convocatio fidelium &c.*

CODEX MCXXXVII. *f.* I. 48.

Membranaceus, habens folia 160. ſæculi XIV. Eſt BREVIARIUM. Hymnos, & preces ab iis multum diſtare, quæ in hodierno ſunt Eccleſiæ uſu, animadvertimus non uno in loco.

CODEX MCXXXVIII. *f.* I. 50.

Membranaceus, conſtans foliis 46. ſæculi XIV. Eſt RITUALE CISTERCIENSE; ſive *Ordo ad recipiendum Novicias ſecundum morem Ordinis Ciſtercienſis*.

Fol. 7. *Ordo ad inungendum infirmum, & Monachum Ciſtercienſem tumulandum*.

Adduntur in fine piæ quædam precationes Itala lingua ſcriptæ.

CODEX MCXXXIX. *f.* I. 51.

Membranaceus, conſtans foliis 449. ſæculi XIV. elegantiſſimo ſcriptus charactere, & aureis picturis ubique ornatus; eſt itidem BREVIARIUM cum *Kalendario Eccleſiaſtico*.

Notanda eſt *fol.* 128. precatio, quæ in die feſto S. PETRI APOSTOLI legitur: *Deus qui Beato Petro Apoſtolo tuo collatis clavibus Regni Coeleſtis animas ligandi atque ſolvendi Pontificium tradidiſti &c.* Vox *animas* in hodiernis *Breviariis* deſideratur.

CODEX MCXL. *f.* I. 52.

Membranaceus, conſtans foliis 246. ſæculi XIV. Eſt pariter BREVIARIUM, adjecto *Kalendario Eccleſiaſtico*. Quæ ſupra adnotavimus de die feſto S. PETRI, ad hunc quoque Codicem ſunt accommodanda.

CODEX MCXLI. *f.* I. 55.

Membranaceus, habens folia 96. ſæculi XV. inſcribitur *Sermo* ÆNEÆ SILVII PICOLOMINÆI *Senenſis. qui poſtea Pontificatum maximum adeptus Pius II. appellatus eſt ad Plebem ſuam Eccleſiae S. Mariae*

Digitized by Google

Mariae in Aſpach Pictavienſis Dioeceſis. Incipit: *Non eſt apud me dubium &c.*

Adſervari MS. etiam *in Bibliotheca Auguſtana* ſcribit Henricus Warthon in additionibus ad *hiſtoriam Literariam Guilielmi Cave* Tomo II. pag. 176.

Fol. 78. ejuſdem *Reſponſio data Romae Oratoribus Regis Franciae*, cujus initium. *Per me Reges regnant & legum conditores juſta decernunt &c.*

Pii Secundi Orationes numerat Muratorius *Anecdotorum* Tomo II. pag. 184. quarum nonnullae lucem nondum aſpexerunt. De hac tamen ad *Galliarum Legatos* Romae habita nullam facit mentionem. Latuit etiam Oudinum, Caveum, atque Albertum Fabricium. Ac propterea inter anecdotas adnumerandam cenſemus.

Reſponſio. Pii. Secundi. Pontificis. Maximi. Data. Rome. Oratoribus. Regis. Francie.

„ Per me Reges regnant & legum „ conditores juſta decernunt. Salomo- „ nis in Parabolis hec verba leguntur. „ Sed non ſunt Salomonis nec ſunt „ hominis ex peccato geniti. Sapien- „ tia Dei filius Dei ſplendor paternae „ gloriae id eſt ipſum Dei Verbum „ per quod facta ſunt omnia introduc- „ citur loquens.

„ Ait enim paulo poſt eadem Sa- „ pientia. Dominus poſſedit me in „ initio viarum ſuarum antequam quic- „ quam faceret a principio. Ab aeter- „ no ordinata ſum.

„ Haec eſt ergo quae loquitur in- „ creata Dei Sapientia ideſt ipſe Deus „ Dei filius qui cum Patre & Spiritu „ Sancto unus eſt Deus.

„ Sed quid ſibi vult cum ait. Per „ me Reges regnant & legum condi- „ tores juſta decernunt? profecto per- „ inde eſt ac ſi dicat.

„ Non ſunt Reges: qui Sapientiam „ ſpernunt. non ſunt Reges qui fi- „ lium Dei non audiunt. non ſunt „ Reges qui non auſcultant Evange- „ lium. nec Reges fuerunt qui an- „ te Salvatoris adventum precepta Sa- „ pientiae neglexerunt. nec Moſay- „ cam legem aut Sanctos Dei Pro- „ phetas audire voluerunt. O tu igi- „ tur quisquis es qui ſolio ſedes ebur- „ no & purpura indutus: coronam „ gemmis onuſtam in capite geris „ & ſceptrum tenes in manu & au- „ ro fulgens jura dicis populo. & le- „ gionibus imperas & Regio tumes no- „ mine. vis ſcire an tanto faſtigio ſis „ dignus? & an jure merito Rex ap- „ pellere? Delphicum illud Oraculum „ in mente habeto. noſce te ipſum. „ inſpice opera tua & interiora tua co- „ gnoſcito. ſi gubernatrix illa & do- „ mina Mundi mater & Regina virtu- „ tum Sapientia manſionem apud te „ fecit & tecum habitat & ſuae deli- „ tiae ſinit eſſe tecum: ſi recta predi- „ cant labia tua: ſi veritatem medita- „ tur guctur tuum: ſi audis filium Dei: „ ſi pares Evangelio: ſi facis judicium „ & juſtitiam & publica commoda pre- „ fers tuis: haud dubie Rex es & tanti „ nominis gloria dignus. Si ſecus agis „ tyranni perſonam induiſti non Re- „ gis. Sed quid de Ludovico Rege „ Francorum dicemus fratres? Quid „ aitis filii? Dignum ne Ludovicum „ Regio nomine judicabimus. Regia „ ne ſunt ejus opera? Regiuſne Ludo- „ vici animus? an Legationem quam „ nunc audiviſtis: pio & magno Re- „ ge dignam cenſetis? an adhuc Dei „ Sapientiam apud eum habitare judi- „ cabitis qui tam inſignem Legationem „ & de re tam deſiderata tam utili „ tam neceſſaria tam ſancta miſit.

„ Ante oculos veſtros duos Cardina- „ les cernitis magni Regis vicem agen- „ tes. quorum dignitas & auctoritas „ quanta ſit: non ignoratis. cum his „ adſtant reliqui Oratores doctrina no- „ bilitate & virtute praeſtantes. & „ quando ſimilis hoc in loco vel viſa „ vel audita Legatio eſt? & quid af- „ ferunt Regii Legati? quid petunt? „ quid ajunt?, omnia verba modeſta „ ſunt

Digitized by Google

„ ſunt obſequio fide reverentia plena. „ afferuntur maxima poſtulantur mi- „ nima.

„ Maximus Rex ſe & ſua primae „ Sedi cum omni offert obedientia & „ auxilia pro defenſione fidei maxima „ & ampliſſima dignaque domo Fran- „ ciae feramque illam peſſimam cui „ Pragmatica Sanctio nomen fuit: an- „ te oculos noſtros captivam ponit im- „ mo extinctam & prorſus adnihila- „ tam. Et quid hoc eſt? multas haec „ beſtia devoravit animas & plurimas „ devoratura videbatur: niſi Ludovi- „ ci Regis digito fuiſſet occiſa. Maxi- „ mus Regis animus & maxima virtus „ quae tale monſtrum interemit. nec „ aliud petit quam jura ſui ſanguinis „ in Regno Siciliae quae multis verbis „ Cardinalis Atrebatenſis explicavit. „ de quibus ſeorſum alio tempore lo- „ quemur. an dignus amore an dignus „ eſt laude Ludovicus. Et quem dili- „ gemus quem laudabimus: ſi hunc „ negligimus? laudatur apud gentiles „ & magnus habetur Hercules extin- „ ctor Ydrae. Majus hic monſtrum „ & periculoſius interemit. laudant Ju- „ dei ſuum Samſonem ipſius Herculis „ fere coaetaneum qui ſua nece mul- „ tis abſtulit necem. Multo hic lau- „ dabilia qui ſua vita ſervata: multis „ prebuit vitam. laudatur Ceſar Con- „ ſtantinus qui congregato apud Ni- „ ceam Patrum Concilio: vipereum „ Arrii virus ab Eccleſia eliminavit. „ glorioſior Ludovicus qui per ſe ip- „ ſum roboratam multorum a ſtipula- „ tione periculoſam Sanctionem dele- „ vit. extollitur maximis preconiis „ Sigiſmundus Imperator qui apud „ Conſtanciam Rheciae Urbem adu- „ nata magna Synodo: quod omnes „ damnabant & abhorrebant Schiſma „ ſubſtulit. Majus & utilius Ludovi- „ ci factum qui nullo adjutore ſuo „ conſilio ſuo ingenio ſua conſtantia „ eam peſtem ejecit e Regno ſuo, „ quae a plerisque non peſtis: ſed ſa- „ lus exiſtimabatur & magnos habe- „ bat defenſores & ſub ſpetie boni „ tota videbatur Eccleſiam peſſunda- „ tura. timebamus augumentum ejus „ & ecce mortua eſt. timebamus ne „ penetraret ad alia Regna & alias „ Nationes inficeret. & ecce ubi na- „ ta eſt: ibi occiſa. timuimus Ec- „ cleſiae ruinam & ecce ſalvatio. O „ bone Deus quantum hodie malum „ extinctum eſt. Ex quantis hodie pe- „ riculis erecti ſumus. tua ope ſalvati „ ſumus optime Deus. Verum eſt „ Domine Jeſu Chriſte quod dixiſti „ Apoſtolis tuis. Ego vobiſcum ſum „ uſque ad conſummationem ſeculi. „ & iterum verum eſt & verum expe- „ rimur quod Beato Petro promiſiſti. „ Tu es Petrus inquiens & ſuper hanc „ petram edificabo Eccleſiam meam. „ & porte Inferi non prevalebunt ad- „ verſus eam. Servaſti verbum tuum. „ verax es & non eſt dolus in ore tuo. „ Sepe concutitur Eccleſia ſed non „ frangitur. Sepe ventis agitatur ſed „ non mergitur. Sepe nutat ſed non „ cadit. Sepe oppugnatur ſed nun- „ quam expugnatur. Adſtat dexte- „ ra tua neque ſinit hoſtes prevalere. „ Quot ſevierunt adverſus eam procel- „ lae? quot tempeſtatibus & perſequu- „ tionibus in hanc uſque diem expo- „ ſita fuit & nunquam ſuccubuit? tuo „ ſemper munere majeſtatem ſuam ſer- „ vavit quia non avertiſti oculos tuos „ ab ea. dediſti ei Salvatores & prote- „ ctores multos & in Caelum per hunc „ modo per illum ſponſae tuae dilectae „ tuae conſuluiſti. Maximum vero & „ tutum & ſingulare praeſidium ejus in „ clariſſima Francorum domo collocа- „ ſti. Et hanc precipue familiam ele- „ giſſe videris & heroicis ornaſſe vir- „ tutibus ut eſſet quae Romanam Ec- „ cleſiam & Chriſtianam Religionem „ adverſus omnes malignantium defen- „ deret impetus. & quippe ſicut in „ veteri Teſtamento prae caeteris He- „ braeorum Regnum amaſti. Ita & „ in nova Lege Regiam Francorum „ familiam precipua quadam dilectio-

ne &

Digitized by Google

„ ne & caritate proſequeris quae Beatorum Petri & Pauli jura & privilegia ſpeciali tuetur affectu & curam habet prae caeteris Apoſtolicae dignitatis . Miramini fortaſſe fratres ac filii quod tantopere Francorum genus ac Regnum extollimus . minus dicimus quam debemus nec poſſunt aequari factis verba . Ab eo tempore quo fuit Abraam uſque. ad Chriſti adventum multa fuerunt regna . Nam antea non ſunt hiſtoriae plenae de Regibus. periere illa vetuſtiora . Antiquiſſimum ponitur Aſſyriorum Regnum quamvis & Egypti & Ethiopes priores eſſe velint & Scythae ſuam praeferant vetuſtatem . Aſſyrios delevere Medi & illos Perſae qui Macedonibus ceſſerunt . Et Macedones Romanis qui ſimul cum Parthis Orbis imperium tenuere & Carthaginenſium opes everterunt . Fuerunt & alia Regna vetuſta ſed minora his ſicut Argivorum Siciomorum Athenienſium Lacedemoniorum Troyanorum Lydorum & aliorum quam plurium . Et multi in his Regnis ſceptra tenuerunt viri excellentes ſicut Ninus & Arbaces & Cyrus & Creſus & Priamus & Agamenon & Cecrops & Egyalus & Alexander & Arſaces & ex Romanis & Africanis multi . Quorundam memoria periit . Sed hi quorum extant nomina quamvis famam habent : ſalutem non habent . Perierunt omnes viri divitiarum & nihil invenerunt in manibus ſuis quia non fuit cum eis Sapientia Dei nec per eam regnaverunt ſed ambulantes poſt deſideria carnis in peccatis ſuis mortui ſunt . Soli ex veteribus Regibus aliqui Deo accepti fuerunt qui nunc cum eo regnant ex Hebraeis ſicut filius Yſai de quo gloriatur Dominus quia invenit hominem juxta cor ſuum . ingens gloria David & Regni ejus cui cedit omnis antiquitas . At ſi comparemus Hebraeos invicem ac Francos poſt Regnum utrinque ſuſceptum non pudebit Francorum nomen anteferre eo tantum excepto quod de ſanguine David natus eſt Salvator Mundi Rex Regum & Dominus dominantium Chriſtus Dei Filius cujus imperium ſuper humerum ejus . qui de ſe ipſo ait . data eſt mihi omnis poteſtas in Caelo & in Terra . Non eſt quod in hac parte Francorum gloria priſcis flebraeis aequari poſſit : at ſi caetera conſideramus : longe ſuperior erit ſive originem gentis animo volvimus , ſive Regni amplitudinem ſeu virtutem & rerum geſtarum magnitudinem penſitamus . Inſpiciamus utriuſque gentis originem : Hebraei ex paſtoribus ad Regnum venere . Franci ex Troja profecti ſtirpem Regiam prae ſe tulerunt antequam regnarent . Atque inde ortum habent unde Romanorum Principes Julius & Auguſtus ſeſe natos eſſe gloriabantur . Exuſto enim Ilio & Priami Regno deleto Troyanorum manus in Scythiam migravit quae ultra Danubium ad Tanaym vergit . Juvenes erant Regia ſtirpe creati qui multitudinem ſecum duxere : nec Franci primo : ſed Sicambri appellati ſunt ; & diu ſicut caetere Gentes Romano Imperio ſervierunt . At imperante Valentiniano cum barbari Rempublicam invaſiſſent vocati in auxilium Sicambri : egregiam operam navarunt victoriamque peperunt . Propter quam rem libertate in decennium donati ſunt : & Franci primum appellati ex virtute nomen adepti . Hebraeis nomen indidit Heber non quemadmodum Francis ipſa virtus . Elapſo tempore cum tributum repeteretur : negatum eſt : duo tunc erant Francorum Duces priſcae nobilitatis ac virtutis Juvenes . Priamus & Antenor. ventum eſt ad praelium , vulneratus Priamus occubuit . Victi Franci multis in bello deſideratis in Ger-

Digitized by Google

„ maniam profugerunt & in Thuringia Sedes posuere. Marcomede Priami & Sunone Antenoris jam defunctis filiis Principatum obtinentibus: quibus mortuis Faramundus Marcomedis filius communi consensu gentis imperium accepit: & primus omnium Francorum Rex est appellatus: cujus Regnum circa Muganum fuit qui fluvius e Regione Maguntiae Rhenum influit. & nunc Franconia in his locis habetur. Hec est Francorum origo nobilissima profecto & altis subnixa radicibus.

„ Omnes Reges inquit Plato ex servis orti & omnes servi ex Regibus. Franci quamvis Romanis aliquamdiu subjecti fuerunt: ex Regno tamen ad Regnum pervenere & quidem nobilissimum & maximum. Nam quae comparatio Regni Hebraici ad Regnum Francorum? Hebraei in Syria tantum regnavere nec eam universam possederunt. Judea his Regnum fuit & Palaestina Regio & saepe vicinarum gentium praeda fuere. Francorum Regnum ab Alpibus Italiae usque in Occeanum protensum: rursus a Pyreneis montibus in Pannoniam procurrit: & longo tempore Italiam cum Romano Imperio tenuit. Quot preterea Regna sunt quae Reges ex Francorum domo susceperе? omittimus occidentalia. Ipsa caput & columen Hebraee gentis Hierosolyma multis annis ex Francia Reges accepit & Francorum sanguini paruit. quae una ratio satis est Hebraeos postponere. Quid Cyprum commemoremus usque in haec tempora a Francis regnatam? & Antiochiam olim diu & Tyrum & Sydonem & Achajam & Tessaliam? Ipsa Constantinopolis & Graecorum Imperium fuit diu in manu Francorum: nec hodie Regnum Franciae minus est quam tota Syria: multo vero nobilius & fortius. Nusquam tanta Hebraeorum potentia fuit quanta est Francorum: Quamvis Salomonis opes & currus & equites & aedificiorum moles supra modum efferantur. Sed ad viros transeamus: ex quibus vera laus ducitur. Laudantur ex Hebraeis Regibus aliqui multi vituperantur. contra in Francia multorum egregia facinora referuntur. Pauci reprehenduntur. Saul qui primus apud Hebraeos regnavit ipso Dei testimonio reprobatus est. Salomonis optimum Regni principium finis pessimus legitur. Filius ejus Roboam adolescentum stulto consilio credidit: & decem Tribus a se alienavit. Reges aliqui sive in Juda sive in Israel pernitiosi fuerunt. Nec excelsa abstulerunt nec Reipublicae alioquin bene consuluerunt praeter admodum paucos qui viam David ambulaverunt.

„ In Francorum genere pene innumerabiles reperti sunt viri excellentes & Deo grati. Namque ut omittamus Clodium Faramundi filium qui primus Regni fines ex Germania propagavit in Galliam & Meroveum a quo Franci Merovingi dicti sunt & alios quamplures qui legem Christianam ignoraverunt. Quis satis Clodoveum laudaverit primi Hilderici filium qui non solum Sygrium Romanum sed Alamanos Gothos & Aquitanos a Beato Dionysio baptizatus bello superavit. Carolus major in domo Franciae primi Pipini filius trecenta Sarracenorum milia si vero quadrat historia apud Aquitaniam unico praelio trucidavit & ab immanissima gente Christianum nomen liberavit. Alter Pipinus hujus filius cum aliquamdiu Majordomus fuisset: & multa edidisset praeclara opera ad Regnum tandem evectus: bis Italiam intravit ut Aystulphi Longobardorum Regis insolentiam compesceret ac Stephano Papae & Romanae Ecclesiae pie consuleret. perfregit ini-

„ quos

Digitized by Google

„ quos Ayſtulphi conatus: pacem Ita-
„ liae dedit: & Beatos Apoſtolos Pe-
„ trum & Paulum donis ampliſſimis
„ honoravit. Pipino Regi ſucceſſit Ca-
„ rolus cognomento Magnus cujus lau-
„ des nulla hiſtoria non habet: nulla
„ Poemata poſt eum edita nomen ejus
„ obticuere. Laudatiſſimus eſt inter
„ omnes Carolus. Solem conabimur
„ facibus adjuvare ſi ejus amplificare
„ laudes temptaverimus. notum eſt
„ omnibus ſidus. fulget in Orienti
„ & in Occidenti Caroli Stella: qui
„ victis Bajoariis Saxonibus edomitis
„ Sclavis ac Pannonibus ſub jugum miſ-
„ ſis ingreſſus Italiam Deſiderium Lon-
„ gobardorum Regem obſidione fati-
„ gatum cepit. Romanae Eccleſiae
„ ſuum decus reddidit Italiam pacavit.
„ Sarracenos multis affecit cladibus &
„ Patritius Romanorum deinde Impe-
„ rator Auguſtus appellatus eſt ſub cu-
„ jus alis tota ferme Europa conquie-
„ vit. Et non ſolum Eccleſiam Ro-
„ manam magnis privilegiis decoravit:
„ ſed Imperium ipſum magnificis ope-
„ ribus honeſtavit. Propter quas res
„ ideo cognomen tributum eſt quod
„ ante ipſum tribus tantummodo viris
„ communi omnium Scriptorum con-
„ ſenſu conceſſum invenimus: ut Ma-
„ gnus vocaretur. Id prius honoris
„ Alexandri Philippi filius qui uſque
„ ad Indiam victor penetravit. Deinde
„ Gnejus Pompejus qui omnia Regna
„ inter Tanaym & Nilum Romano
„ Imperio adjecit. Poſtea Conſtanti-
„ nus Helenae filius qui publice Chri-
„ ſti Eccleſias primus aperuit conſe-
„ quutus eſt. Quartus denique ex do-
„ mo Francorum Carolus dignus eſt
„ habitus qui tam preclaris hominі-
„ bus equaretur: plures fuerunt in hac
„ familia Caroli digni laude: inter
„ quos is qui nuper deceſſit: haud
„ immerito numerandus qui maxima
„ Regni ſui parte dejectus in pueritia
„ vir factus divinaque & ſua ingenti
„ virtute avitum & paternum Regnum
„ recuperavit. Fuerunt & Philippi
„ & Lotharii & Arnoldi & alii in
„ domo Franciae clariſſimi & fortiſſi-
„ mi Reges quorum facta recenſere
„ longum eſſet quando ad Ludovicos
„ feſtinat oratio. Quorum gloria in
„ ea gente ſublimis habetur.

„ Septem hujus nominis viros fama
„ excellenti fulgentes in hac familia
„ reperimus. Nec nos latet fuiſſe plu-
„ res. Sed eos proſequimur quorum
„ ſunt nomina illuſtriora. Primus fuit
„ Ludovicus Magni Caroli filius qui
„ tres natos ſuos Reges vidit. quo-
„ rum natu major Lotharius etiam
„ Romano praefuit Imperio. Alter
„ fuit Ludovicus qui Germaniam re-
„ gens Pannonos & Myſos qui nunc
„ Raſciani vocantur. & Bulgari. ſuae
„ poteſtati ſubjecit. Tertium Ludovi-
„ cum Lotharii filium ponunt. qui
„ ſuſcepto Imperio Sarracenos & Grae-
„ cos Italia pepulit & reddita Eccle-
„ ſiae pace ſuaviſſimus Imperator eſt
„ judicatus. Quartum Ludovicum eum
„ memorant qui cum Conrado Impe-
„ ratore Germano inita ſocietate ad
„ predicationem Sancti viri Bernardi
„ Abbatis Claraevallis Cruce ſignatus
„ adverſus Turcos ingentes copias in
„ Aſiam trajecit. Multaque Sarrace-
„ nis intulit damna. Quintus Ludovi-
„ cus ſigno Crucis apud Lugdunum
„ accepto cum potentiſſima in Orien-
„ tem claſſe navigavit. Damiatam ab
„ obſidione Soldani liberavit. Sarra-
„ cenos graviter afflixit res clariſſimas
„ geſſit. & quamvis adverſa fortuna
„ captus fuerit. redemptus tamen non
„ prius rediit: quam Joppem & Sy-
„ donem & Caeſareas maritimas Ur-
„ bes in poteſtate Chriſtianorum con-
„ ſtitutas tutiſſimis menibus & preſi-
„ diis communivit. Sextoque demum
„ ſue peregrinationis anno domum re-
„ viſit. non ut quieſceret aut ocio
„ marceret: ſed ut fortior rediret in
„ hoſtes. Neque enim diu moratus
„ aliam expeditionem adverſus Sarra-
„ cenos in Africa morantes inſtituit.
„ & cum tribus filiis adoleſcentibus ac
„ Theo-

Digitized by Google

„ Theobaldo Rege Navarrae & Apo-
„ ſtolico Legato comitantibus Maſſilia
„ ſolvens : apud Tuniſum copias ex-
„ poſuit non procul ab antiqua Car-
„ thagine tantisque viribus Civitatem
„ obſedit ut hoſtes de deditione con-
„ ſulerent . Sed orta lue in Caſtris
„ acerba primo Joannem Regis filium
„ deinde Legatum & poſtremo Regem
„ ipſum mundo ablatum Caelo reddi-
„ dit . Nec tamen Caſtra deſerta ſunt
„ virtute Francorum . Supervenit Ca-
„ rolus quem Siculi primum vocant
„ cujus opera his conditionibus pax
„ facta eſt ut Afri tributum penden-
„ tes : Evangelium Chriſti apud ſe
„ libere ſinerent praedicari . Tanti fuit
„ momenti virtus Quinti Ludovici cu-
„ jus etiam mortui valuit auctoritas .
„ Sextum Ludovicum Caroli Secundi
„ Siciliae Regis filium ponimus Fran-
„ corum genere natum . qui relicto
„ ſeculo in Religione Beati Franciſci
„ ita caſte ita pie ita munde vixit :
„ ut poſt obitum inter Sanctos Chriſti
„ Confeſſores ex decreto Romani Pon-
„ tificis Bonifatii VIII. relatus fuerit .
„ Maximum eſt hoc Ludovici nomen
„ in domo Francorum . Glorioſa Lu-
„ dovicorum fama & in omne tempus
„ celebranda quae in Ludovico noſtro
„ haudquaquam imminuta eſt ſed au-
„ cta potius . qui ſuorum progenito-
„ rum veſtigiis inherens talem ſe ſe
„ conatur exhibere : quales fuere ge-
„ neris auctores Clodoveos Pipinos Ca-
„ rolos Philippos imitatur : & Ludo-
„ vicus nomine priores exprimit Lu-
„ dovicos . Septimus inter eos qui cla-
„ riores habentur . vera Francorum ſo-
„ boles . verus magni Caroli ſanguis .
„ verus Ludovicorum ſucceſſor & he-
„ res . qui nec frangitur adverſis re-
„ bus nec ſecundis intumeſcit . noſcis
„ quae fuerint hujus Regis pueritiae
„ rudimenta . licteras didicit . & mo-
„ ribus imbutus optimis : Religionis
„ amantiſſimus fuit . vitiorum hoſtis .
„ virtutis cultor . in adoleſcentia mul-
„ ta ei adverſa fuerunt . accuſatus ab
„ improbis . invitus a Patre receſſit .
„ quem ſibi iniqui & maligni delato-
„ res infeſtum reddiderant . Neceſſe
„ fuit calumniatoribus cedere . Bis
„ bonus adoleſcens & in armis clarus
„ & victoriis illuſtratus : patris conſpe-
„ ctum fugere coactus eſt . & quam-
„ vis multas Urbes & multas Provin-
„ cias ex manu hoſtium recuperaverit :
„ & nomen excellens inter belli duces
„ obtinuerit . plus tamen invidia po-
„ tuit quam ſua virtus . dulcem patris
„ vultum maledica lingua ſibi fecit
„ amarum . infortunatus eo tempore
„ juvenis : non ſolum patris curiam
„ perdidit : ſed Dalfinatu quoque eje-
„ ctus eſt . Exul igitur & ex terris
„ ſine imperio ſine dominio ſine terra
„ paucis comitatus amicis in Borgun-
„ diam migravit ad Philippi Ducis con-
„ ſanguinei ſui florentes opes qui juve-
„ nem non ut exulem : ſed ut domi-
„ num accepit & veneratus eſt . apud
„ quem diu manſit fuiſſetque procul
„ dubio genitori reconciliatus (jam
„ enim innocentiam filii pater noverat)
„ niſi reditum timuiſſent qui ejecerant .
„ Sed oſtendit in obitu pius pater non
„ bene ſe pium filium ejeciſſe qui mo-
„ riens eum ſibi ſucceſſorem ordinavit .
„ Ludovicus dum extra gratiam patris
„ ageret : nihil impium cogitavit nihil
„ durum . ſed tamquam Dei judicium
„ patris arbitrium tulit dicens . haec
„ mihi accidunt quia non ſervavi Di-
„ vinam Legem . Non audivi filium
„ Dei . non parui Evangelio . non fuit
„ Sapientia Dei mecum . At ſi Deus
„ dederit ut in Regnum aliquando re-
„ deam : alium agam hominem . ſtu-
„ debo Deo placere . eique ſe ſaepius
„ commendabat , ac Beatorum Apoſto-
„ lorum Petri & Pauli patrocinia im-
„ plorabat . erat ſedulus in oratione .
„ elemoſinas quas poterat elargiebatur .
„ & multa pro ſuo reditu vota vovit .
„ exauditus eſt pro ſua juſtitia . Mor-
„ tuo patre cum ſumma omnium quie-
„ te in paterno & avito Regno recep-
„ tus eſt clamante populo benedictus

„ qui

Digitized by Google

„ qui venit in nomine Domini . ſicut
„ de Alcibiade apud Graecos traditur .
„ non tam ignominioſe abiit . quam
„ glorioſe reverſus eſt . Sed audiamus
„ quid agat Ludovicus in paterno ſo-
„ ſio collocatus . an ludis & choreis
„ indulget ? an vino madet ? an cra-
„ pula diſſolvitur ? an marcet in vo-
„ luptatibus ? rapinas meditatur ? an
„ ſanguinem ſitit ? nihil horum . id
„ tantum cogitat quomodo Deo gra-
„ tias agat . reddit vota quae vovit ,
„ ſacrificia offert Divinitati quae ſunt
„ acceptiſſima juſtitiam innocentiam
„ pietatem . expulit ut fama eſt lu-
„ ſores & blaſfemos ex Curia ſua .
„ Luxum non ſolum in rebus gravi-
„ bus ſed etiam in veſtimentis inhi-
„ buit . Ordinat inordinata . nullum
„ tempus inutiliter expendit . audit
„ ſuplices & nulli ſua jura negat .
„ O Beatum Franciae Regnum cui ta-
„ lis Rex praeſidet . O felix exilium
„ quod tale remiſit praeſidium . &
„ utinam qui regnant omnes aliquan-
„ do fuiſſent miſeri . multum valet
„ aliena vidiſſe praetoria & alienum
„ comediſſe panem . Laudatur apud
„ Homerum Ulixes qui multorum ho-
„ minum mores vidit & Urbes . nec
„ noſter David tam glorioſus fuiſſet :
„ niſi preceſſiſſet exilium & odium
„ Saulis . Digna ſunt Ludovici opera
„ quae caeteri Reges imitentur . hoc
„ eſt Regem eſſe ideſt Sapientiam Dei
„ ſecum habere & per illam regnare .
„ Non eſt igitur cur dubitemus He-
„ braeo Francorum genus & Regnum
„ praeferre . in quo tot clariſſimi Re-
„ ges & Imperatores floruerunt . Et
„ nunc Ludovicus ei praeeſt ingens
„ virtutis ſpecimen & ſingularis docu-
„ mentum pietatis . qui ut matri ſuae
„ Eccleſiae Romanae & Populis Fran-
„ ciae pie conſuleret noxiam & perni-
„ tioſam beſtiam quam vocavere Prag-
„ maticam de Regno ſuo eliminavit
„ ac prorſus extinxit . Quid aitis Fra-
„ tres ? quid cenſetis omnes ? audi-
„ mus quid tacite inter vos dicitis .
„ Cedat Francia Hebraeis propter Chri-
„ ſtum Salvatorem . Cedat alioquin He-
„ braeus Franco . Cedat & omnis An-
„ tiquitas . Nam quis Francorum ſan-
„ guinem ſatis pro meritis laudaverit ?
„ ex quo tot pullularunt excellentiſſi-
„ mae plantae tot illuſtres Principes
„ emanarunt . tot animae candidae
„ prodierunt . inter quas Ludovici
„ praeſentis Regis ſplendidiſſimam fo-
„ re confidimus . cujus glorioſa opera
„ quamvis eſſent omnibus nota : ho-
„ die tamen extincta Pragmatica atque
„ ſepulta : & reſtituto Apoſtolicae Se-
„ di decore priſtino & integra obe-
„ dientia reddita & tam magnificis
„ oblationibus pro tutela fidei noſtrae
„ factis magis ac magis innotuere .
„ Nam quae Regio in terris hujus
„ egregii facinoris non rumorem ac-
„ cepit . quis non audivit quo ani-
„ mo quo conſilio quo ingenio Prag-
„ matica ſublata eſt ? Ultra Sauroma-
„ tas & glacialem Oceanum ultra an-
„ ni Solisque vias ubi celifer Athlas
„ axem humero premit ſtellis ardenti-
„ bus aptum hujus praeclari facinoris
„ fama penetrabit . Annotabuntur haec
„ in Annalibus Regum & in archivis
„ Eccleſiarum ad poſteritatis memo-
„ riam recondentur . Nulla aetas de
„ Ludovici laudibus conticeſcet . Apo-
„ ſtolica Sedes ſibi & natis ſuis & natis
„ natorum & qui naſcentur ab illis tan-
„ tae pietatis memor gratiſſima erit .
„ Nomen ejus cum Conſtantino pri-
„ mo cum Juſtiniano cum Theodoſio
„ cum Carolo Magno cum caeteris
„ piis Imperatoribus celebrabit . Hoc
„ illi praeſtabit Eccleſia quae Chriſto
„ militat in terra . nec triumphans il-
„ la in caeleſti Hieruſalem Ludovi-
„ cum pro tam excellenti opera irre-
„ muneratum praeteribit . ſed perſe-
„ verantem in devotione ſuae matris
„ in tutela fidei in adminiſtratione ju-
„ ſtitiae in dilectione Dei & proximi
„ uſque ad finem vitae beatitudine do-
„ nabit aeterna : animam ejus laetitia
„ plenam miro ſplendore lucentem ful-
„ gen-

Digitized by Google

„ gentemque ſuſcipiet paradiſus. & in-
„ ter felices Sanctorum choros in ſede
„ lucidiſſima collocatam ad viſionem
„ admittet Omnipotentis Dei: ut cum
„ Angelis & aliis beatiſſimis Spiritibus
„ gloriae aſſiſtens: ſummo & indefi-
„ cienti bono fruatur. cujus & nos
„ cum populo nobis commiſſo partici-
„ pes efficere dignetur pietas Divina.
„ cui eſt honor & gloria per infinita
„ ſecula. amen.

CODEX MCXLII. *f.* I. 56.

Membranaceus, conſtans foliis 174. ſæculi XIV. Multi continentur in eo Sermones, non memorato autoris nomine. Primus, qui eſt de *Adventu Domini*, incipit: *Abiciamus opera tenebrarum & induamur arma lucis &c.*

Poſtremo *fol.* hæc leguntur, a recentiore ſcriba, ut nobis videtur, adjecta.

Anno Domini MCCCCXXXII. *mortuus eſt Illuſtriſſimus Dominus Dominus Amedeus Princeps Pedemontii, & Domina Bona Principiſſa*: quibus in verbis mendum profecto latet: nam AMEDEUS *Princeps Pedemontii* diem poſtremum obiit anno 1431. ut ſtatuit Thomas Blanc in *Hiſtoria Sabaudica* pag. 83.

CODEX MCXLIII. *f.* I. 57.

Membranaceus, conſtans foliis 163. ſæculi XIV. in quo *Anonymi Tractatus Aſcetico-Moralis* de *virtutibus & vitiis*. Incipit: *Hec eſt via ambulate in ea non ad dexteram non ad ſiniſtram &c.*

Fol. 153. *Kalendarium Eccleſiaſticum*, cui ſubjicitur fragmentum *Ordinis Divini Officii* in diebus feſtis Sanctorum.

CODEX MCXLIV. *f.* I. 58.

Membranaceus, conſtans foliis 402. ſæculi XIV. Sermones exhibet de *Adventu Domini*. Primus incipit: *Erunt ſigna in Sole & Luna Luc. XXI. Quamvis Chriſtus Jeſus in morte cujuslibet ſingulare judicium &c.*

CODEX MCXLV. *f.* I. 59.

Membranaceus, ſæculi XIV. habet folia 101. Sunt pariter ſermones, prætermiſſo autoris nomine, de *diebus Dominicis*, de *diebus feſtis Sanctorum*, & *B. M. Virginis*. Incipiunt ab ADVENTU DOMINI: *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. cum brevis ſit vita noſtra &c.*

Fol. 84. *De rebus quibus frui debemus*. Tractatus dicitur excerptus e S. AUGUSTINI *libris de Doctrina Chriſtiana*.

Fol. 95. Tractatus de *Oratione*, cujus initium: *Poſt Latriam & Duliam de Oratione*. Deſideratur autoris nomen.

CODEX MCXLVI. *f.* I. 60.

Membranaceus, conſtans foliis 144. ſæculi XIV. Mutilus principio, varios *Anonymi* continet ſermones *in diebus feſtis Sanctorum*, quibus ſubjiciuntur ſermones alii *in die Defunctorum*: his autem præit *ſermo habitus in Miſſa nova*, qui incipit: *unxit te Dominus Deus tuus oleo leticie &c.*

Fol. 142. Fabellæ quædam cum earundem explicatione morali. Habe exemplum in *Arietis* apologo.

Arietes ſemel pugnabant ad invicem. ita ut Sanguis flueret inter quos vulpes ſe poſuit. quam interfecerunt. Exemplum. cum videris aliquos potentes inter ſe rixantes non te intromittas de eis.

CODEX MCXLVII. *f.* I. 61.

Membranaceus, conſtans foliis 384. ſæculi XIV. in quo primum *Tabula*, qua traditur modus inveniendi diem *Paſchatis* ad multos annos. Poſtea ſermones ignoti autoris.

Fol. 219. *Prefationes & Oblationes pro Miſſis Apoſtolorum* & *B. M. V.* & aliorum Sanctorum.

Fol. 302. *Ordo commendationis anime.*

CO-

Digitized by Google

CODEX MCXLVIII. *f.* 1. 62.

Membranaceus, conſtans foliis 138. ſæculi XIV. Sermones complectitur ſine autoris nomine de *Adventu* & *diebus feſtis Dominicis*. In fine eorundem tabula. Primus eſt de *Adventu*, cujus initium, *Tempus renovationis incepit a Moyſe &c.*

CODEX MCXLIX. *f.* I. 63.

Membranaceus, habens folia 96. ſæculi XIV. in quo pariter ſermones *Anonymi de Sanctis*, quibus adduntur alii de *Adventu*, & de *Nativitate Domini*. Primus ſermo laudes continet S. CLARÆ, & incipit; *Soror veſtra parva eſt. Admirantibus viris Sanctis &c.*

CODEX MCL. *f.* I. 64.

Membranaceus, conſtans foliis 105. ſæculi XV. mutilus principio, in quo *Sermones in diebus Quadrageſimae*.

CODEX MCLI. *f.* I. 65.

Membranaceus, habens folia 204. ſæculi XIV. in quo *Sermones Quadrageſimales compilati per* FRATREM JACOBUM DE VORAGINE *in capite Jejunii*.

CODEX MCLII. *f.* I. 66.

Membranaceus, cui folia 194. ſæculi XIV. Iterum JACOBI DE VORAGINE ſermones, quorum primus de *Adventu* incipit: *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. Rex noſter venit cui occurrere neceſſarium eſt &c.*

In fine hæc leguntur.

Explicit opus Dominicale Domini Epiſcopi (exſtabat nomen, ſed ab iniqua manu deletum fuit) *de Epiſtolis & de Evangeliis. Deo Gratias.*

Fol. 79. *Sermones Sanctorum* FRATRIS DE URTADA *Ordinis Predicatorum*. Primus eſt de *S. Andrea*, cujus initium: *Sapientiam Sanctorum narrent populi &c.*

Nulla eſt apud Eccardum mentio *Fratris de Urtada*.

Fol. 171. *Liber de interiori homine*, perperam *D. Bernardo* adſcriptus.

CODEX MCLIII. *f.* I. 67.

Membranaceus, conſtans foliis 114. ſæculi XIV. ad finem. Sermones continet de *Sanctis*, tacito autoris nomine. Incipiunt a *Divo Andrea Apoſtolo*: *Gemma gratiſſima expectatio preſtolantis &c.*

In fine adjecta eſt tabula *Sermonum*.

CODEX MCLIV. *f.* I. 68.

Membranaceus, conſtans foliis 175. ſæculi XIV. Sermones pariter continet de *Sanctis*, & aliis diebus feſtis. Primus ſermo *eſt in Vigilia Nativitatis Domini*, & incipit: *Quamvis Adventus Salvatoris multis patribus promiſſus &c.*

Sermones binæ ſequuntur tabulæ, altera *Sermonum*, altera *locorum Sacræ Scripturæ*.

Fol. 144. Fragmenta tractatus de *Accentu*, ſine autoris nomine.

CODEX MCLV. *f.* I. 71.

Membranaceus, folia habens 161. ſæculi XIV. in quo *Sermones Quadrageſimales* FRATRIS JACOBI DE VORAGINE.

CODEX MCLVI. *f.* I. 73.

Membranaceus, conſtans foliis 249. ſæculi XIV. in quo *Sermones de Sanctis*; hoc ordine.

Fol. 8. Sermo de *Adventu Domini* MAGISTRI JOHANNIS DE AURELIANIS, cujus initium: *Hora eſt jam nos de ſopno ſurgere in principio rogabimus Dominum &c.*

Fol. 13. Sermo de *B. Andrea* FRATRIS BARTHOLOMEI DE BONONIA. Incipit: *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem &c.* Meminit hujuſce Scriptoris, qui fuit *ex Ordine Prædicatorum*, Albertus Fabricius Tomo I. pag. 470. *Biblioth. Med. & Inf. Lat.*

Digitized by Google

Fol. 25. Sermo *B. Thome Apoſtoli* FRATRIS SIMONIS DE LANDIACO, cujus initium; *Quia vidiſti me Thoma credidiſti &c.*

Fol. 29. Sermo *B. Nicholai* MAGISTRI DRAGONI. Incipit: *Ego autem ſicut Oliva fructifera &c.*

Magiſtrum Dragonum vocat Albertus Fabricius Tom. II. pag. 196. *Bibl. Med. & Inf. Latin.* Monachum Benedictinum; recenſens autem ejus opera, prætermiſit *Sermonem de Beato Nicolao.*

Fol. 42. Sermo de *Nativitate Domini* FRATRIS GUILLERMI DE LUSCY, cujus initium: *accipe puerum iſtum & nutri mihi &c.*

Fol. 48. Sermo *in feſto B. Stephani* MAGISTRI GERARDI DE REMIS. Incipit: *Stephanus plenus gratia & fortitudine &c.*

Fol. 53. Sermo *in feſto B. Johannis Apoſtoli & Evangeliſte* FRATRIS .... DE PERUVINO. Incipit: *Danti mihi Sapientiam dabo gloriam &c.*

Fol. 58. Sequitur *Collacio*, quæ incipit: *Danti mihi Sapientiam. ideſt hodie diximus quod in verbo iſto ſingulariter commendat Beatus Job &c.*

Fol. 60. Sermo *in feſto Innocentium* FRATRIS JOHANNIS DE FACIO *Ordinis Fratrum Minorum*; cujus initium: *Recordare obſecro quis unquam innocens periit &c.* Addendus hic Scriptor *Bibliothecæ* Wadingi.

Fol. 66. Sermo *in Circumciſione Domini* MAGISTRI RAYMUNDI *Archiepiſcopi Inorinenſis*. Incipit: *Poſtquam conſumati ſunt dies octo &c.*

Fol. 71. Sermo *in Epiphania* FRATRIS EGIDII DE MILE *Scolarum regentis in Theologia*, cujus initium: *Apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera &c.*

Fol. 77. Sermo *in feſto Epiphanie Domini* FRATRIS JOHANNIS DE WDY. Incipit: *Baptizatus Jeſus aſcendit & ecce aperti ſunt &c.*

Qui ſequuntur ſermones, incerti ſunt, ingnotique Scriptoris.

Fol. 80. Sermo de *B. Vincentio*. Incipit: *Vincenti dabo Manna abſconditum &c.*

Fol. 85. Sermo de *Purificatione*, cujus initium: *Poſtquam completi ſunt dies octo &c.*

Fol. 88. Sermo alter de *Purificatione*, qui incipit: *Suſcepit te dextera &c.*

Fol. 93. Sermo *in Cathedra S. Petri*; cujus initium: *Ecce Simon frater &c.*

Fol. 96. Sermo de *B. Benedicto*, qui incipit: *fons parvus &c.*

Fol. 99. Sermo alter de *B. Benedicto*, cujus initium: *Benedictus vir qui confidit in Domino &c.*

Fol. 102. Sermo *in feſto B. Mathie*, qui incipit: *Confiteor tibi Pater Domine Celi &c.* Sermoni adjuncta eſt *Collacio*, cujus initium, *Confiteor tibi Pater Domine Celi & Terre. Verbum iſtud ſcriptum eſt &c.*

Fol. 106. Sermo *in Annuntiatione*, qui incipit: *qui creavit me &c.*

Fol. 108. Sermo alter de *feſto Annunciationis*, cujus initium: *Quod naſcetur ex te Sanctus vocabitur &c.*

Fol. 111. Sermo de *ramis Palmarum*, qui incipit: *acceperunt Ramos Palmarum &c.*

Fol. 112. Sermo ſecundus de *Ramis Palmarum*, cujus initium: *fulcite me floribus &c.*

Fol. 115. Sermo de *Reſſurectione Domini*; qui incipit: *Surrexit Dominus & precedet vos &c.*

Fol. 118. Sermo alter de *Reſſurectione*, cujus initium: *Refloruit caro mea &c.*

Fol. 120. Sermo de *B. Marcho Evangeliſta*, qui incipit: *Tu vero vigila in omnibus labora &c.*

Fol. 125. Sermo *Philippi & Jacobi*, cujus initium: *Iſti ſunt duo filii &c.*

Fol. 129. Sermo de *Aſcenſione Domini*, qui incipit: *Dominus in Celo paravit ſedem &c.*

Fol. 131. Sermo ſecundus de *Aſcenſione Domini*, qui incipit: *Aſcendit Deus in jubilatione &c.*

Fol. 134. Sermo *de die Pentecoſtes*, cujus initium: *Effundam de Spiritu meo &c.*

Fol. 136. Sermo de *Nativitate Domini*,

Digitized by Google

mini, cujus initium: *Cum venerit quasi fluvius &c.*

Fol. 140. Sermo de *Trinitate*: cujus initium: *Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu &c.*

Fol. 143. Sermo de *Sancto Barnaba Apostolo*, cujus initium: *Segregate mihi Barnabam &c.*

Fol. 145. Sermo de *Sancto Johanne Baptista*, cujus initium: *Puer crescebat &c.*

Fol. 147. Sermo secundus de *S. Johanne Baptista*, cujus initium: *Gloriam precedit humilitas &c.*

Fol. 171. Sermo de *Apostolis Petro & Paulo*, cujus initium: *Sol & Luna obtenebrati sunt &c.*

Fol. 173. Sermo secundus de *SS. Petro & Paulo*, cujus initium; *Saul & Jonathas &c.*

Fol. 174. Sermo de *B. Maria Magdalena*, qui incipit: *Mulierem fortem quis inveniet &c.*

Fol. 177. Sermo de *Assumptione B. Marie*, cujus initium: *Rex Salomon dedit &c.*

Fol. 180. Sermo de *B. Jacobo*, qui incipit: *Veni mittam te ad Pharaonem &c.*

Fol. 183. Sermo secundus de *Assumptione*, cujus initium: *Elevata est nubes de Tabernaculo &c.*

Fol. 184. Sermo de *B. Bernardo*, qui incipit: *Surrexit Moyses &c.*

Fol. 188. Sermo alter de *B. Bernardo*, cujus initium: *Ecce intelliget &c.*

Fol. 190. Sermo de *B. Laurentio martyre*, qui incipit: *Liberasti me Domine &c.*

Fol. 194. Sermo de *B. Bartholomeo Apostolo*, cujus initium: *Dilectus meus candidus &c.*

Fol. 199. Sermo de *Nativitate B. Marie Virginis*, qui incipit: *Vidi Celum novum & Terram novam &c.*

Fol. 200. Sermo secundus de *Nativitate B. M. V.* cujus initium: *Veni in ortum meum Soror mea &c.*

Fol. 204. Sermo de *Inventione Sancte Crucis*, qui incipit: *Erumpit radix ejus &c.*

Fol. 207. Sermo de *Exaltatione Sancte Crucis*, cujus initium: *Exaltavi lignum &c.*

Fol. 212. Sermo de *Sancto Michaele Archangelo*, qui incipit: *Angeli eorum qui in Celis sunt &c.*

Fol. 218. Sermo de *B. Matthæo Apostolo*, cujus initium: *Sequere me &c.*

Fol. 222. Sermo de *S. Luca Evangelista*, cujus initium: *Vidi Angelum ascendentem &c.*

Fol. 226. Sermo de *Apostolis Symone & Juda*, cujus initium: *Isti duo constituti &c.*

Fol. 230. Sermo de *omnibus Sanctis*, qui incipit: *Congregate illi &c.*

Fol. 233. Sermo alter de *omnibus Sanctis*, cujus initium: *Species Celi. gloria Stellarum &c.*

Fol. 235. Sermo *in Commemoratione animarum*, qui incipit. *Miseremini mei &c.*

Fol. 237. Sermo de *S. Mauritio*, cujus initium: *Cunctis diebus quibus nunc milito &c.*

Fol. 241. Sermo de *B. Katherina*, qui incipit: *fortitudo & decor &c.*

Fol. 245. Sermo de *Sancto Spiritu*, cujus initium: *Gladium Spiritus accipite &c.*

In fine exstat tabula *Sermonum*. Prima Codicis folia desiderantur, quæ alterum de *Adventu* Sermonem continebant, ut ex tabula dijudicare facillimum fuit.

CODEX MCLVII. *f.* I. 76.

Membranaceus, constans foliis 395. sæculi XIV. Idem omnino, ac *f.* I. 65. multos exhibet Sermones de *Sanctis*. Notatu digna est hypographe, quæ in primo folio post Sermonum indicem rubro charactere exarata legitur.

Bonum opus si correctum foret. Eadem hypographe repetitur in fine.

CODEX MCLVIII. *f.* I. 82.

Membranaceus, sæculi XIV. con-

Digitized by Google

ſtat foliis 190. Sunt pariter *Anonymi* Sermones. Initium ſit ab ADVENTU DOMINI. *Veniet deſideratus Gentibus &c.*

Fol. 149. Sequuntur Sermones de *Quadrageſima*, incerti itidem autoris. Primus incipit: *Ductus eſt Jeſus in deſertum ut temptaretur a diabolo &c.*

Fol. 189. Sermones duo de *mortuis*, *Anonymi* quoque autoris.

CODEX MCLIX. *f.* I. 87.

Membranaceus, conſtans foliis 136. ſæculi XIV. in quo Sermones de *Adventu Domini*, aliiſque diebus feſtis, ſine autoris nomine.

CODEX MCLX. *f.* II. 21.

Membranaceus, folia habens 188. ſæculi XIV. ubi *Expoſitio prologorum S. Hieronymi in libros Veteris Teſtamenti*; quam concinnavit GILBERTUS cognomento CRISPINUS, ut ſcribit Cave Tom. II. pag. 183.

Fol. 10. *Exceptiones Epiſtolarum B.* HIERONYMI.

Fol. 13. Sententiæ morales hinc inde excerptæ.

Fol. 14. Quædam de *Genealogia B. M. V.*

Fol. 23. Commentarius *Anonymi* interpretis in illa verba *Cantici Canticorum*: *Ibo ad montem ad montem Mirrhae &c.* Incipit: *Sponſus quidam hic loquitur qui ſponſam habet &c.*

Fol. 28. *Anonymi* Commentarius in illa *Evangelii* verba: *Negotiamini dum venio*, cujus initium: *Ait Dominus in Evangelio Negotiamini dum venio &c.*

Fol. 39. Dialogus AUGUSTINI *ad Oroſium Presbyterum.*

Fol. 53. S. AUGUSTINI *Sententia & Judicium de Rege Salomone*; excerpta ex ejus expoſitione *Libri Geneſeos.*

Fol. 79. Sermones *Anonymi* autoris. Primus eſt *in die feſto Paſchatis*, & incipit: *Reſſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti feſtivitas &c.* Hic ſermo, & ſequentes uſque ad *fol.* 128. grandiori charactere, & quidem venuſtiſſimo ſcripti ſunt.

Fol. 128. Sermones *Anonymi* autoris Gallica vetuſtiori lingua ſcripti. Præponitur cuique textus *Scripturæ*, & argumentum Latino idiomate exaratum.

Primus Sermo eſt de *Decimis* & *primiciis*; cujus initium: *Decimas debetis & primicias dare Domino. ideſt Sacerdotibus & Pauperibus &c.* Poſtea Gallico idiomate; *les deſmes & les primicies li Xpien feel devent doner a Sainte Egliſe e as preveires & pauperibus &c.*

Fol. 131. Sermo *in Dominicis diebus*, cujus initium: *Dominus in Evangelio Beati Miſericordes &c. Seignor frere noſtre Sire dit en ſon Evangeli &c.*

Fol. 133. Sermo de *Adventu Domini*, cujus initium: *fratres hora eſt jam nos de ſompno ſurgere: freres zodit l' Apoſtol ben eſt hora que vos levez de dormir &c.*

Fol. 136. Sermo *in Natali Domini*, cujus initium: *Fratres Kariſſimi hodie celebramus Sanctam Nativitatem Chriſti &c. Seignor or celebrez la Sancta Nativita del noſtre Seignor Jehſu Xpiſt.*

Fol. 139. Sermo *Cotidianus*, cujus initium: *In Canticis Canticorum loquitur Spiritus Sanctus de gradibus Sancte Eccleſie &c. Fratres Kariſſimi Saint Eſperit perla en un liber que nos apeles Cantica &c.*

Fol. 142. Sermo *in Dominicis diebus*, cujus initium: *Criſtus docuit orare diſcipulos ſuos &c. Notre Seigneur Jeshu Xpiſt enſeigne a ſoi diſcipoil e qual guiſa il devevean orer &c.*

Fol. 145. *Exemplum de tribus amicis.* Incipit: *Un eiſemple d un bon hom qui ot tres amis. L un era ric & l autre era ric. mas non era ſi ric &c.*

Fol. 147. Sermo *in Dominicis diebus*, cujus initium: *Criſtus loquitur in Canticis Canticorum ibo ad montem &c. Xpiſt parola a Sainta Eccleſia en un liber que um apela Cantica. e ſi dis e irai ala montaigna dela Mirra.*

Fol. 151. Sermo itidem *in Dominicis diebus*, cujus initium: *Legimus in Pentateuco.*

Digitized by Google

tateuco. Seignor frare nos legem en un de libres que Moiſes eſcrit que apres la ſoa mort &c.

Fol. 158. Sermo *in Nativitate Domini. vel cotidianus.* Incipit: *Apparuit Deus in forma &c. Notre Seigneur apparec en la noſtra forma que el aveva criaa ex nihilo &c.*

Fol. 165. Sermo *in die Pentecoſten*, cujus initium: *Spiritus Sanctus loquitur. Per la bocha del Propheta David. Saint Eſperit ſi parla per la boca del Rei David &c.*

Fol. 168. Sermo *in Dominicis diebus*, cujus initium: *Sancta Eccleſia loquitur. Sancta Eccleſia parla alle anime feel. & ſi lor dit neire ſoi mas eo ſoi bela filles de Jeruſalem &c.*

Fol. 169. Sermo alter *in Dominicis diebus*. Incipit: *Audite filii lucis &c. a queſta ſentenza & a queſt ſael d un Xpiſt catze cels qui vendean & acatavan el Temple de ſo pare &c.*

Fol. 171. Sermo de *Dominica ſecunda Quadrageſime*; cujus initium: *Rogamus vos & obſecramus fratres &c. Saint Pol prea & amonis los feel de Deu que ſi cun il an enpres de lui & deil autre qui la Xpianita ordineren &c.*

Fol. 173. Sermo *comunis. vel cum volueris*, cujus initium: *Legimus in libris Regum &c. Nos legem el Liber del Rei de Vei Teſtament que a quela gent que hom apelava Philiſtim &c.*

Fol. 176. *in Quadrageſima*. Incipit: *Quadrageſime diebus fratres kariſſimi oportet nos humiliare &c. Zo eſt trop beivre & trop manger. & de multiloquio. & de ſcurrilitate. & de trop parler & dir vane parole &c.*

Fol. 178. Sermo *in Dominica III. Quadrageſime*. Huic nullum præfixum eſt Latinum argumentum, ſed ſtatim incipit: *Saint Pol nos amonis en una ſoa piſtola que avez ora & ſi nos dis, eſtote imitatores Dei.*

Fol. 179. Sermo de *die Natali Domini*, cujus initium: *Salvator noſter hodie natus eſt &c. Zo dis l' eſcritura que no de aver triſticia la joja &c.*

Fol. 182. Sermo *Cotidianus. vel in exaltatione Sancte Crucis*. Omiſſo Latino textu, incipit: *Lo Prophete David ſi dis el Pſalme &c.*

Fol. 182. Sermo de *die Dominica Quadrageſime*, cujus initium: *Ductus eſt Jeſus in Deſertum &c. Seignor fratre zo corta l Evangeliſta que a lo que notre Seignor Jeshu Xpiſt fo batea fo mena el deſert &c.*

Fol. 185. Sermo *in Ramis Palmarum*, cujus initium: *Cum appropinquaſſet Dominus Jeruſalem &c. Dis que notre Seignor dis ail Angel. Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt ſciens bonum & malum. e que vos Adam qui eſt fait ſicut un de noi ſapiant ben e mal &c.*

CODEX MCLXI. *f.* IV. 25.

Membranaceus, conſtans foliis 288. ſæculi XV. in quo JOANNIS DE ARETIO *Solitarius, ſive ſumma moralis*, ordine alphabeti digeſta.

In fine.

Explicit Liber Solitarii editus a Fratre Joanne de Aretio Ord. Fratrum Minorum.

De hoc Scriptore *Ordinis Fratrum Minorum* ne verbum quidem apud Lucam Wadingum.

CODEX MCLXII. *f.* IV. 34.

Chartaceus, habens folia 225. ſæculi XV. in quo primum BARTOLI DE SAXOFERRATO *tractatus in illud caput ex conſtitutionibus Fratrum Minorum; an bona ſecularia ad illos virtute Teſtamenti devenire poſſint.*

In fine.

Explicit Liber Minoritarum compoſitus per Excellentiſſimum Legum Doctorem Dominum Bartolum de Saxoferrato. Scriptus per me Martinum Nicolai Clericum Trajectenſis Dioeceſis de Texalia.

Fol. 39. Tractatus *Anonymi* Scriptoris de bonis, quæ ex populi concordia oriuntur; & de malis, quæ ex ejuſdem diviſione emanant. Incipit: *Omne Regnum*

Digitized by Google

Regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur &c.

Videtur editus hic tractatus eo tempore, quo *Guelphorum*, & *Gibellinorum* iræ ferveſcebant; ſiquidem autor acerbe eos inſequitur.

Fol. 87. Fratris Hieronymi de Florentia *Rothimata*, ſive Quæſtiones in varia *S. Evangelii* loca. Deſiderantur prima verba.

In fine *folii* 94. hæc leguntur.

Expliciunt Rothimata Magiſtri Hieronymi de Florentia Ordinis Predicatorum 1444. *die* 4. *Aprilis ſcripta per me Fratrem Ludovicum de Cherio Ordinis Minorum*. 1444. *die* 24. *Septembris hora tertiarum*.

Eccardus, qui *Ordinis Prædicatorum Scriptores* collegit, & recenſuit, *Fratrem Hieronymum de Florentia* omiſit, ejuſque erotemata.

Fol. 93. Sequuntur Sermones, ſine autoris nomine, quorum primus eſt *de Dominica Palmarum*, & incipit. *Jeſus Nazarenus Rex Judeorum ad laudem & gloriam nominis &c.*

Fol. 155. Eſt tractatus *Anonymi* Scriptoris de *Sacramentis Eccleſiæ*, cujus initium: *Queritur primo de Baptiſmo &c.*

CODEX MCLXIII. *f.* IV. 35.

Membranaceus, conſtans foliis 134. ſæculi XV. literis initialibus aureis, & figuris affabre pictis ornatus, in quo *preces ad Deiparam Virginem*. Præmittitur *Kalendarium Eccleſiaſticum* Gallico idiomate ſcriptum.

CODEX MCLXIV. *f.* IV. 36.

Membranaceus, habens folia 146. ſæculi XV. figuris auro, multiplicique colore delineatis præſtantiſſimus, eaſdem continet *preces ad Deiparam Virginem*, præmiſſo pariter *Kalendario Eccleſiaſtico*.

CODEX MCLXV. *b.* I. 8.

Membranaceus, ſæculi XV. conſtans foliis 68. perquam elegantis characteris, variiſque ornamentis, & aureis literis quamplurimis præſtantiſſimus, orationes quatuor nobis exhibet Cardinalis Bessarionis ad Principes Italiæ de Chriſtianorum calde in Chalcide Eubœæ, de periculis Italiæ imminentibus, expugnato Hydrunto, de ſedandis diſcordiis, & decernendo bello in Turcas: quibus ſubjicitur perſuaſio ex *Demoſthenis Olynthiaca*. Hæc omnia edita exſtant inter *conſultationes, atque orationes Turcicas Nicolai Reuſneri* an. 1596. volum. II. pag. 197.

Notatu, & lectu digniſſima eſt præfatio, quæ orationibus præmiſſa legitur in Regio noſtro Codice. Cum enim Beſſario orationes has Latine a ſe compoſitas miſiſſet ad Guilielmum Fichetum Sabaudum, Rectorem Univerſitatis Pariſienſis, Sacræ Theologiæ Doctorem, ac virum, ut habet Roſſottus in *ſyllabo Scriptorum Sabaudorum* pag. 250. *magnum doctrina, eruditione, & prudentia*, ut res iis contentas Galliarum Regi, aliiſque Principibus explicaret, eas Fichetus, in hoc volumen collectas, obtulit Sabaudiæ Ducibus, ſcripta ad eoſdem epiſtola, qua eos hortatur, ut bellum fortiter capeſſant, atque aviti ſplendoris memores pro religione, atque Italiæ ſalute defendenda vires ſuas, operamque præſtent. Porro autem epiſtola eſt hujuſmodi.

„ Illuſtriſſimis Principibus Amedeo
„ Sabaudiae duci ejusque fratribus Guil-
„ lermus Fichetus Pariſienſis Theolo-
„ gus Doctor patria vero Sabaudus ſa-
„ lutem plurimam plurimo cum hono-
„ re mittit.

„ Si Sereniſſimi Principes veſtrae de-
„ ſideratis excelſae familiae nomen in
„ dies altius extollere. profecto ve-
„ ſtram Chriſtianaeque reipublicae cau-
„ ſam quam hujus opuſculi ſuaviſſima
„ lectio vos docebit, alacres accinge-
„ mini cognoſcere cognitamque tueri.

„ Beſ-

Digitized by Google

„ Beſſario Sabinenſis Epiſcopus Con-
„ ſtantinopolitanus Patriarcha, quem
„ vulgo Nicenum Cardinalem appel-
„ lant, operis ſui quod ipſe nunc ad
„ vos mitto mihi jam pridem exem-
„ plar reddi juſſit, ſimulque praecepit
„ ut apud Chriſtianiſſimum Regem &
„ Principes alios Chriſtianae defenſio-
„ nem religionis adverſus immaniſſi-
„ mum Turcum ſuaderem. quemad-
„ modum paulo poſt illius ad me lite-
„ ris cognoſcetis. Interea tametſi tan-
„ tum illius faſcem humeri fragiles mei
„ initio recuſabant. tamen vicit impri-
„ mis Chriſtianae religionis amor & di-
„ gnitas. in qua non tantum iniciatus
„ ſum ut caeteri. verum hanc etiam
„ in doctoralis meae profeſſionis ſuſce-
„ ptione docturum me defenſurumque
„ morte poſthabita ſpopondi. vicit
„ etiam graviſſima Beſſarionis patris au-
„ ctoritas. cui pro ſingulari ſua digni-
„ tate ſanctiſſimoque deſyderio defo-
„ re labores meos non patiar. ſed ne
„ vitae quidem in tam oportuno ne-
„ gotio ſubire recuſabo diſcrimen. Vi-
„ cit praeterea quam inde futuram
„ multo majorem excelſae domus ve-
„ ſtrae gloriam ſpero certiſſimeque con-
„ jecto. Tantiſper tamen exequi quae
„ jubebantur intermiſi. dum hic & iſtic
„ domeſtici belli rumores compoſitos
„ certo cognoſcerem. Nunc vero in
„ tempore non committam. ut aut
„ parumper defuiſſe profeſſioni meae
„ jure coarguar. aut Niceno Patri pro
„ virili mea parte non paruiſſe. aut
„ quod opus caeteris Galliarum Ger-
„ maniarumque Principibus, & aliis
„ viris praeſtantibus alias ipſe coram
„ exhibui dedique compluribus, alias
„ meis cum literis miſi, aliaſve brevi
„ miſſurus ſum; veſtris videar Sere-
„ nitatibus oculuiſſe. praeſertim quum
„ bellum quod ab omnibus Chriſtia-
„ nis monet Beſſario perfidis hoſtibus
„ inferri. nullius quam veſtra magis
„ interſit. Quippe quibus domeſtica
„ jactura & illata familiae contumelia
„ ſtimulus ad hoc bellum eſſe debebit.
„ Enimvero non recuperandi ſolum
„ Cyprici regni ſed Armenici quoque
„ & Hieroſolimitani vobis debiti vo-
„ bis erepti reliqua nimirum iſta cer-
„ tiſſima ſpes eſt. Quin copiis veſtris
„ ſimulque Chriſtianorum omnium quas
„ Beſſario veſtros in hoſtes ciet & ar-
„ mat, haud ſane difficile fuerit opu-
„ lentiſſima veſtra regna perfidis illis
„ predonibus eripi. vobisque reſtitui.
„ Neque vincendi facultas antehac fuit
„ major. aut poſthac vobis affutura
„ eſt. utpote tot una domo lectiſſimis
„ fratribus ſanguine natis praecelſo.
„ aetate florentiſſima. magnanimis bel-
„ latoribus, domi forisque pace fruen-
„ tibus. ſummis ducibus, ſummis Re-
„ gibus, ſummis Imperatoribus foe-
„ dere beneficio ſtirpeque conjunctis.
„ Eccleſiae ſanctae Romanae amiciſſi-
„ mis. Pontifice maximo non ſolum
„ optimo & ſanctiſſimo ſed & con-
„ terraneo & veſtri generis amantiſſi-
„ mo, & in hoc conficiendo bello
„ duce ſocioque vobiſcum affuturo.
„ Quin ſi pergitis arma capeſſere.
„ mox omnem Germaniam Galliam.
„ Heſperiam Italiam. omnem deni-
„ que animum Chriſtianum veſtros in
„ hoſtes incendetis veſtrum in amo-
„ rem tutelamque rapietis. Optimus
„ bellator quisque ſigna veſtra ſubibit.
„ tuebitur atque extollet. Crux iſta
„ candida per omnem Graeciam unde
„ quondam domum veſtram ſe victri-
„ cem extulerat. hoſtes fidei effulmi-
„ nabit. e ſervitute ſitu ſqualore luctu
„ carceribus Chriſtianos diſſolvet quam-
„ plurimos. Denuo Macedones Ame-
„ deique veſtri trophea imponent ſua
„ Graecis limitibus. Vobis ſiquidem
„ non modo genus antiquiſſimum a
„ Macedonibus eſt. Verum quoque
„ Gentilibus veſtris fatale fuit Grae-
„ ciae dominari. Etenim proavus il-
„ le veſter Philippus armis ſibi ſuaeque
„ familiae ſubjecit Graeciam omnem.
„ Alexander ejus filius qui Imperii jus
„ a patre percepit. tum latiſſimum
„ terrarum orbem Macedonibus bello

„ quae-

Digitized by Google

„ quaesivit . cujus splendidissima pro-
„ sapia quoquo postea se contulit sem-
„ per dominata est . Nam in omni ter-
„ rarum parte nedum in Graecia stirps
„ Macedonica regna pulcherrime gessit .
„ Quin etiam a Graecis posteaquam
„ nomen Imperii ad Germanos traje-
„ cit Pontifex maximus . Othonibus
„ in Saxonum avita vestra domo lon-
„ ga quippe successione sedem accepit .
„ Et quod praecellentiori Pontifex me-
„ rito postea voluit electionis jure man-
„ dari . tanquam haereditaria Saxoni-
„ bus praecellentia fuisset . multis sae-
„ culis assidua Imperii electio Saxoni-
„ cis aedibus hospitata est . immo pro-
„ pemodum haereditaria pocius facta .
„ Quandoquidem non tam a proavis
„ Macedonibus a quibus coeperat eo
„ se recepit : sed ob egregia quoque
„ miliciae facinora splendorem alibi pa-
„ rem postea non invenit . Nam Saxo
„ Principibus aliis ad tuendam rempu-
„ blicam Christianam , nedum priva-
„ tam se semper exemplo proposuit .
„ Quod etiam postea fuit ad hoc tem-
„ pus a Sabaudis Principibus successio-
„ nis jure possessum . hoc est , ut im-
„ perium justo bello sibi suisque para-
„ rent . publica continenter justeque
„ regerent . aliena tuendo domesticas
„ opes augerent . factis famam exten-
„ derent longe lateque . Haec Sere-
„ nissimi Principes quum legetis vel
„ intente legentem quempiam audieri-
„ tis . tum primorem quidem illum
„ Sabaudae caput familiae Beroldum
„ Saxonem coram oculis ponite quae-
„ so . Iste , quem summis digitis ut
„ ajunt tantum actingam , dum Are-
„ latensibus Regibus ut erat bellator
„ egregius semel & saepius suppecias
„ tulit , sedes interea futurae tam am-
„ plae suae familiae mucrone clipeo-
„ que invenit . inventasque hostili
„ cruore iterum iterumque respersit .
„ Illa Maurianna tantae fundamentum
„ domus vestrae (quam terram ferro
„ totiens penetravit) illi Secusani Sa-
„ luciani Marchiones Comitesque Pe-
„ demontani (quos totiens fudit)
„ quid praeter Beroldinum ensem acre
„ unquam senserunt ? Nimirum haec
„ me tacente loquantur illi . Neque
„ silebunt qua gloria militari Beroldi
„ filius Humbertus postea fuerit , aut
„ Amedeus alter , aut pronepotes quos
„ longa serie praetereo . qui bellica
„ quippe laude magnis regibus etiamsi
„ maximis conferantur impares nequa-
„ quam fuerunt . Atque nisi tales tan-
„ tique fuissent . neutiquam istas opes
„ domi haberetis . neutiquam istas ur-
„ bes opulentissimas . neutiquam ad
„ Helvecios , Allobroges , Ararim ,
„ transque Padum ad Insubres & Ni-
„ cianum aequoris portum . vestrum
„ tenderetur Imperium . perpetuam Im-
„ perii vicariam Sabauda domus non
„ obtineret . ex Comitibus Duces ex
„ ducibus Reginas Regesque non fu-
„ dissent . haud quaquam enim osci-
„ tantes (ut plerisque principibus vi-
„ tio datur) aut domesticis litibus im-
„ pliciti vitam vixerunt . At vero par-
„ tim industria , labore , consilio , vi-
„ ribus , opera , diligentia , beneficio ,
„ justo imperio , publicae libertatis cu-
„ stodia , partim dimicationibus , pu-
„ gnis acerrimis , castra castris , urbi-
„ bus urbes , Imperium imperio brevi
„ conjunxerunt . utpote quibus artibus
„ amori subjectis iisdem hosti terrori
„ semper fuissent . Equidem si Sabau-
„ da tellus ista (quam ipsi quotidie
„ conculcatis) imbutum sanguinem es-
„ sudare posset , profecto predonum
„ cruore tota rubesceret totaque re-
„ dundaret , quos illi cruentos istinc
„ ejecerunt . quosque repugnantes istic
„ ceciderunt . Quin etiam isti si loqui
„ daretur . Ego (diceret) Principes
„ Sabaudi vestris ab istis majoribus
„ opes , libertatem , quietem , splen-
„ dorem , famam gloriamque accepi .
„ quae nunc vos praeter meum mo-
„ rem principes una septem alo . Ve-
„ reor ab armis ne desuescatis . Sae-
„ pe dum unicum caput habui , vi-
„ ctricia longe lateque vexilla tuli .
„ Ve-

Digitized by Google

„ Vereor ne fortaſſis dum ipſi domeſticum ocium pacemque (ne dicam molliciem) nimium amatis, effeminati, timidi, ſegnesque videamini. Ne ſi diutius quae turpiter ſunt amiſſa, repetitum ire cunctamini, quae tenetis hoſtibus detis auferendi audaciam. majoribus veſtris ſive illis Eacidibus, ſive iſtis Saxonibus, ſive mei Beroldi ſucceſſoribus ne ſitis tandem pudori non parum quidem ipſa vereor. Quas quidem ob res aut aliquando diſpudeat tam clara ſidera veſtros majores meminiſſe, aut quod illi vobis iter oſtendunt, in Cyprum, in Armeniam, in Salomonis, & Chriſti regnum ocius praeripite. Enſem veſtrum Graecia moratur. praedonum hoſtiumque theſauri opima vobis ſpolia futura ſunt. De veſtris hoſtibus triumphus ducendus. vos poſterique veſtri ditiſſima regna perenni tempore poſſeſſuri eſtis. Jam jam a ſedibus Graecis tandiu extorres Philippi Alexandrique fato ſuo reverti domum ſuam concupiſcant. quibus nimirum (ſi quis modo gentilium ſuorum ſenſus eſt poſt mortem) regnum Graecorum ſibi reſtitutum iri videbitur. quando vos decus ſui generis gloriam reliquam ſui nominis eo ſentient adventuros. Atque utinam jam nunc alteruter illuc alicunde poſſet emergere. haudquaquam illic profecto ſtirpis ſuae nomen, auctoritatem, obliterari, ſilerive pateretur. quin ad iſtas veſtras uſque alpes iter a Graecia ferro vobis aperiret. Neque vos Philippi aut Alexandri deterreat magnitudo. tamquam nec quicquam conari debeatis, quod illi confecerint. Immo vero quum illis longe vobis commodior honeſtiorque belli gerendi ratio eſt. Unus Philippus unusque Alexander, alter Graeciae, alter orbis civitates omnes, armaque conſtravit. Vos ſeptem, unum aut alterum, aut tres ad ſummum praedones non extinguetis? Ab uno Philippo unoque Alexandro regna quidem aliena, immo ab illo per Graeciam, nunc ab hoc longe per orbem quaeſita ſunt. A vobis veſtra ſine ſanguine ſine ſudore ſine reclamatione detrahentur? Uni Philippo unique Alexandro, milite Macedonico quidem pauco parvaque ſaepe manu, utri Graecia (quae tunc armis libertatem maxime tuebatur) utri vel externus patuit orbis. veſtris & omnium Chriſtianorum armis illa propemodum inermis non parebit? Deprecantibus ac repugnantibus grave ſervitutis jugum impoſuit Philippus, impoſuit Alexander. Expetentibus & implorantibus ſuam Sabaudamque libertatem negabunt Sabaudi? Uſque nempe adeo nobilis illa Graeca natio (quae nunc deliteſcit) ſervitutem ſemper exhorruit (preſertim abhorrentem a Chriſto) ut quum mox ſuis perfidis tyrannis bellum a vobis aliisque Chriſtianiſſimis principibus parari conjectura capiet, ad ſe venturis priſtinae libertatis reſtauratoribus iter vel ferro vobis recludet, alimenta, naves, portus, impedimenta, ſtipendia, praeſidia ſponte ſua miniſtrabit. ſe ſe ſua ſponte quoquo verſus ſigna verteritis veſtrum ſub Imperium miſſura parituraque veris piisque dominis. Et eo quidem libencius quo tyrannis invitius diuciusque ſervivit. Ecquid ego privatus pro veſtrae praeſtantis proſapiae commoditatibus pro terreno requirendo imperio, pro repetendis proavorum ſedibus vos longius pluribusve cohorter, quandoquidem vel iſtis quidem omnibus poſthabitis. ipſa quippe Chriſtianae religionis ſalus, eo vos quo princeps Beſſario monet optimo jure traducere debet. hac nempe in parte nihil opus fore cohortatione mea duxi. ne fortaſſis aut ſupervacuo labore rem quae ſe vobis abunde perſuaſerit, nunc ipſe intendam, aut quam

Digitized by Google

„ ſibi divinus Beſſario provinciam de-
„ legerit, optimeque geſſerit, iner-
„ mis ego poſt hunc gerere tuerique
„ pergam. Nam (ad vos cauſamque
„ quod attinet) militaria quidem in-
„ ſignia quibus enſes clipei, vexillaque
„ veſtra multo magis refulgent, ſpolia
„ ſunt, quae Chriſtianam cauſam vo-
„ bis perſuadere verbis facilius omni-
„ bus poſſunt. Quippe quae quartus
„ a Beroldo veſtrae domus Princeps
„ Amedeus Chriſti victis ab hoſtibus
„ domum reportavit. Unde reporta-
„ vit? utique reportavit e Graecia.
„ quod ſi nunc ore rotondo magnaque
„ Graeco more ſonaturum Beſſarionem
„ attente placet audire, ibitis alacres
„ victores iterum reverſuri. Sed quas
„ huic homunculo veſtro ſuoque man-
„ cipiolo literas ille reddi juſſerit, quid
„ & negotii mandarit jam jam animo
„ propicio benevoloque percipite.

Hanc Ficheti epiſtolam ad Sabaudiae Principes ſequitur illa Cardinalis Beſſarionis ad Fichetum, exiſtimationis, & amicitiae plena.

„ Beſſario Epiſcopus Sabinenſis Car-
„ dinalis Nicenus Patriarcha Conſtan-
„ tinopolitanus Reverendo & doctiſſi-
„ mo patri magiſtro Guillermo Fiche-
„ to ſacrae Theologiae Profeſſori in
„ Collegio Sorbonae Pariſii amico no-
„ ſtro cariſſimo.

„ Reverende & doctiſſime pater ami-
„ ce noſter cariſſime, audimus non ſo-
„ lum in philoſophia & ſacrarum lite-
„ rarum cognitione vos elaborare, ſed
„ etiam in eloquentiae ſtudiis dicendi-
„ que ratione diu verſatos, eaque mi-
„ rifice delectatos. quo in genere etſi
„ nihil habemus quod magnopere cu-
„ pere debeatis, tamen mittere ſtatui-
„ mus orationes quaſdam hoc tempo-
„ re a nobis editas pro graviſſimis pe-
„ riculis quae Italiae Chriſtianisque om-
„ nibus imminent. non magis quidem
„ ut vel ſermonis puritatem vel oratio-
„ nis vim ac praeſtantiam deſyderetis,
„ quam ut intelligatis quanta malorum
„ procella in Chriſtianae Reipublicae
„ capita & fortunas impendet. remque
„ & apud Sereniſſimum Regem, & apud
„ alios qui opem ita maxime ferre de-
„ bent, ut poſſunt, explicetis totam
„ ac perſuadeatis. quod potius acerbum
„ eſt, quam obſcurum, non exarſuram
„ Italiam tantis malorum incendiis,
„ quin flammarum globos longius evo-
„ mat. Id ne accidat, cum regnorum
„ omnium cauſa optare debent. quo-
„ rum ſalus in diſcrimen adducitur,
„ tum propter Immortalem Deum cu-
„ jus religio ſanctiſſima vexatur. ac
„ trahitur ad interitum, magna Chri-
„ ſtianorum omnium clade. Valete.
„ ex urbe die decima tertia Decembris
„ M. CCCCLXX.

Fol. 10. Subjiciuntur orationes, ut diximus, Beſſarionis ad Principes Italiae.

CODEX MCLXVI. *b.* II. 10.

Membranaceus, cui folia 271. ſaeculi XIV. in quo

Fol. 1. *breves expoſitiones in libros Inſtitutionum Juſtiniani.*

Fol. vero 241. *Incipiunt notabilia inſtitutionum*: eſt nempe breve earundem inſtitutionum compendium.

CODEX MCLXVII. *i.* I. 9.

Membranaceus, habens folia 104. circa finem ſaeculi XIII.

Fol. 1. *Liber de ſimplici medicina*: alphabeti nimirum ordine recenſentur ſimplicia, quorum communior eſt uſus in medicina, eorumque proprietates aperiuntur, non indicato tamen autoris nomine. Incipit: *Circa inſtans negotium in ſimplicibus medicinis noſtrum verſatur propoſitum &c.*

Fol. 72. *Incipiunt verſus Egidi urinarum* cum commentariis.

CODEX MCLXVIII. *i.* I. 10.

Membranaceus, conſtans foliis 135. ſaeculi XV. nitidi characteris, variisque ornamentis inſignitus. Eſt commentariolum binas in partes diviſum, in quarum

Digitized by Google

rum prima *arteticae paſſionis*, in ſecunda *calculoſae* doctrina continetur. Titulus initio poſitus, in quo fortaſſis autoris nomen deſcriptum fuerat, arte deletus fuit.

CODEX MCLXIX. *i.* I. 17.

Chartaceus, cui folia 72. ſæculi XV. Eſt ALBERTI MAGNI *liber de lapidibus pretioſis*.

CODEX MCLXX. *i.* I. 36.

Membranaceus, conſtans foliis 16. circa finem ſæculi XIV. ubi eſt MARBODI *Redonenſis tractatus de lapidibus*.

CODEX MCLXXI. *i.* I. 42.

Membranaceus, habens folia 98. ſæculi XV. optimæ notæ, multoque ab initio ornatus auro, *Phædonem* continet *Platonis de immortalitate animorum* e Græca in Latinam linguam translatum a LEONARDO ARETINO. Binæ præmittuntur literæ *Aretini*, una ad Nicolaum Nicoli civem Florentinum, altera ad Innocentium VII. Pontificem Maximum.

In fine vero hæc leguntur, ex quibus conſtat præſtantia codicis.

Scriptum Patavii XV. Kalendas Marcias hora V. noctis MCCCCLIV. per me Bernardum Bembum.

CODEX MCLXXII. *i.* II. 43.

Chartaceus, cui folia 61. ſæculi XV. præfefert initio inſulſam fortunæ rotam, aliaque hujus furfuris omnino futilia.

Fol. 33. Sunt nonnulla poematia Latina, quæ quis exercitationis cauſſa compoſuit.

Fol. 48. PII II. *Bulla* anno ipſius Pontificatus VI. edita, qua Chriſtianos hortatur ad bellum adverſus Turcas fortiter gerendum. Hanc legere eſt apud Odoricum Raynaldum *Annalium Eccleſiaſt.* tomo XIX. pag. 131.

Fol. 59. *pag.* 2. Ejuſdem PII II. *epiſtola ad Johannem de Andagania Calabriae Ducem, data Tiburi die* XI. *Auguſti* 1463. Hanc fruſtra quæſivimus in citatis *Annalibus Eccleſiaſticis* Raynaldi. Incipit autem: *Dilecte fili videre poteſt tua nobilitas quo loco Rex Regni Sicilie Dei voluntate conſiſtat &c.*

Fol. eodem. Sequitur ejuſdem oratiuncula ad Sereniſſimum Venetiarum Ducem Chriſtophorum Maurum, eadem, quæ refertur a Raynaldo tomo ſupra citato pag. 135.

CODEX MCLXXIII. *i.* III. 6.

Membranaceus, foliis conſtans 74. ſæculi XV. nitidi admodum characteris, aliquot opuſcula Græca complectitur in Latinum ſermonem translata a MARSILIO FICINO.

Proœmium initio legitur Johanni Cavalcanti Florentino inſcriptum, deinde ſequuntur opuſcula hoc ordine.

Fol. 4. SPEUSIPPI *Platonis diſcipuli liber de Platonis diffinitionibus.*

Fol. 15. ALCINOI *Platonici liber de doctrina Platonis.*

Fol. 68. *Aurea præcepta Pithagoræ.*

Fol. 70. *Symbola Pythagoræ.*

Clauditur demum liber altera *Marſilii* epiſtola ad Cavalcantem.

In ipſo autem codicis aditu eſt rerum index, ſed ab alio ſcriptus librario; indici vero hæc ſubjiciuntur: *Sunt in praeſenti codice quę legentem blandius ducant: meritoque oblectent. & graphice atque appoſite exſcripta ſunt omnia & ab eodem Marſilio correcturo eadem omnia perfecta ſunt. cujuſmodi multa videbis ejus manu ad unguem ſignata.*

CODEX MCLXXIV. *i.* III. 7.

Chartaceus, habens folia 119. ſæculi XVI. in quo *Autoritates Ariſtotelis & aliorum auctorum ſuper layca & philoſophia tam morali quam naturali.*

Digitized by Google

CODEX MCLXXV. *i.* III. 15.

Chartaceus, conſtans foliis 75. ſæculi XVI. ubi *Ariſtotelis* ſententiæ excerptæ ex variis ejus libris, fere ut in ſuperiori codice; tum nonnullæ ex *Platone*, aliisque. Autor in fine deſignatur PETRUS THOMAS *Ordinis Fratrum Minorum*.

CODEX MCLXXVI. *i.* III. 47.

Membranaceus, cui folia 99. ſæculi XIV. grandiuſculo exaratus charactere, & quibuſdam in locis fœdatus, tractatum continet *de morbis equorum, eorumque remediis*, de cujus autore hæc habentur fol. 70.

Hec agit immenſis ſtudiis Calabrienſis
Qui bene conctorum ſiverat medicinas equorum
Diſcas quippe leges patet hec tibi pagina preſens
Quod juvat adque nocet & ſic equo cuncta docet &c.

Eſt ſcilicet JORDANUS RUSSUS *Calaber*, ut colligere facile nobis fuit ex codice *k.* V. 37. ubi hic idem tractatus Italo ſermone exhibetur.

Fol. 74. *Regule cognitionis equorum*, absque ullo autoris nomine.

CODEX MCLXXVII. *k.* I. 146.

Membranaceus, habens folia 20. ſæculi XIV. ubi *Capitula. Statuta. & Ordinamenta Societatis Baronie Militum Civitatis Aſtenſis. facta, & compoſita per diſcretos & prudentes viros*. Hæc cum lucem nuſquam aſpexerint, & civitatis Aſtenſis hiſtoriam non parum illuſtrent, nos eorum memoriam in hoc MSS. Codicum Catalogo poſteris relinquere conſtituimus.

In nomine Domini Noſtri Jheſu Chriſti. ac Sancte & Individue Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

AD honorem gloriam & laudem Domini Noſtri Jheſu Chriſti. Beateque Marie Virginis ejus Matris. & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Beatique Secundi Martiris glorioſi. Protectoris & Gubernatoris Civitatis Aſtenſis. & pretioſiſſime Sancte Crucis ac totius Curie Celeſtis. & ad proſperum felicem & pacificum. bonum & tranquillum ſtatum Civitatis Aſtenſis. & ad reformationem & bonum ac tranquillum. & pacificum ſtatum & felicem Societatis Baronie Militum Civitatis Aſtenſis. & omnium Amicorum & Valitorum ejuſdem. Amen.

Hec ſunt Capitula. Statuta. & Ordinamenta Societatis Baronie Militum Civitatis Aſtenſis. facta & compoſita & ordinata per diſcretos & prudentes viros. Dominos Rodulfum Garretum Decretorum. Gullielmum Layolum Legum Doctores. Franciſcum Gardinum utriuſque Juris peritum. cum conſilio & deliberatione quattuordecim Sapientum electorum per Hoſpitia. ſeu Magnates dicte Civitatis. facta & compoſita in anno Domini MCCCXXXVIIII. Indictione VII.

Nomina quorum quattuordecim Sapientum inferius continentur. & ſunt hec.

Domini Rodulfus Garretus. Gullielmus Layolus. Franciſchinus Gardinus. Bartholomeus Cacayranus. Daniel Pelleta. Percivallus Guttuarius de Caſtello. Johanninus Palidus. Anthonius Bergogninus. Loyſius Scarampus. Raxoninus Aſinarius. Conradinus Rotarius. Bertraminus Alferius. Martinus Betramengus. & Franceſconus Abellonius.

Digitized by Google

I.

De juramento Dominorum Rectorum Societatis Baronie Militum Civitatis Aſtenſis. faciendo ut infra.

JUro ad Sancta Dei Evangelia ego Rector Societatis Baronie Militum Civitatis Aſtenſis. Salvare. Cuſtodire. Manutenere. Regere. Gubernare. & Firmam tenere Societatem Baronie Militum Civitatis Aſtenſis. & Capitula ipſius Societatis obſervare. & omnes & ſingulos de dicta Societate in omni ſuo bono ſtatu & equalitate & comunantia. & Civitatem Aſtenſem. Villas. & Loca ſubditas & ſubdita dicte Civitatis Aſtenſis. defendere & manutenere meo poſſe. toto tempore mei regiminis. & dare forciam. virtutem & valorem. Poteſtatibus. Vicariis. & Conſulibus Civitatis Aſtenſis. quando Civitas regetur per Conſules. Ut ipſi Poteſtas. Vicarii. & Conſules & eorum Judices unicuique juſticiam faciant. juxta formam ſuorum Capitulorum. & quod non patiar vel conſentiam aliqualiter quod Dominium ſeu Segnoria Civitatis Aſtenſis. & Diſtrictus perveniat in aliquam perſonam ſeu ſummittatur alicui Dominio ſeu Segnorie. & ſi contra predicta vel aliquod predictorum fecero ſeu venero. aut fieri conſentiam vel permittam publice, vel occulte. voco me & teneo ex nunc pro ut ex tunc perjurum & infamem ac proditorem mei ipſius. & Comunis Aſtenſis. & dicte Societatis Baronie Militum Civitatis ejuſdem & ab omnibus volo ſic vocari.

II.

De juramento omnium Hominum de Societate Baronie Militum Civitatis Aſtenſis. faciendo ut infra.

JUro ad Sancta Dei Evangelia ego de Societate Baronie Militum Civitatis Aſtenſis. bona fide manutenere & defendere. Salvare & cuſtodire Societatem Baronie Militum Civitatis Aſtenſis. & omnes & ſingulos de dicta Societate. in avere & perſonis. & dare forciam. valorem & virtutem. modis omnibus quibus potero. Quod ipſa Societas & omnes & ſinguli dicte Societatis permaneant in bono. tranquillo & pacifico ſtatu. & bona firmitate atque unitate. & dare forciam & virtutem Rectoribus dicte Societatis. Manutenendi dictam Societatem. & quod non tractabo per me vel alium nec forciam. ſive conſilium dabo. vel aliquid faciam vel conſentiam ſeu tractabo propter quod dicta Societas minuatur. vel pejoretur. & inſuper infraſcripta Capitula Societatis predicte. & que in ipſis continentur attendam & obſervabo inviolabiliter toto meo poſſe. & ſi contra predicta vel aliquod predictorum fecero. ſeu venero. aut fieri conſentiam. ex nunc pro ut ex tunc voco me & teneo perjurum & infamem. & proditorem Societatis predicte.

III.

Quod dicta Societas dividatur ut infra.

ITem quod dicta Societas Baronie Militum dividatur in duas partes. videlicet quod omnes homines de Hoſpitiis a volta Gardinorum infra ſint & eſſe debeant pro una parte & a predicta volta ſupra pro alia parte.

IV.

De Rectoribus dicte Societatis eligendis ut infra.

ITem quod quatuor Rectores dicte Societatis eligantur ſi fieri poterit. duo qui ſtent a volta Gardinorum ſupra. & duo qui ſtent a dicta volta infra. qui regant dictam Societatem Militum per tres menſes. & quod ſingulis tribus menſibus eligantur dicti Rectores in conſilio Societatis Baronie Militum Civitatis Aſtenſis ad brevia modo infraſcripto. vel prout placebit conſilio dicte Societatis. videlicet quod habeantur quatuor borſeti. duo a volta ſupra. & duo a volta infra in quorum quolibet ponantur quatuor ſcripta. in quibus ſcriptis ſeu quolibet ipſorum ſit nomen unius de eligendis. atque de quolibet borſeto unum breve extrahatur per quindecim dies ante exitum Rectorum dicte Societatis in dicto Conſilio. & ſic fiat ſingulis tribus menſibus.

Digitized by Google

bus. & illi qui extrahentur ſint Rectores per tres menſes. ita tamen quod quicumque fuerit Rector dicte Societatis non poſſit eſſe Rector finito ſuo offitio inde ad unum annum ſubſequentem. Quibus ſcriptis finitis. iterum illud idem fiat pro ſequenti anno. & ſic ſucceſſive. & pro ut dicto Conſilio placuerit.

V.

De Conſiliariis ipſorum Rectorum eligendis ut infra.

ITem quod dicti Rectores teneantur ſingulis tribus menſibus eligere. XVI. Conſiliarios ipſorum qui Anciani appellentur. videlicet quilibet ipſorum Rectorum quatuor de diverſis Hoſpitiis quos magis ydoneos conſultores putaverint & qui Anciani ſive Conſiliarii ſtent in eorum offitio per menſes tres. & qui jurent dare fidele conſilium ipſis Rectoribus. & qui dicti Rectores non poſſint dicte Societati congregari facere niſi prius deliberatum fuerit per ipſos Rectores & dictos Ancianos vel majorem partem ipſorum.

VI.

Quod LXX. Credendarii ſive Conſiliarii eligantur de dicta Societate.

ITem quod Rectores dicte Societatis omni anno per quindecim dies ante feſtum Nativitatis Domini teneantur celebrare Conſilium dicte Societatis. & in ipſo eligi facere ad brevia vel alio modo pro ut conſilio placuerit. LXX. Credendarios de dicta Societate Militum de omnibus Hoſpitiis dicte Societatis. bonos & ydoneos per quos fiant & fieri poſſint & debeant omnia & ſingula facta & negotia dicte Societatis & que videbuntur utilia dicte Societati. vel plures ſeu pauciores prout ipſi conſilio placuerit. & qui conſiliarii ſic electi omni anno ſcribantur & ſcribi debeant in libro conſiliorum Societatis predicto.

VII.

Quod quilibet de dicta Societate his Rectoribus obedire teneatur.

ITem ſtatutum eſt & ordinatum quod omnes & ſinguli de dicta Societate Militum obedire teneantur preceptis & mandatis Rectorum dicte Societatis. Qui nunc ſunt. & pro temporibus fuerint in regimine dicte Societatis. & quod dicti Rectores imponere poſſint cuilibet de dicta Societate pro eis obediendis preceptis licitis & honeſtis uſque in penam. ſolidos. XX. Aſtenſes ad eorum liberam voluntatem. & ipſam penam exigere & excutere teneantur ad opus & utilitatem Societatis predicte.

VIII.

Quod illi de dicta Societate redigantur & ponantur in ſcriptis ut infra.

ITem teneantur Rectores preſentes infra xv. dies eligere unum vel duos. & prout eis videbitur qui ponant & redigant. & poni & redigi faciant in ſcriptis omnes & ſingulos de dicta Societate. & ipſos poni faciant in duobus cartulariis ſive libris. quorum unus ponatur in Secreſtia de Domo. & alius cuſtodiatur per Rectores dicte Societatis. & omnes illi qui erunt ſcripti in dictis libris ſint & eſſe intelligantur de Societate predicta. Salvo etiam quod illi qui eſſent ultra Montes in dictis libris ſcribi poſſint. faciendo ſacramentum dicte Societati infra. xv. dies poſtquam venerint ad Civitatem Aſtenſem. & ad voluntatem dictorum Rectorum.

IX.

Ut Rectores dicte Societatis Conſilium ipſius Societatis unicuique de dicta Societate poſtulanti dare teneantur. ut infra.

ITem teneantur Rectores predicti dare & congregare ſeu congregari facere generale Conſilium dicte Societatis. quando ab aliquo de dicta Societate fuerint requiſiti. prius tamen in ſcriptis oblata & tradita dictis Rectoribus

Digitized by Google

ribus requiſitione ipſorum . Qua requiſitione data & tradita dictis Rectoribus . dicta talis requiſitio examinetur ante omnia . per ipſos Rectores & Conſiliarios ſive Ancianos ipſorum. & ſi previſum fuerit per dictos Rectores & Ancianos ſeu majorem partem ipſorum . pro meliori . quod dicta requiſitio ponatur ad conſilium predictum . tunc dicta requiſitio ad dictum conſilium ponatur . & fiat prout placebit ipſi conſilio . ita tamen quod ille qui conſilium requiſierit . in dicto conſilio ſtare ſeu intereſſe non poſſit.

X.

De Reformationibus Conſiliorum attendendis.

ITem teneantur dicti Rectores tam preſentes quam futuri . & omnes & ſinguli de dicta Societate . attendere & obſervare omnes reformationes Conſiliorum dicte Societatis . prout in ipſis continebitur . & hoc vinculo Sacramenti .

XI.

Quod omnes de dicta Societate . de Conſilio Comunis Aſtenſis recedant de ipſo Conſilio Comunis . quin eis preceptum fuerit per ipſos Rectores . & eſſe de partito ipſorum . prout infra.

ITem quod omnes de dicta Societate Militum qui fuerint de Conſilio Comunis Aſtenſis. teneantur & debeant recedere de ipſo Conſilio Comunis ſemper & quocienscumque eis preceptum fuerit quod recedant de dicto conſilio per dictos Rectores cum ipſis Rectoribus . & in hoc attendere precepta ipſorum Rectorum. & ſi quis contra fecerit ammittat pro pena . libras II. Aſtenſes . pro quolibet & qualibet vice . quam penam Rectores excutere teneantur omnino ad opus dicte Societatis . & quod omnes & ſinguli de dicta Societate ſint & eſſe debeant in conſilio Civitatis Aſtenſis & in omnibus aliis conſiliis que fierent ad domum Poteſtatum . Vicariorum ſeu Conſulum . de partito Suorum Rectorum dicte Societatis . ſub pena ſolidorum . x. Aſtenſium . pro quolibet & qualibet vice.

XII.

Quod Rectores Societatis Militum non paciantur fodrum . vel taliam ſeu preſtum imponi in Civitate Aſtenſi . vel aliud onus . nec aliquas expenſas per Comune ultra . libras L. niſi prius predicta firmata fuerint per Conſilium dicte Societatis.

ITem ſtatutum eſt & ordinatum pro evidenti utilitate dicte Societatis . quod Rectores dicte Societatis . & omnes & ſinguli de dicta Societate . teneantur non pati aliquo modo quod aliqua milicia . fodrum . preſtum . talia vel collecta . ſeu aliqua alia impoſitio imponatur . vel fiat . ſeu fieri poſſit in Civitate Aſtenſi . nec quod aliqua pecunia Comunis Aſtenſis . a libris . L. Aſtenſibus . Sed per ipſum Comune ſeu per aliquos homines habentes Bayliam ab ipſo Comuni expendatur . niſi prius hoc procederet de voluntate Conſilii generalis dicte Societatis Militum.

XIII.

Quod medietas omnium Offitiorum & beneficiorum Comunis Aſtenſis . diſtribuatur inter illos de Societate Militum . & quod Rectores dicte Societatis interſint omnibus poſitis examinandis . & omnibus partitis que & qui fierent in Conſilio Generali.

ITem ſtatutum eſt & ordinatum quod omnia offitia & benefitia cujuſcumque conditionis exiſtant diſtribuantur inter illos qui ſunt de Societate Militum pro medietate. & quod Rectores ipſius Societatis Militum interſint omnibus poſtis examinandis. & omnibus partitis qui fierent in domibus habitationis. vel in Conſilio Comunis. & quod nihil fieri poſſit de factis tangentibus Comune per Poteſtates. Vicarios ſeu Conſules. niſi cum examinatione. deliberatione. & voluntate Rectorum dicte Societatis.

XIV.

Digitized by Google

XIV.

De manutenendo quemlibet de dicta Societate. in ſuo jure. & de diſcordiis ad concordiam reducendis.

ITem quod Rectores Societatis predicte teneantur, ſi aliquis de dicta Societate propter ejus potentiam expelleret alium de dicta Societate, ſeu ſpoliaret poſſeſſione ſua. vel aliam injuriam, inferret alicui non ita forte potenti. ipſi ſpoliato ſeu injuriato dare fortiam & virtutem reducendi ipſum in dicta ſua poſſeſſione. & ipſum taliter ſpoliatum in ipſa ſua poſſeſſione reſtituere. & reſtitutum manutenere ac defendere. & injuriam emendari facere, donec jus cognitum eſſet inter ipſos ſummarie per ipſos Rectores vel per Judices non ſuſpectos ipſis partibus. ad hoc ut omnis equalitas inter perſonas ipſius Societatis ſervetur. & omnis contentio & violentia inter ipſos tollatur & amputetur. ita quod fraterno amore inter ipſos de dicta Societate vivant & perpetuo conſerventur. & ſi de cetero aliqui de dicta Societate inter ſe ſe habebunt ſeu habuerint aliquam diſcordiam. malivolentiam vel rancuram. occaſione offenſionis inter ipſos facte, vel alicujus injurie dicte vel facte ſine aliqua percuſione. quod dicti Domini Rectores teneantur predictos de dictis diſcordiis facere concordari. & facere ipſos compromitti de ipſis diſcordiis ſeu injuriis in ipſos Rectores vel alios comunes amicos qui dictas diſcordias & ipſas partes concordent, & concordare debeant. & fieri faciant pacem de predictis inter ipſas partes ex eorum poſſe ad hoc ut homines dicte Societatis in ſimul ut fratres ſe diligant & honorent.

XV.

De pena dicentium injuriam ſeu verba injurioſa ipſis Rectoribus dicte Societatis. & eorum qui verba injurioſa dicerent coram ipſis Rectoribus alicui.

ITem ſi aliquis de dicta Societate dixerit injuriam ſeu verba injurioſa dictis Rectoribus. vel alicui ipſorum ammittat pro pena ad opus Societatis. libras. II. Aſtenſes. pro qualibet vice. Et qui dixerit alicui aliquam injuriam. ſeu verba injurioſa coram ipſis Rectoribus perdat pro pena ad opus dicte Societatis ſolidos. XX. Aſtenſes. pro quolibet & qualibet vice. & dictas penas dicti Rectores excutere teneantur infra XV. dies poſt quam injuria dicta fuerit. Et quod predicta ſint in arbitrio dictorum Rectorum. inſpecta qualitate perſonarum & facti & verborum.

XVI.

De diverſis diſcordiis ad concordiam reducendis. ut infra.

ITem teneantur dicti Rectores ſi alique diſcordie ſeu querele oriantur de aliquibus rebus vel poſſeſſionibus vel aliter qualitercumque inter aliquos de dicta Societate. ipſas diſcordias ad concordiam reducere. eorum poſſe. & bona fide quam citius poterunt. & ſi aliqua diſcordia vel diſenſio oriretur aliqua de cauſa inter aliquem ſeu aliquos de dicta Societate. & alium ſeu alios qui non eſſent ſeu eſſent de dicta Societate. vel qui eſſent de Societate Populi. quod dictas diſcordias ſeu diſenſiones eorum poſſe debeant ad concordiam reducere. & curare debeant quod Rectores Populi illud idem faciant. & fieri capitulum ad hoc ut Milites & populares fraterno amore ſimul vivant.

XVII.

Quod Rectores teneantur juvare in eorum jure quemlibet de dicta Societate. eorum poſſe. & quod in arduis prius deliberetur cum Ancianis.

ITem teneantur Rectores dicte Societatis eorum poſſe juvare quemlibet de dicta Societate in ipſorum jure verbis. coram Poteſtate. Vicario. & Conſulibus Civitatis Aſtenſis. & hoc quociens inde per aliquem de dicta Societate fuerint requiſiti. Et quod dicti Rectores non permittant aliquod factum quod videatur aliqualiter ponderoſum. ſeu poſtam de qua vel quo loqueretur in domo Poteſtatis & inter Sapientes pertranſire niſi prius per ipſos

Re-

Digitized by Google

Rectores habita ſuper illo facto vel poſta deliberatione cum ſuis Ancianis.

XVIII.

De equalitate Statutorum Societatis Militum. & Societate Populi equanda. prout infra.

ITem quod cum Societas Populi habeat multa & diverſa capitula iniqua & injuſta contra Milites & Magnates. & eos qui de populo non ſunt. ad hoc ut equalitas ſervetur. & nullus opprimatur injuſte & quod quiſque juris in alium ſeu alios ſtatuerit. eodem jure contra ſe utatur. ſtatutum eſt & ordinatum. quod talia capitula & ſtatuta qualia habent illi de Societate Populi contra Milites & Magnates. & eos qui ſunt de Societate Militum. talia ſibi locum vendicent & locum habeant. pro illis qui ſunt de Societate Militum contra illos de Societate Populi. verbis revolutis. Et quod Rectores Militum & omnes de ipſa Societate Militum. ad ipſorum obſervanciam verſa vice teneantur. hoc addito quod ipſi Rectores Militum curent eo modo quo melius poterunt cum Rectoribus Societatis Populi. quod talia Statuta injuſta & iniqua ad honeſtum & debitum modum reducantur. ad hoc ut equalitas obſervetur: & ut innocens non puniatur pro nocente. & quod non procedatur per preſumptiones pro ut in ipſis capitulis populi dicitur contineri. ſed ſecundum veritatem. taliter quod ille qui deliquerit & peccatum fecerit puniatur & non alius. & predictum capitulum plenarie attendi debeat & obſervari per dictos Rectores Societatis Militum. donec aliter per dictos Rectores Populi in predictis capitulis & Statutis proviſum fuerit & ordinatum. & hoc vinculo Sacramenti.

XIX.

De ſalario Nunciorum & Notarii Societatis predicte procurando. ut infra.

ITem teneantur Rectores predicti durante eorum offitio toto eorum poſſe curare quod Nuntii & Precones. ac Notarius ipſius Societatis habeant a Comuni Aſtenſi eorum Salarium.

Pars II.

ſingulis tribus menſibus. & hoc ante exitum eorum offitii.

XX.

Ut capitula Societatis ſemper ſtent penes Rectores.

ITem quod liber Statutorum Societatis predicte cuſtodiatur per ipſos Rectores & ſemper ſit penes ipſos. ita quod quilibet ipſorum ipſa capitula cum voluerit legere poſſit & videre. & unus ipſorum alteri dare. & prout ipſis placuerit ad eorum & cujuslibet ipſorum voluntatem.

Que omnia capitula publicata fuerunt & lecta inter omnes de dicta Societate Militum & per ipſos approbata & ratificata. tempore Rectorie Dominorum Guillelmi Layolii. Danielis Pellete. Galvagnini Guttuarii de Caſtello. & Johannoti Bergognini. Rectorum dicte Societatis. MCCCXL. octave Indictionis.

CODEX MCLXXVIII. *l.* I. 1.

Chartaceus, conſtans foliis 134. ſæculi XV. ubi ſex libri *Elementorum* Euclidis, cum figuris Geometricis.

CODEX MCLXXIX. *l.* I. 4.

Membranaceus, conſtans foliis 117. ſæculi XIV. Agitur in eo de Myſtica *Numerorum* ſignificatione; ſed abeſt autoris nomen.

CODEX MCLXXX. *l.* I. 16.

Membranaceus, habens folia 86. ſæculi XV. Stemmate *Cardinalis a Ruvere*, & nitido, elegantique charactere conſpicuus duos libros amplectitur Joseph Hebræi *contra Appionem*.

CODEX MCLXXXI. *l.* I. 20.

Membranaceus, cui folia 7. ſæculi XVI. Habentur in eo Josephi Abrahaidani *Civis Taurinenſis Icones Sabaudiæ Ducum a* Beroldo uſque ad Emma-

Digitized by Google

NUELEM PHILIBERTUM, additis Latinis verſibus, ſingulis Iconibus ſubſcribendis.

Poeta Pedemontanus Roſſotto ignotus.

CODEX MCLXXXII. *l.* I. 40.

Chartaceus, conſtans foliis 90. ſæculi XV. in quo primum ANTONII PANORMITÆ *dicta*, aut *facta memoratu digna Alphonſi Regis*.

Fol. 83. ejuſdem *Alphonſi Regis oratio in expeditionem contra Turcas*.

Fol. 84. Triumphi ejuſdem *Alphonſi Regis* narratio. V. Bibliothecam Siculam Mongitoris *pag.* 57.

CODEX MCLXXXIII. *l.* I. 91.

Chartaceus, conſtans foliis 74. ſæculi XV. in quo *de Diis Gentilium* fragmentum Scriptoris *Anonymi*. Præmittitur Præfatio, ubi de origine idololatriæ. Incipit: *fuit in Ægypto vir ditiſſimus &c.*

CODEX MCLXXXIV. *l.* III. 30.

Membranaceus, conſtans foliis 60. ſæculi XVI. in quo LEONIS BAPTISTÆ *Elementa Picturæ*.

CODI-

Digitized by Google

CODICES ITALICI.

In-Folio.

CODEX Primus. c. VI. 19.

CHartaceus, habens folia 7. fæculi XVI. &, ut videtur, autographus, in quo Francisci Panigarolæ *concio*, habita quarto Dominico die *Quadrageſimæ*.

CODEX II. d. III. 10.

Chartaceus, conſtans foliis 127. fæculi XVII. eſt *Anonymi expoſitio ſuper Pſalmum L.* Incipit: *Sicome l' acqua del mare eccede ſenſa comparatione una gocciola d acqua, coſi anzi piu ſenſa comparatione veruna l' abiſſo della Divina miſericordia &c.*

CODEX III. d. V. 11.

Chartaceus, fæculi XVI. ipſius auctoris manu exaratus, conſtans foliis 13. inſcribitur, *Eſpoſizione o ſia pia meditazione ſopra il Salmo Miſerere mei Deus dedicata al Ser.mo* Carlo Emanuele *Duca di Savoja da* Luigi Nicolao Calusio *Segretaro di S. A.* Incipit:

Il ſapiente Re e Profeta Davidde provando in ſe ſteſſo quello, che tutto di eſercitava con altri, a quali per la dignita Regia, che dal Signore Iddio gl' era ſtata conferta, overo amminiſtrava giuſtizia, o faceva grazia a chi per preghiere e mezzi a cio convenienti ne lo ricercava; trovandoſi haver comeſſo doppio peccato d' adulterio e d' homicidio; quello con Berſabee moglie d' Uria; & queſto nella perſona d' Uria, marito di Berſabee, col miniſterio di Gioabbe ſuo Capitano Generale, al quale aveva ordinato di farlo morire, laſciandolo a manifeſto pericolo ne le prime file de combatenti, per piu liberamente godere di detta Berſabee; giudico eſſer a lui piu che neceſſario di ricorere alla Maeſta Divina, conoſcendoſi d' eſſer ſottopoſto a quel gran Tribunale, come altri erano a lui ſogetti, per impetrar perdono & ottener gratia. Per il che compoſe queſto Salmo &c.

Altum de hoc Scriptore in *Syllabo* Roſſotti eſt ſilentium.

CODEX IV. d. V. 14.

Chartaceus, habens folia 34. fæculi XVII. cui titulus, *Dichiarazione del primo Capitolo di Giobbe fatta da Frate* Francesco Panigarola *Veſcovo d' Aſti. al Ser.mo* Carlo Emanuele *Duca di Savoja.*

CODEX V. d. V. 37.

Chartaceus, fæculi XIV. conſtat foliis 101. Habetur in eo *Fratris* Friderici de Renoldo *Ordinis Prædicatorum expoſitio Apocalypſeos.*

De hoc Scripturæ interprete nulla fit mentio a Patre Jacobo Lelong, neque ab Oudino, neque, quod non parum miramur, ab Eccardo in *Bibliotheca Scriptorum ſui Ordinis*. Titulus autem expoſitioni præfixus hujuſmodi eſt:

Queſta expoſition ſopra la Pocaliſſi e ſtada facta per maiſtro Federigo de Renoldo del Ordene dei Fratri Predicatori in Padova.

Digitized by Google

Expoſitio vero incipit:

Queſto libro che e appellado la Pocaliſſi tra tuti altri libri de la Sancta Scriptura ſe die liezzere & oldire cum grande intendimento & devotion per tre raxon. La prima raxon e perche lo primo capitolo de queſto libro e ſcripto coſſi. e biado colui che leze como chi alde le parole de queſta Prophecia. E queſto non e ſcripto de algun altro libro de la Sancta Scriptura. Adoncha caſcaduna Perſona che dexidera de eſſer biado dee lezere. over aldir cum grande intendimento e devocion lo preſente libro &c.

CODEX VI. e. III. 39.

Chartaceus, conſtans foliis 63. ſæculi XV. finem verſus, cui titulus *l'Orivolo de la Sapienza*. Eſt ſcilicet tractatus aſceticus de Divina Sapientia, a *Fratre quodam Ordinis Prædicatorum*, cujus nomen non indicatur, ſermone conſcriptus non ineleganti, ut ex Prologo, quem ſpeciminis gratia ſubjicimus, cuique legenti conſtare poterit.

„ In nomine Patris & Flii & Spiri-
„ tus Sancti amen.

„ Comenciaſſi il Prologo del libro
„ il quale ha nome Orivolo de la Sa-
„ pientia.

„ Sentite del Signore in bonitade &
„ in ſimplicita di cuore cercate per
„ lui. Inpercioche egli ſi truova da
„ colori. li quali nol tentano; & apa-
„ riſce a coloro i quali hanno fede in
„ lui. In molti ſegni & virtude & in
„ molti modi la divina Sapientia apari
„ a ſuoi electi ne la primitiva, e no-
„ vella Chieſa & allumino le menti lo-
„ ro col ſuo lume, i quali erano ne lo
„ ſpirito ferventi e del Signore ſoliciti
„ ſervidori in ſanctitade de juſtitia di-
„ nanzi da lui. Havea meſſo alora
„ Idio il fuoco da Cielo nel oſſa loro,
„ ſi che illoro cuori erano ardenti nel
„ ardore dela carita fortemente. Un-
„ de eglino ſiamegiavano di fuori con
„ operationi lucenti, & con eficaci
„ exempli. Inpercio che eglino adi-
„ mandavano el Signore con ſimplicita
„ & purita di cuore in ogni bene.
„ Nulla era in loro ricordanzia de fati
„ del ſeculo, ne di coſe ſeculare. Ma
„ tuta la loro intentione, e ſolicitu-
„ dine era di piangere li loro pecati,
„ & atendere a le coſe divine: tenere
„ ſe dentro da ſe. ſotometere el cor-
„ po a lo ſpirito, e continuamente
„ acoſtarſi a la ſola, & eterna Sapien-
„ tia. Ma guai a tempi d oggi & al
„ modo gia vechio. Inpercioche que-
„ ſto amore, e divino fervore in
„ molti cuori e tanto rafredato, che
„ quaſi e ſpento, e pochi ſi trovano
„ che ſtudiano in divotione, e che
„ cerchano per nuova gratia, che gli
„ riſcaldi, e che ſi curano di eſſer
„ inaffiati, & bagnati da copioſe aque
„ di lacrime ne la gratia de lo Spirito
„ Sancto, e che cercano per la gra-
„ tia de la viſitatione divina, e ſu-
„ perno favelamento nel anime loro,
„ ma intendeno ogni ſtudio di vani-
„ tade, & a le fabule di Poeti, &
„ a Filoſofia mundana, & a corporale
„ richeze, e prelationi. ſono tenuti
„ ligati da uno mortale ſono. Ma la
„ Divina Sapientia ſolicita de la ſalute
„ di tuti, & ſempre deſiderando d amen-
„ dare gli electi ſuoi da queſti mali.
„ nel preſente libro principalmente
„ non intende d amaiſtrare gli igno-
„ ranti. Cumcio ſia che tuto el mon-
„ do gia ſia pieno de la ſcientia de Dio.
„ Ma intende di riacendere li ſpenti in-
„ fiamare li fredi movare gli trepidi.
„ provocare gli indevoti a divotione, &
„ dal ſono de la negligentia deſtare li pe-
„ gri, e riduciarli a vigilantia di virtu-
„ de. Onde la benignita del Salvatore
„ degno dimoſtrare al preſente lavoro
„ in viſione ſoto figura d alcuno belliſſi-
„ mo rivulo adornato di candide roſe, e
„ di cinbali ben ſonanti, i quali ren-
„ deano ſoave, e celeſtiale ſono, e
„ moveano li cuori de tuti ſu al Cie-
„ lo. Priegovi adonque divoti lectori,
„ che il mio ſimplice parlamento, e
„ non polito non vi diſpiaza, etiam-
„ dio chel vi para forſe che alcuna
„ volta

Digitized by Google

„ volta e ſuoni alcuna coſa barbarica-
„ mente. non mi curo molto d incо-
„ rare ne vitii de la gramatica, e de
„ la retorica, pur chio poſſa li vitii
„ de l anime comodamente con fer-
„ vente ſermone coregiare & amenda-
„ re. per certo le veritade di padri,
„ overo quelle coſe che trovate ſono
„ con certiſſima teſtimonianza de le co-
„ ſe, ſegondo el ſenſo de la Sancta
„ Scritura, come io dal Signore rice-
„ veti, coſi poſi con ſimplice ſermone
„ da me niuna coſa dicendo fuori di
„ quelle veritade, & cum cio ſia coſa
„ che queſte medeſime materie nel
„ tempo paſſato da molti ſiano ſolici-
„ tamente, e ſotilmente ſtate dichia-
„ rate, & quaſi per lo frequente uſo
„ ſiano venute in faſtidio a molti,
„ per cio non fa meſtieri d alegare
„ auctoritade a ciaſchuna coſa. In
„ per cio che ſe io haveſſe fato la
„ motiva conſonanzia di queſto volu-
„ me ſarebe ſta tramezata & guaſta.
„ & a notare anche che queſto modo
„ de parlare il diſcipulo a la ſapien-
„ tia, & la ſapientia al diſcipulo fu
„ trovato ſolamente per amaiſtrare con
„ piu fervente modo, & non ſi vole
„ pigliare quaſi come ſe queſto diſci-
„ pulo foſſe tale a cui la Sapientia
„ divina in perſona propria ſolamente
„ atenda, o vero che ſopra tuti egli
„ ſolo amaſſe la Sapientia, o vero a
„ cui la Sapientia tante, e tale coſe
„ habia fate. ma ſia preſo in genere
„ per tuti e per ciaſcauno. Unde per
„ modo di dotore quando parla in
„ perſona de l uomo perfeto, e quan-
„ do in perſona de lo inperfeto. Quan-
„ do in perſona d alcuno il quale afe-
„ ctuoſamente ami Chriſto, e con fe-
„ de, e con amore il prende per ſpo-
„ ſo. Quando in perſona del pecato-
„ re, il quale per ſuoi eceſſi, e pecati
„ con lagrime priega Idio, e cuſſi vol-
„ ge il parlare in diverſi modi ſegon-
„ do che alora ſi confa a la materia.
„ quando induce il figliuolo de Dio
„ come ſpoſo de la divota anima.
„ poi queſto medeſimo introduce co-
„ me l eterna Sapientia e ſpoſata a
„ l uomo juſto. Le viſione anche che
„ ſi contengano di ſoto, non ſono
„ tute da prendere ſegondo la letera,
„ avegnache molte ne intraveniſſeno
„ ſegondo la letera, ma e uno figura-
„ tivo parlare, ſicome ne' libri di Re
„ legamo di Natan Profeta, il quale
„ mandato dal Signore al Re David
„ ſoto figura del Rico, e del Pelegrino
„ fece dare ſententia contra ſe mede-
„ ſimo per lo pecato il quale havea
„ comeſſo contra il ſervo ſuo Uria.
„ il quale fece ucidere, e tolſili la
„ molgie ſua Berſabe, e come quella
„ dona ſavia di Theara la quale in-
„ trando al Re David in perſona al-
„ trui cioe di doi ſuo figlioli prego a
„ pieta l anima del Re. L angelo an-
„ che mandato a Tobia, e dimandato
„ da lui chi foſſe reſpoſe che era
„ Anania figliolo del grande Azaria.
„ le quale coſe tute non foreno a letera
„ coſi, ma ſegondo quello, che quelle
„ coſe ſignificavano, era coſi come di-
„ cevano. Coſi il nobile Predicatore
„ Paulo Apoſtolo ſi veſti la perſona di
„ ſuo diſcipuli quando riprendendoli di-
„ ceva, l uno dice io ſon di Paulo, l al-
„ tro diceva io ſon di Apolo, e poi dice
„ queſte coſe fratelli miei figurai in me,
„ & in Apolo per vui, acio che impara-
„ te da noi. Gli oculti miſterii di queſto
„ figurato parlamento agevolmente li le-
„ tori li potra comprendere ſe con ſoli-
„ cita cura li vora poner mente, io prie-
„ go la infinita bonta di colui, il quale
„ per el ſuo amore ma conſtreto di pi-
„ gliare queſta fatica confidandomi de
„ la ſua pietade, che come egli conoſce,
„ che queſto lavoro avanza, e ſoperchia
„ il mio ſapere e virtude, cuſi con-
„ pia, e riſtauri il mio difeto, ni cuo-
„ ri di coloro che l vorano legere in
„ queſto modo, che ogni perſona che
„ il preſente libro con pura intentio-
„ ne legera overo udira legere, meriti
„ di ricevere, e di portare a ſagio
„ d alcuna divotione, overo alcuna

„ nuova

Digitized by Google

„ nuova gratia da Dio gli ſia data.
„ Certamente riconoſcendo io il di-
„ feto mio coſi de la ſcientia, come
„ de la vita a voi amabile Padre Ugo-
„ ne Maiſtro de l Ordene di Predica-
„ tori queſto lavoro a voi mando, il
„ quale per officio ſete ſopra li altri,
„ e ſete riſplendente per l onore del
„ Magiſtero de la Sancta Theologia.
„ Sete anche rico, & abundante de
„ lume de l eterna ſapientia, & de
„ ſpirituali doni, ſi come le voſtre
„ confortative letere dichiarano, ne le
„ quale con amonitione paterna con
„ tanta ſolicitudine deſtando confor-
„ tevate gli delecti figlioli a pace & a
„ fraterna carita, & a rigore de la di-
„ ſciplina, & a fervore di devotione
„ conformandoli a la vita de Criſto
„ Jeſu & a perfectione d ogni virtude,
„ ne di queſte coſe ancora contento
„ ſete, ma ſolicito anche de la ſalute
„ de molti procurate, & invitate con
„ fati, e con parole i miſeri ſeguita-
„ tori di queſto mondo, che l aban-
„ doneno come fugitivo, e falace, e
„ vengano a la vera, & eterna ſapien-
„ tia. Voi adonche Padre Reveren-
„ tiſſimo ponete qui la voſtra ſavia
„ mano, e come in tale coſe ſi con-
„ vene diſcernete con guſto dentro,
„ ſe alcuna coſa piu, o alcuna meno
„ che non ſi convegna io ho ſcrito,
„ e quello che la Divina Sapientia vi
„ inſpirera a ſua gloria & utilita del
„ proſimo fate, & a me viliſſimo di
„ tuti li voſtri figlioli che amano Idio
„ perdonate per li defeti qui trovare-
„ te. Et non riputate queſto fato a
„ preſontione, ma a la carita di Dio,
„ etiam a l aſpiratione Divina la quale
„ come teſtimonio m e Idio non mi
„ laſſa ripoſare ne di ne note in fin
„ tanto, ch' io non conſenti a la ſua
„ violenza. Ma ſe bene ho fato di-
„ ſcernetelo voi, che havete l ontione
„ de lo Spirito Santo.

Opus in binas partes diviſum eſt, aptum omnino ad excitandum Divinæ Sapientiæ amorem, animumque cœleſtibus doctrinis erudiendum.

Ad calcem vero hæc leguntur.

Finiſſe il libro de l Orivolo de la Sapientia il quale compoſe uno ſanto Frate Predicatore.

CODEX VII. *e.* III. 45.

Chartaceus, cui folia 25. ſæculi XVII. meditationes continet in *Pſalmum* LXXI. Carolo Emmanueli *Sabaudiæ Duci* dicatas a *Fratre* Antonio Perotto *Carmelita ejus Theologo*.

CODEX VIII. *e.* IV. 20.

Chartaceus, conſtans foliis 294. ſæculi XVI.

